




Mag. St. Dr.
V
B
J
C
587400
1



PHILOSOPHIAE CIVILIS
SIVE
POLITICAE
PARS QVARTA,
TRADENS
PRVDENTIAM PVBLICAM,
VEL
ARTEM FELICITER REGNANDI
IN
STATV CIVITATIS PACATO,
CVM INDICE QVATVOR TOMORVM,

TANQVAM
CONTINVATIONEM SYSTEMATIS
PHILOSOPHICI
CHRISTIANI L. B. DE WOLFF,
FRIDERICIANAE VNIVERSITATIS CANCELLARII,

AVTORE
MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO,
GYMNASII ACADEMICI GEDANENS. PROFESS. PHILOS.
EIVSDEMQVE BIBLIOTHECARIO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA
MDCCLIX.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO

DOMINO

FRIDERICO V.

REGI DANIAE, NORVEGIAE, GOTHORVM ET VANDALORVM, DVCI SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE AC DITHMARSIAE COMITI OLDENBVRGICO AC DELMENHORSTICO CAET. CAET.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO

REX AVGVSTE,



Ad MAJESTATIS TVAE Tutelam Palladiumque, quam præivit viam Tomus hujus ſcientiæ regiæ primus, jam INDVLGENTIA TVA ſequuntur tres reliqui, meliorem Tutanum, meliusve aſylum nunc nusquam reperturi. Veriti ſunt haud abs re, ne ingrati venirent, antequam indicem omnium Tomorum ſecum afferre poſſent.

Et

Et ad quem potius confugerent, cum de felicitate pacati Regiminis publici unice agant? Vbi illuſtrius Placidiſſimi SALOMONIS, hoc enim FRIDERICI nomen eſt antiquum, omnium cum applauſu regnantis, præter TE Exemplum reperirent? Nonne TVAM MAJESTATEM SAPIENTISSIMAM PRVDENTISSIMAMQVE omnes non ſubjecti tantum, ſed & exteri quemadmodum meritiſſimo maximi faciunt ſuſpiciuntque, ita deprædicant dilaudantque ſaltem pro modulo ſui captus? Poſſuntne aliter quam terque quaterque felices ſtatuere omnes, ſub ſceptro TVO tam pacato, tam usquequaque exoptato degentes?

Abſit, & quam longiſſime abſit, ut hoc ipſo quidquam detractum velim aliis

ſummis Rectoribus ſuarum Civitatum, quibus invitis belli neceſſitas incumbit, nec leves excitat curas! Nemo dubitare poteſt, quin & ipſi almam pacem ſerio exoptent, dum præliorum viciſſitudines aleæ plenas, bellique calamitates paſſim experiuntur. Quam utinam ante anni imminentis decurſum feliciter paciſci, & reſtituere tot Regnis provinciisque posſent! Si quæ conciliatoris partes TIBI REX OPTIME, darentur, procul dubio nihil reliqui faceres, ad eam quam optime perficiendam ſtabiliendamque! Quod utinam eſſet in fatis!

Enimvero quamvis nihil a belli incommodis in univerſo Regno TVO metuendum habent, nihilo tamen ſecius

hi libri veniunt ſubtimidi verecundique, ne quid ſatis dignum tanto TVI Acuminis faſtigio afferant. Vltro fatentur, integras ſibi deeſſe partes ſcientiæ aulicæ, data opera teſte præfatione nunc ſepoſitas, ſeponendasque. Neque minus in illis, quæ vel attingunt, vel & tractant, haud pauca deſiderabuntur accuratiora & limatiora, quæ non niſi feliciter regnandi uſus ſuggerit, nec aliis in mentem venire poſſunt.

Sed talia ſcribere cum non niſi Regibus, qui in arte regnandi feliciſſime conſenuere, datum ſit; nonnihil veniæ aliis promittere videtur ratio ſuæ ſortis, & defectus hujusmodi Ducum, quorum veſtigiis inhærere magno ſibi ducerent honori.

nori. Cujus veniæ indulgentiæque ſi usquam, certe in TVAE MAJESTATIS tot tantisque ſummis virtutibus, quales hic liber quartus primis lineamentis adumbrat, ſpes tenuitati meæ oſtenditur fiduciaque omni dubio major.

Num fieri potuiſſet, ut aliter mecum ſtatuerem, quum primum Tomum gratioſiſſimo vultu animoque ſuſceptum eſſe, & intelligam ex literis acceptis, & gratisſima mente recolam, nec ceſſaturus ſim, dum vitali fruar aura? Inter tot alia igitur opera, quæ immortalis Gloriæ TVAE innumera monumenta, in aliis peperere, fovent etiam nunc, augentque in dies, patiaris, REX INDVLGENTISSIME, ut hi quoque libri, ſi non merito ullo, ſaltem

tem titulo ſcientiæ regiæ, quam aliquatenus profitentur, a præſcripto NOMINE TVO omne ſuum Decus adipiſcantur! Neque enim aliis omnino diſplicebunt, ſi TVAE MAJESTATI non diſplicuiſſe intelligentur.

Iterata jam primorum votorum ſumma, velit faxitque Numen Ter Optimum Maximumque, ut, quod indulſit Generi humano, illuſtriſſimum virtutum regiarum in TE Exemplum, in Neſtoreos annos perennet, omnibus vitæ beatiſſimæ, quanta in ſummos Reges cadit, decoramentis longe lateque effulgens; nec ante quam perfectis cunctis, quæ in Regiæ Gentis ſummum florem, & gaudia ac ſalutem tot populorum præ-

ſtare poteſt, deſiderium ſui ſummum relinquat, non niſi pari ſobole extinguendum. Ita toto aſſoque corde precatur auguraturque

AVGVSTAE MAJESTATIS TVAE

E Muſeo d. XI. Aug.
MDCCLIX.

Admirator & Servus devotiſſimus
MICH. CHRISTOPH. HANOVIVS.

PRAE-



PRAEFATIO.



Qui divina favente gratia publicam nunc lucem ſubit Tomus quartus Philoſophiæ civilis, poſt excuſſam ſapientiam publicam Prudentiæ regiminis in ſtatu civitatis pacato rationes parteſque aggreditur breviter enucleandas. Neceſſarium ideo fuit, ut ex ipſa notione genuinæ prudentiæ publicæ ſolida Irenarchiæ principia deducerentur, præmitterenturque in præmunitione. Vulgare ſimul reapſe removendum erat præjudicium, quaſi nihil facilius ſit, quam imperare: quod ex alio errore decumano natum erat, qui regnare nil aliud ſtatuit, quam

jubere, ut alii ſecundum noſtræ voluntatis arbitrium qualecunque agant.

Vt plene conſtaret, artem feliciter regnandi maxime ſublimes requirere virtutes, animum in cunctis rebus ſalutaribus perſpiciendis argum, intentumque ad omnia quam optime exſequenda, quæ ſalutis publicæ cura requirit; nihil prætermittendum duxi eorum, quæ occurrebant velut eo præſertim factura. Certe eo enitendum duxi, ut quam pauciſſima eorum principia ab acutioribus deſiderari poſſent, unde reliqua prudentis regiminis publici præcepta derivarentur. Sponte ſua autem feliciter regnandi prudentia in duas ſe diremit partes, quarum altera prudentiam regnandi per ſe; altera per alios, vel per vicarios, contineret. Absque utraque fieri nequit, ut in rebus tanti momenti, tantæque amplitudinis, quid optimum factu ſit omnium ſalutis cauſa, usque quaque pateat, & quam optime effectui detur, ubi ſæpe numero ſubito agendum eſt, & conſilium capiendum ex arena.

Prioris partis ſolida primum fundamenta ponuntur, quæ non ſunt niſi ſummæ virtutes mentis regiæ, tum contemplativæ, tum activæ. Ambæ locum non habent, niſi dotes egregiæ natu-

naturales earum præbeant fundum. Ab hac igitur Minerva pæne divina, ejusque cultura haud vulgari ordienda fuit hæc tractatio & profliganda per omnem virtutum regiarum campum, maxime earum, quæ in feliciter consequenda tuendaque ſalute publica requiruntur. Exploratis facultatibus animi, ineundam eſſe viam eas perficiendi compendiariam, quæ excellere in primis valent, haud fuit ſicco pede prætereundum. Neque graduum diverſitas obſcura relinqui potuit, qui in homines cadunt, ſi quis eorum ſummus ſit ducendus, aſſequendusque, non debuit diſſimulari.

Evolvendi igitur paucis fuerunt gradus memoriæ, linguis neceſſariis a puero, & hiſtoriis excolendæ; attentionis ad obſervationes & experimenta, in politicis profutura, acuminis, profunditatis, comparationis, perſpicientiæ, intelligentiæ, judicii, ingenii, ſoliditatis & ſcientiarum regiarum. Nec carere per ſe gubernacula reip. directurus poteſt arte inveniendi politica tanta, quanta haberi poteſt, quam ſummam jure appellitemus, ſi excellere inter ſui ſimiles velit. Quibus præparatus ſumma præeſſe civitati ſuæ poterit & ſapientia, & prudentia civili.

Isti virtutum facultatis intelligendi sublimitati superstrui & respondere poterit, pari adhibito cultu, indoles moralium virtutum regiarum. Quarum chorum ducit summa pietas, recte Deum cognoscens veneransque per singulas, quas in sinu suo fovet, natas Eusebiæ; detestans autem, quidquid illas vitiat deformatque. Quo majori rectores civitatis gaudebunt Dei gratia, quoque propitiori ob summam pietatem numine utentur: eo feliciori successu consiliorum sapienterque destinatorum fruentur, cæteris nullam disparitatem creaturis.

Permagno usui erit civitati, si aliis imperaturi prius recte didicerint aliis subesse & parere, donec se ipsos regere ad legum divinarum normam consueverint. Ea demum genuina erit excelsitas & tranquillitas animi, quæ summo sui imperio parta est & excellit. Quod quo magis accuratiusque præstat, eo laudabilius feliciusque alios reget, totiusque populi procurabit omnigenam salutem. Quo melius sibi rector civitatis imperat, eo majores quoque erunt reliquæ erga se ipsum virtutes quæcunque.

In primis ad feliciter regnandum, beandamque civitatem, virtutes regiæ erga alios conducunt. Summa nempe charitas, qua imperan-

tes

tes parentes ſibi proſequuntur, amantque ut ſe ipſos, & verorum parentum ad inſtar, ut merito Patres Patriæ appellentur. Ex ea paternum oritur cives beandi pro meritis ſtudium, more ſummi patris familias, ſumma fides, juſtitia, æquitas, munificentia, miſericordia, manſuetudo & placabilitas, indulgentia, lenitas, clementia, magnanimitas, magnificentia, gravitas, ſeveritas, vigilantia pro ſalute omnium excubans, &c. Quibus quo magis excellunt Rectores civitatum, eo magis inter eosdem eminent, eo propius accedunt ad numinis divini ſimilitudinem, eoque certius erunt tales, quales haberi ab omnibus velint, habebunturque non vivi duntaxat, ſed poſt fata quoque indeſinenter.

Sequitur prudentia per ſe curandi domania ærariaque. Vbi redituum ratione & diverſitate excuſſa, oſtendendæ fuerunt prudentiæ partes in reditibus quam optime adquirendis, tempeſtive in ſuos uſus erogandis, reſiduiſque debite conſervandis. Optimus adquirendi eos modus eſſe nequit, niſi quo omnium felicitati ex æquo conſulatur, nemo autem plus prematur, quam reliqui, multo minus fere opprimatur. Quem in finem explorandi ſunt civium reditus privati, & quanti publici vel ordinarii vel extraordinarii

ſimul

ſimul requirantur, ut ex illorum abundantia æquabilis definiri ſingulorum rata poſſit publicos confectura. Quæ rata quota pars privatorum redituum circiter eſſe ſoleat, in civitatibus dudum hodieque florentioribus, haud abs re disquirendum fuit.

Præterea & illud in modis adquirendi & conferendi ſumtus publicos prudenter curatur, ut quam minime ſint moleſti, adeoque vix a civibus ſentiantur. Quorſum facit, ſi extraordinariis vix unquam ſit opus, ſed illi ordinariis, parſimonia decenti adminiſtratis, ſuperſint; aut ſi talibus inſtitutis procurentur, quæ cives lubenter amplectuntur. Inter quæ num numerandum ſit æs alienum, uſurarum lege contractum, ſolide diſcutiendum fuit. Quod tam raro conſultum eſſe oſtenditur, etiamſi domeſticum ſit, ut potius civitas eo contracto, quam primum fieri poteſt, tanto ſtudioſius liberanda ſit, quanto eſt majus. Modos illud diluendi ſuppeditare poſſunt remedia uſitata, prudentiſſimorum conſenſu pro locorum & temporum conditione applicanda.

Quo copioſior ſit in civitate pecunia, eo magis pretia rerum augeſcunt, eoque minoris illa erit utilitatis, cæteris manentibus iisdem. Si

quæ

quæ antea ſimplo comparari pretio poterant, jam vix triplo haberi poſſunt, dubio caret, valorem pecuniæ triplo decreviſſe. Quod ne fiat, nimia civitatis pecunia colligenda eſt in ſecuro theſauro, e quo ad extraordinarios ſumtus parata peti poſſit, quando illa erit opus. Sic & cavetur, ne civitas extraordinariis oneranda ſit tributis, & ne pretia rerum ultra modum ingraveſcant. Vnde propterea publico theſauro proſpiciendum ſit citra civium incommodum, non debuit ſilentio prætermitti.

Senſim ita deducimur ad prudentiam per ſe exercendi Jura majeſtatis, in primis potiora. Quatenus omnia Jura majeſtatis ad ſalutem publicam comparata ſunt & collineare debent: nullum eorum vel perdendum eſt, vel negligendum, vel deterius curandum & in abuſum vertendum. Quibus diſtinctius excuſſis, modicus quidem abuſus, vix in ulla civitate evitandus, tolerandus ideo, & emendandus ſubinde duce prudentia eſſe intelligitur eo lubentius, quod vel immodicus ſeu extremus in forma abſoluta patienter eſt ferendus.

In formis autem civitatum temperatis adverſus abuſum remediis uti licet legibus cardinalibus ejus, pactionibusque receptis, nec tamen

nisi moderamine prudenti adhibendis, ut in mitioribus subsistatur, quamdiu spes emendationis obtinendæ nondum decollat. Neque enim, nisi irritis lenioribus remediis, ad asperiora est progrediendum. Si a Deo permittitur abusus, punitur tamen; ideoque & is mature est corrigendus, ne desperatis omnibus permittatur quoque, ut vis vi, & injuria ope nonnullius contrariæ injuriæ depellatur.

Complectitur majestas imperii summam & potentiam & potestatem in sua civitate. Prudentia igitur publica in pace exercet summam potentiam in præstanda civitati tranquillitate & securitate ab aliorum injuriis, & in procuranda, quanta licite haberi potest, abundantia opum. Defendit igitur innocentes, compescit immorigeros, compellendo eos ad officium, modis, qui reperiri possunt, optimis, &, si qui corrigi se aliter non patiantur, eos jure vitæ & necis ultimo supplicio e medio tollit. Quam ob rem æque, ac propter exterorum injuriam arcendam, indiget cohorte prætoria, militibus præsidiariis, aliisque potentiæ ministris, apparitoribus, lictoribus, similibusque aliis suffecturis. Nec usum juris & dominii eminentis omittit, quando is deprehenditur salutaris.

Dum opes nervus ſunt rerum in civitate gerendarum, earum abundantiæ publicæ conſulit prudentia circa fiſcum, ærariumque publicum & theſaurum, ante inculcata. Exigenda eum in finem, vel ſi res poſcit, emendanda ſunt recepta onera ordinaria, extraordinariaque, nec non perſonalia, quæ præſtandis ad publica commoda operis abſolvuntur, collatisque aliorum ſimilium rebus æquiparantur. Privatæ autem affluentiæ rerum, unde publica eſt petenda, eadem cura proſpicitur, qua cives docuimus eſſe fortunandos, & virtutibus quibuscunque adſuefaciendos. Neque minus eo facit exercenda prudenter cura, civium numerum ſufficientem conſervandi augendique modis ſupra memoratis. Quæ ſufficit hic tantum innuiſſe.

Summæ vero poteſtatis per ſe tractandæ uſus maxime in prudentia regiminis publici conſpicitur, tam circa ſacra, quam circa profana, ſæculariave. Conſiderata igitur religionis & neceſſitate & utilitate publica, ipſi autarchæ opera eſt navanda, ut ſapienter de cura ſacrorum decreta, quam optime exſequatur, arceatque eidem adverſa. Id circo & ipſe & populus de veritate religionis ſit convictus, & ſinceræ pietatis quam

ſtudioſiſſimus. Quibus poſitis conſulta erit lex publica, ne rector civitatis ejusque conjux diverſæ a populo ſit religionis (§. 956. *P. VIII. Jur. nat.*). Anne vero idem conſultum ſit inter diſſidentes de religione chriſtiana, quando hæc vel illa diſſidentium pars, cauſa minime evicta, in damnum aliarum ita ſciſcit, illi prudenter diſpicient, quorum intereſt.

Reliqua ſummi imperii jura, prudenter per ſe exercenda, quia ipſe liber enarrat, hic vix nomine tenus videntur attingenda. Sunt nimirum potiora, jus leges ferendi, explanandi, abrogandi, in omni actionum civilium genere; privilegia ſalutaria concedendi; erigendi tribunalia ſumma; ſummos magiſtratus eligendi, removendi, ſuſpendendi; dignitates majores merentibus conferendi, item beneficia & feuda, aliaque præmia; jus pœnarum ſuppliciorumque; jus commercia quaquaverſus augendi, in emporiis præſertim, portibus & nundinis ſolemnioribus; jus concedendi veniam ætatis; jus metalli, ſalis, aliarumque fodinarum; jus honeſtandi natales, & reſtituendi famam; jus protectoria & moratoria tribuendi; immunitates &

exem-

exemtiones largiendi; angarias curſusque publicos inſtituendi, cæt.

Haud mediocris momenti eſt jus numos cudendi recudendique, probos conſervandi, ſpurios & adulteratos arcendi, & deteriores peregrinos vel prohibendi, vel ad verum pretium redigendi. Qua in re prudenter curandum, ut civitas indemnis præſtetur pro caſuum varietate. Diſpiciendum ſane, quando & quatenus præſtet, puriori auro argentoque in iisdem uti, an ad obruſſam aliarum vicinarum civitatum mixto? Si moneta deterioris commatis cudenda, ſolide penſitandum eſt prudenterque decernendum, quo pacto aperto occultove indemnitas procurari poſſit ratione diminutorum ſalariorum & tributorum pecuniariorum, pretii vero rerum adaucti? Quod haud faciles habet explicatus.

Excipit hanc partem priorem poſterior, prudentiam vicarii regiminis exhibitura. Quæ præmittit prudentem vicariorum regiminis publici delectum, oſtendendo, ubi, quotuplicibus qualibusque opus ſit vicariis imperii ſummi, quando per ſe exerceri nequit. Dantur Vicarii durante

interregno; dantur & vivo civitatis rectore Vicarii superiores & inferiores; in rebus sacris sæcularibusque. Sepositis illis, his superioribus accensentur proreges & præstites intimique Regum, non sine summa prudentia deligendi. Quibus adjunguntur intra civitatem vel in aula consiliarii cum aulicis, & magistratus extra aulam potissimum; extra civitatem vero legati. In singulis autem requiritur, quanta haberi potest, politica solertia, integritasque, probe exploranda, antequam eligantur.

Prout Referendarii res singulares, a Rectoribus civitatum decidendas; ita Consiliarii iisdem consilia simul suggerunt publica negotia quam optime expediendi. Prudentia & honorariis utitur, & veris Consiliariis, in rebus variis sacris sæcularibusque; & in his omnibus requirit artem inveniendi politicam, sive ex ante actarum rerum memoria haustam, sive per se fecundam. Qua propter inesse ipsis debet præter memoriam vividamque imaginationem, ingenium judiciumque insigne, sagacitate, acumine, profunditate, soliditate, subtilitate, celeritate, maturitateque & præsagitione pæne divina ex-

cel-

cellens. Inde prudentia conſultatoria utraque ſuas aget partes, in conſilio capiendo ſententias non numerans ſed ponderans, fidelitati, amicitiæ, taciturnitati, quantum provide poteſt, tribuens, & nocitura propulſans. De aulicis nonnulla tantum ſubjiciuntur pro inſtituti ratione.

Magiſtratus ut officio ſuo recte præſit in jure reddendo, præſcriptas leges bene callere, & habitu gaudere debet eas recte ad facta civium adplicandi, & valide obligari, ad leges ſancte obſervandas. Quo rectius vices ſibi commiſſas obeat, alienus ſit ab amore & odio cœco perſonarum, cæteriſque affectibus pravis, alienus ab ambitione & avaritia, a corrupto partium ſtudio & prævaricatione. Superior magiſtratus eſt ſenatus, inferior dicaſterium judicum. Sua & huic & illi eſt jurisdictio ordinaria, cum extraordinaria ſit commiſſariorum, qui latinius recuperatores dicuntur. Differt ſenatus eccleſiaſticus & ſæcularis ratione cauſarum ipſius jurisdictioni ſubjectarum. Differt & jurisdictio equeſtris & plebeja; criminalis & civilis; abſoluta & libera; ſeparata & concurrens; ſuperior & inferior. Quænam, & quantum ejus, huic

vel illi magiſtratui ſit, diſcendum eſt ex inſtitutis locorum, & legibus procedendi ſenatui & dicaſterio præſcriptis.

Si qua extra civitatem cum alia civitate negotia tractanda ſunt, quæ nec per ipſos civitatum Rectores coram, nec per eorum literas melius expediri poſſunt, quam per amandatos vicarios, in illis prudenter utendum erit legatis, qui velut publici ſunt mandatarii & procuratores civitatum. Horum alii ſunt clandeſtini, alii aperti, hique vel eccleſiaſtici vel ſæculares, ordinarii vel extraordinarii, magis aut minus ſplendidi vel ſolennes. Prudentia civilis illorum dignitati diverſæ, ſecuritati, juribus & privilegiis per pacta ſeu expreſſa ſeu tacita & moribus recepta proſpicit, quemadmodum e re & ſalute publica eſſe ſentitur, injuriis quibuscunque procul faceſſere juſſis. Qua de re his ſcriptis in manus meas venit *Cornelii van Bynkershœk* libellus de foro legatorum; quem conſulturus fluctuantem deprehendet, ob lubrica exemplorum morumve, quibus inſiſtit, veſtigia.

Tria ſupereſſe e Prolegomenis Politicæ fateor, quæ ob argumenti copiam ſeorſum videbantur

eſſe

eſſe perſequenda. Integra videlicet ſcientia & prudentia bellica terra marique, vel politica polemica, ſi nomina græca mavis; politica ceremonialis, cum ſacra ſeu eccleſiaſtica, tum ſæcularis; & politica privata, prudentiam civium ſingulorum complectens, uſu magis receptam, quam ad præcepta revocatam, quam optime provehendi ſuam felicitatem fortunamque aliorum civium ope. Abſolvitur hæc privata politica arte tum parendi, qua privati magiſtratuum & ſuperiorum gratia parta beantur, tum arte vivendi civili, ſeu inſinuandi ſe aliorum civium quorumque benevolentiæ & favori, quorum ope adjuvari vel perfici in ſuo vitæ genere & fortunari poſſint.

Verum enim vero de arte belli terreſtris & navalis, prudenter præparandi, gerendi & ſuſpendendi aut finiendi, multi & inſignes partim jam proſtant commentarii virorum in ea exercitatorum, & bibliothecæ autorum plenæ, partim emendatiores ſperare licet, ut de Syſtemate condendo poſtea rectius cogitare poſſe videatur, quam nunc, præſertim ab eo, cui in aliena experientia eſſet adquieſcendum. Nec quidquam magis eſt optandum, quam ut bello artibusque bellicis rariſſime inter Chriſtianos opus eſſet & utendum.

De ceremoniali & privata politica fere idem eſt monendum. Cui enim theatra & corpora ceremoniarum, & rituum ſyntagmata edita & inedita ignota ſunt? Cui ſcripta & præcepta de arte vivendi, aliorum ingenia noſcendi, eorum gratiam & favorem captandi, & fortunam ſuam fabricandi ſtabiliendique paſſim ſparſa non innotuere aut inculcantur? Cui non ex ipſo uſu ceremoniarum & fingendi fortunam ſuis moribus exempla, quæ imitetur, & regulas, quas ſequatur, haurire licet? Has propter aliasque rationes ſeponenda nunc viſa eſt opera, has Politicæ Partes ſeparatim in ordinem ſyſtematis redigendi.

CONSPECTUS POLITICAE TOMI IV.


J.Heller.



POLITICAE PVBLICAE
PARS QVARTA,
EAQVE
PRACTICA, PRVDENTIAM PVBLICAM PACATAM, S. IRENARCHIAM, EDOCENS.

PRAEMVNITIO.

§. 1.


Sicuti prudentia universa est habitus, ita determinandi actiones pro re nata, ut sapienter decreta rite exsequamur, vel concinnius, habitus sapienter decreta recte exsequendi (§. 463. *P. I. Ethic.*): ita prudentia publica est habitus (politicus) civilis, sapienter de rep. decreta quam optime exsequendi seu peragendi efficiendique (§. 635. *P. I. Philos. pract. univ.*), et *Aristoteli L. IV. Polit.* *Quid sit prudentia publica pacata, s. irenarchia?*

eſt propria virtus ἀρχοντος regnantis. Quatenus ea occupatur circa negotia pacis tempore expedienda, differt ab ea, quæ belli tempore eſt adhibenda; illa pacata, hæc bellica dici meretur. Erit ergo prudentia publica pacatæ reip. ſeu *irenarchia*, ad quam rectores civitatum obligantur (§. 1007. *P. VIII. Jur. nat.*), prudentia negotia publica tempore pacis quam optime adminiſtrandi et exſequendi; ſive ars (feliciter) regnandi, vel prudentia regnandi, h. e. gerendi remp.

Oſtendit hactenus ſapientia publica modos remp. rite conſtituendi, ſeu formandi & reformandi, quando opus eſt. Jam quoque docendæ ſunt prudentiæ publicæ partes in rep. recte gerenda & adminiſtranda. Quam itidem partem eſſe politicæ publicæ, ſupra evictum eſt (§. 8. *P. I. Polit.*). Inde *Cicero* ſcribit: prudentia in ſuis rebus domeſtica, in publicis civilis appellatur, *de Partit. Or. c. 22.* Noſtratibus appellatur Politica hæc vel publica prudentia die Staats-Klugheit. Cur illa quoque ars regnandi die Regierungs-Kunſt vel Kunſt zu regieren (Herrſchen) appelletur, liquet ex §. 14. *ibid.* Quia judice *Salluſtio Or. 2. ad Cæſ.* armis majores ſunt & multo aſperiores bonæ pacis artes, & felicior eſſe nequit resp. & ars eam curandi & adminiſtrandi, quam ſi ſtatus reip. ſit pacatus, ideoque ſi non ſemper ſaltem plerumque in ſtatu pacato regnandum eſt, & ſtatus belli hic hactenus ſeponitur: liquet, cur nobis ante omnia agendum ſit de irenarchia, eo ſenſu accepta, quo eam definivimus & enucleaturi ulterius ſumus. De irenarchis ſtrictius dictis Romanorum Videſis *l. 6. A. de Cuſtod. & Exhib. reor.* & *Cod. X. 75.* cernere hinc licet, cur *Conringius*, *Hertius*, aliique, univerſam doctrinam politicam *prudentiæ civilis*, vel elementorum ejusdem, titulo prodire, juſſerint. Sæpius & Cicero eum appellat gerendæ reip. rationem atque prudentiam. Fato quidem & fortuna regi mortalium negotia magis, quam (ευβουλιᾳ) prudenti conſilio, vetus Theophraſti perhibetur ſententia. Sed ea aut agit de imprudentia multorum imperantium, aut de divina providen-

videntia, actiones humanas flectente contra hominum cogitata & destinata. Cum qua tamen prudentia genuina facile conciliatur, adquiescens in adversis quoque, eaque ita moderans, ut tempestatem prudens navis gubernator.

§. 2.

Generalia prudentiæ requisita.

Quoniam irenarchia consistit in prudentia sapienter de Rep. decreta tempore pacis quam optime exsequendi (§. 1.): penitius pervestiganda & paucis aperienda sunt, quæ ad illam tum generatim, tum speciatim requiruntur. *Generatim ad illam* æque ac ad sapientiam *requiritur docilitas intellectus*, *præsentia animi*, *acumen & profunditas*, *ingenium fecundum*, *promta memoria rerum in civitate bene aut male actarum*, *scientia rerum civilium*, *judicium solidum*, *sagacitas* (ἀγχίνοια), *sapientia*, denique *solertia* & *dexteritas haud vulgaris*. Etenim ope docilitatis, vel disciplinæ & doctrinæ aliorum, recte perceptæ, ea tenet, quæ aliis jam sunt comperta, nec nova indigent excogitatione. Ope præsentiæ animi penetratur illico, quid factu optimum sit maximeque expediat (§ 648. *P. II. Phil. pract. univ.*); ope acuminis discernenda sunt subtilia quæque rerum bonarum & malarum, seu utilium & nocuarum, facilium difficiliumque criteria (§. 188. *Ethic. P. I.*), quod ad omnem praxin moralem, regendamque actionum cum lege divina & felicitate humana convenientiam requiritur (§. 146. *seq. ibid.*), ad quæ hebetudo inepta est (§. 225. *ibid.*). Ope profunditatis explorandi perspiciendique sunt intimi rerum animorumque recessus, quatenus non superant modulum intellectus humani, vel quatenus notionum analysi subsunt (§. 340. *Psychol. empir.*) & (§. 293. *P. I. Ethic.*). Ope ingenii facile detegendæ sunt rerum similitudines, dissimilitudines, comparationes, connexionesque fructuosæ, aut & nocituræ (§. 476. *Psychol. empir.*) & (§. 233. *P. I. Ethic.*). Ad ingenium fecundum requiritur imaginatio viva, & promta memo-

ria rerum ad præſens negotium facientium (§. 255. *ibid.*), & olim in rep. vel bene vel male actarum. Ope rationis & ſcientiæ rerum civilium accurate ratiocinandum, & inconcuſſis principiis ſuperſtruenda ſunt prudentiæ dictamina & decreta, quatenus fieri poteſt; in cæteris ratio habenda eſt probabilitatis potioris (§. 471. *ibid.*). Ope ſolidi judicii vel ſoliditatis genuinæ demonſtrationes veritatum in promtu ſunt habendæ, & ab apparentibus errorum fucis diſcernendæ, ne decipiamur (§. 440. *Pſychol. empir.*) & (§. 275. *P. I. Ethic.*). Αγχινοια vel ſagacitas habitum divinandi conjectandique latentia notat, qua celeritate inveniendi ea, quibus opus eſt, indigere prudentiam, ex fecunditate ingenii, ad eam requiſita liquet. Sapientiam neceſſariam eſſe ad prudentiam, adeo verum eſt, ut prudentia recte dici poſſit ſapientia par ſubitis & promtiſſima in exſecutione vel improviſorum negotiorum publicorum (§. 1.). Quæ omnia ut quam optime fiant, utique opus eſt habitu exquiſito & eximio, qui ſolertia dexteritasque appellatur.

§. 3.

Speciatim cognitio momenti actionum politicarum.

Inter ſpecialia & præcipua irenarchiæ principia habetur accurata perſpicientia momenti actionum civilium, quod præbere ſolent aut poſſunt vel ad bona adquirenda, vel ad mala & damna fugienda. Habent enim uti omnes actiones liberæ proprios ſibi effectus, ſeu ad nos beandos, ſeu ad reddendos deteriores aut miſeros: itaque & civiles in alterutram partem, aut per ſe eo plus valent, quo afficiunt plures (§. 50. *P. I. Philoſ. pract. univ.*); aut per determinationes accidentales tendunt ad ſtatum noſtrum vel perficiendum, vel corrumpendum (§. 61. *ibid.*). Ideo prudenter regnaturus accurate perſpectas habere debet actiones civiles cum ſuis effectibus ad reip. vel ſalutem vel noxam; item cum illis, quæ fortuito inde naſci poſſunt aut ſolent, ſeu forte fortuna, ſeu hominum uſu abuſuve. Quo accuratius omnes illos even-

eventus & ſolitos & inſolitos eorumque momentum perſpexit, eo promtius in exſecutione ſapienter decretorum evitabit nocitura, perſequetur autem profutura, ſaltem eo ad utrumque paratior erit, vel poterit eſſe.

Conſectaria actionum publicarum in rep. adminiſtranda, etiamſi videntur eſſe exigui momenti, multo tamen plus in receſſu habent, quam privatæ actiones aut in imperio privato, ut domeſtico, admiſſæ. Tanto igitur accuratiori opus eſt perſpicientia eventuum inde oriturorum, ad bona publica mirifice adaugenda, damna autem & pericula avertenda declinandaque.

§. 4.

Partes prudentiæ circa proficua & damnoſa.

Requirit prudentia publica evitationem damnorum, quæ in dato caſu exſecutionis negotiorum publicorum contrahi poſſent, & venationem commodorum, quotquot obtineri poſſunt. Omnis enim prudentia fugam damnorum quorumque evitabilium, & ſtudium adipiſcendi bona quævis impetranda involvit (§. 464. *P. I. Ethic.*). Quare manifeſtum eſt, publicam quoque prudentiam poſtulare in expediendis negotiis publicis evitationem damnorum & periculorum, quæ vires non excedunt, & conſecutionem bonorum, quotquot haberi poſſunt.

§. 5.

Cura nil ſalutare negligendi.

Attendendum probe eſt, ne quid eorum negligatur, quæ ſapienter de rep. ſunt decreta fierique debuerunt. Quæ enim ſapienter ſunt de negotiis publicis decreta, ea melius ſtatui & fieri nequeunt (§. 678. & 684. *Pſychol. rat.*); ideoque fieri debent. Quapropter cum prudentiæ ſit, quam optime exſequi ſapienter decreta (§. 1.): nihil utique eorum in exſecutione negligendum eſt, quæ ſapienter decernenda ſunt de rebus publ. vel decreta, ac fieri & potuerunt & debuerunt.

Si quid eorum omitteretur, quæ ſapienter ſunt decreta, id non fieret tam ſapienter, ac eſſet decretum, & fieri ejus gratia debe-

deberet; fieret igitur eatenus inſipienter, & propterea quoque imprudenter, quia prudentia ipſamet eſt ſapientia extemporalis in optima exſecutione decretorum inſignite conſpicua, nec ſubitis & improviſis impar (§. 2.).

§. 6.

Potiſſimum circa emergentia fortuita.

Inprimis attendit hæc prudentia ad occurrentes caſus improviſos & fortuitos adventitiosque, eorumque ampliſſimum in rep. uſum conſequendum. Propoſita eſt prudentiæ quam optima exſecutio ſapienter decretorum, & irenarchiæ ſapienter de rep. in pace adminiſtranda decretorum (§. 1.). Sed opis humanæ non eſt, cunctos fortuitos & ſingulares caſus prænoſſe, multo minus præſcire, quod unius numinis præſcientiæ reſervatum eſſe, & Theologia evincit, & communis experientia confirmat. Emergunt & manent ergo in rebus gerendis haud pauca aliena, improviſa & inopinata, quæ nihilominus ſapienter ſunt & illico decernenda & peragenda, haud ſecus ac ſi dudum eſſent prævisa præmeditataque (§. 257. *P. I. Jur. nat.*). Quæ propriæ ſunt partes prudentiæ quam optime exercenti ſapienter ſtatuta (§. 256. *ibid.*) & (§. 463. *P. I. Ethic.*). Non poteſt ergo non attendere irenarchia ad emergentes in rebus gerendis caſus improviſos, ſeu eventus fortuitos, alienasque περιστάσεις, & adventitias res, quæ inopinato accidunt, cum ſæpe aut plerumque abeſſe ſoleant. Eo autem, quod in expeditione ſapienter decretorum optime verſatur hæc prudentia (§. 1.), ipſa extemplo decernit, quomodo emergentia illa fortuita in uſus reip. ampliſſimos converti poſſint ac debeant, & hæc ſua decreta actutum quam optime effectui dat, occaſione oblata promte utendo, ut uſus ampliſſimos fortuitorum conſequatur.

Improviſorum hujusmodi caſuum confluxum ſeu concurſum, vel quævis emergentia ſingularia & fortuita, quæ rem gerendam circumſtant afficiuntque, propriam rei faciem ſiſtunt, & res ita

nata esse seu comparata dicitur, vti ejus præsentes determinationes singulares internæ & externæ, indigenæ & alienæ adventitiæque se habent & offeruntur.

§. 7.

Nec tantum ad præsentes casus fortuitos attendit, sed & futuros itidem longe prospicit, & qui emergere possent, hæc regnandi prudentia. *Prospiciendu futura.*

Generatim enim prudentiæ est, prospicere futura, quæ quomodocunque in determinationem actionis præsentis influere possent (§. 470 *P. I. Ethic.*); & quia futura contingentia certo prævidere non possumus, haud raro prudentiæ humanæ adquiescendum est in probabilibus, iisque, quæ tantum evenire posse videmus (§. 471. *ibid.*). Quo magis in ardua regnandi prudentia opus erit, ut prudens non tantum ad præsentes, qui inopinato emergunt, casus omnem adhibeat attentionem, verum quoque ad futuros, qui accedere possunt, suam dirigat prospicientiam, quantum longissime valet, vt & eorum usum amplissimum in rep. consequatur (§. 6.), ideoque ad illos minime sit imparatus animo viribusque.

Sic *Ciceronis L. 8. ad Att. Ep. 19.* Cn. Magnus scribit ad Domitium: Non enim pro tua prudentia debes id solum animadvertere, quot in præsentia cohortes contra te habeat Cæsar, sed quantas brevi tempore equitum & peditum copias contracturus sit? Ipse vero Cicero uti prudentem recte providum vocat, ita & prudentiam a providentia dictam statuit *L. I. de Legg. c. 23.* Cum animus a corporis obsequio indulgentiaque discesserit . . . & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona deligenda & rejicienda contraria, quæ virtus ex providendo est appellata prudentia, quid eo dici aut excogitari potest beatius? „Omnia cum præsentire non liceat homini, sufficit, si præcipua, quæ valet, prospexerit. Hinc Cicero: num propterea nulla est reip. gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompejum, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum (Q. Ciceronem) fefel-

fefellerunt? *L. I. de Divin. c. 14.* & *L. I. de Offic. c. 23.* Ingenii magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit, cum quid evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum ſit, *non putaram.*

§. 8.

Recordanda præterita ſimiliora.

Quo minus fallat futurorum conjectura & proſpicientia in negotiis publicis, rerum præteritarum ſimilium apparatus & memoria cum ſuis eventibus variis conſulenda eſt. Prudentis enim eſt, recolere præterita, quæ in determinationem actionis præſentis influere poſſunt (§ 470. *P. I. Ethic.*). Recordationi præteritorum ſimilium in gerenda rep. certiorem debemus eorum cum præſentibus comparationem, futurique eventus proviſionem, ſimilitudine accuratius expenſa. Quo major ideo præſto nobis eſt valde ſimilium præteritorum negotiorum copia, cum ſuis diverſis eventibus ſpectata, eo illa gerentem remp. aptiorem reddet ad prudentiam in ejus adminiſtratione exercendam, & ad exſequenda quam optime, quæ ſapienter ſunt decreta, in præſenti rerum omnium ſitu nexuque.

Hinc *Tullius L. III. ad Heren. c. 2.* appellatur prudentia multarum rerum memoria & uſus complurium negotiorum. Velut orator prudens quoque ad augendum (aſſenſum) habeat exemplorum *et* recentium, quo notiora ſint, *et* veterum, quo plus autoritatis habeant, copiam *c. 27. de Part. orat.* Tanta eſt celeritas animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, ut non poſſit ea naturæ eſſe mortalis, *de Senect. c. 21.* Conjungendo hæc cum prioribus, patebit illud: prudentiæ partes ſunt memoria, intelligentia, providentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt, (eſt theſaurus omnium rerum & cuſtos inventarum excogitatarumque). Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quæ ſunt; providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit, *c. II. de invent. rhet. c. 53.*

§. 9.

§. 9.

Ut irenarchia recte exerceatur, impedimenta pacis fortuita declinanda sunt; adjumenta vero, vel fortuito oblata, in usum illius, intus & extus optime conservandæ, vertenda. Irenarchia enim artem regendi pacatam remp. notat (§. 1). Cujus exercitium cum sine prudentia summa dari nequeat (*ibid.*); prudentia vero in declinandis actionum impedimentis potissimum fortuitis, & adjumentis earum optime adhibendis conspicua sit (§. 465. *P. I. Ethic.*): patescit, solicite evitanda esse impedimenta quævis salutis pacatæ seu pacis, etiamsi inopinata & fortuita sint; contra ejusdem intus & extus conservandæ adjumenta esse quam optime in usus reip. transferenda (§. 4.). *Promovenda pacis adjumenta, vitanda impedimenta.*

§. 10.

Quia probe advertendus est animus, ne quid eorum negligatur, quæ sapienter de rep. sunt statuta (§. 5.): *prudentia regnandi indigere intelligitur arte observandi accurate & solicite* (§. 468. *P. I. Ethic.*), *quæcunque administrationem salutis publicæ vel juvare possunt ullatenus, vel impedire* (§. 9). Quæ ars observandi politica sine attentione peracuta, & profunditate in rebus civilibus adquisita rite exerceri nequit, ideoque indiget habitu attendendi eximio & indefesso (§. 18. 21. 338. *P. I. Ethic.*), acumine practico (§. 197. & 346. *ibid.*) & profundo (§. 306. *ibid.*), nec non profunditate historica & civili, sufficiente ad rerum animorumque latebras & recessus intimiores rimandos detegendosque (§. 78. & 311. *in not. ibid.*). Id circo prudentiam politicam egregie perficere potest, qui in arte observandi politica excellit. *Opus est arte observandi politica.*

Quia nemo ubique in rep. esse potest, ad artem observandi politicam exercendam plurium opus est adjumento, ministerioque, qui observata diligenter sincere nuntient, & ad accurate obser-

observandum obligati sint. Potissimum his opus est in illis rebus, quæ aliunde vel prorsus cognosci nequeunt, vel non æque certo & accurate.

§. 11.

Quid sit circumspectio politica?

Circumspectio politica est accurata exploratio omnium, quæ ad recte determinandam actionem publicam prænoscenda sunt; vel scrutinium accuratissimum reip. optime gerendæ. Prænoscendæ autem & perscrutandæ sunt & res omnes, quæ in gerendo negotio vel necessario vel fortuito concurrunt, & earum natura, ad illud vel juvandum, vel impediendum idonea, & quantum momenti in illis ad ea præstanda vel detur vel dari in usu genuino & prudenti possit.

Non tam oculi in omnes partes circumferendi & versandi hic intelliguntur, quanquam nec illi, ubi usui esse possunt, excluduntur, quam animus in omnes negotii recessus partes & rationes intendendus. Inquirendum ita est & percunctandum, quæ sint negotii ambages, quæ compendia, quæ perplexitates, quæ fila ariadnæa labyrinthorum, quæ in ancipiti rerum rationumque diversarum circumstantia habeantur? Dici quoque potest circumspicientia & percontatio hæc περίσκεψις, Umschauung vel Behutsamkeit, & Staats-Behutsamkeit in re præsenti.

§. 12.

Cur conveniat irenarchiæ?

Irenarchia includit circumspectionem politicam, & prudenter regnaturus debet esse politice circumspectus. Est enim irenarchia ars regnandi, seu prudentia regendi pacatam remp. (§ 1.). Neque tantum attendere debet ad rem præsentem, ejusque latebras, facies, fortuita & appendices (§ 6.), rerum quoque providere futura (§. 7.), & similium recordari antea gestorum (§. 8.); ut fortuita quoque impedimenta vitare, adjumenta autem impertire saluti publicæ possit (§. 9.). Prout prudentem admodum circumspectum esse oportet in agendo (§. 466 *P. I. Ethic.*): ita quoque prudentia regnandi includit circumspectionem

nem politicam (§. 11), & prudenter regnaturus ſeu irenarcha (vel Salomo) politicus eſſe debet admodum circumſpectus, vel, ſi hoc mavis, circumſpiciens curioſusque.

§. 13.

Quid cautio politica ſit?

Cautio politica eſt habitus vel ſtudium impendentia reip. mala avertendi vitandique pro virili, uti cautio in genere declinatio eſt a malis, quæ fit cum ratione. *Cicero L. 4. Tuſc. Qu.* Proinde politice catus ſeu cautus pollet habitu prævisa pericula & damna publica declinandi depellendique.

§. 14.

Cui inſit?

Prudentia regnandi requirit cautionem politicam, & prudenter regnaturum admodum cautum eſſe oportet. Requirit enim prudentia regnandi evitationem damnorum & adquiſitionem emolumentorum reip. (§. 4.), & vel fortuitorum pacis impedimentorum declinationem, adjumentorum vero ejus uſum ampliſſimum (§. 9.). Quando igitur cautio politica ſtudium notat impendentia reip. mala, damna & pericula fugiendi, removendi avertendique (§. 13.), illam a prudentia regnandi ſeparari & abeſſe non poſſe, conſequens eſt. Quapropter prudenter regnare non poterit, niſi admodum catus eſt civitatis rector.

§. 15.

Quid ſit conſiderantia civilis.

Conſideratio politica latius dicta eſt accurata contemplatio & comparatio omnium, quæ in re quadam publica occurrunt moralitatis, momentorum; vel ſtrictius, perpenſio exacta, quid boni malive ex publica actione data pro re nata conſequi poſſit. E contrario inconſiderantia eſt omiſſio actuum intellectus, quorum ope agenti innoteſcere poterat, quid boni malive ex actione datæ conditionis conſequi poſſit (§. 760. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Conſideratus igitur vel conſiderate agens probe examinat perpenditque bona aut mala ex actione data oritura.

§. 16.

Irenarchia considerate cuncta tractat. *Prudentia regnandi non nisi considerate agit, vel sine debita consideratione politica locum habere nequit.* Etenim prudentiæ regiminis est animadvertere præsentem negotii publici faciem, eam conferre cum præteritis ejusdem indolis, & declinare detrimenta salutis publicæ inde prognatura, procurare autem ejus adjumenta & incrementa (§. 4-9.). Sed ista omnia sine accurata perspicientia & expensione bonorum & malorum rei præsenti adhærentium locum habere non posse, res ipsa loquitur. Quamobrem prudentia regnandi sine debita consideratione politica nusquam datur; neque nisi considerate agit in imperio (§. 15.). Quo vero consideratius resp. geretur, eo & prudentius præerit pacatæ reip. civitatis rector; uti e contrario, quo inconsideratius geritur, eo imprudentius illi consuletur.

Vt prudenter acturus, si vel solus sit agatque, considerate agere debet, & fugere omnem incogitantiam, quam vocant, inconsiderantiamque: ita & prudenter regnaturus, quidquid vel solus & suo tantum marte agit, nisi considerate non decernit, nec exsequitur in gerenda rep. exercendoque imperio suo. Comparat sibi eapropter habitum negotia sua rite considerandi & exacte contemplandi, quæ in exsecutione alicujus momenti, seu ad salutem seu ad damnum reip. vel & suæ personæ ac gentis, esse possunt. Quo perfectior is erit habitus, eo melius imperabit, & cuncta exsequetur, quæ sapienter sunt decreta, sibique prudenter gerenda. Prudentium sequitur considerata actio, Tullio teste de *Off. L. I. c. 45.*

§. 17.

Quid sit consilium, consultatio & deliberatio? Quia *consultatio* est actio intellectus, qua disquiritur, quid sit cuiquam agendum, nec ne (§. 498. *P. I. Theol. nat.*), & *consilium* ipsum judicium, sitne aliquid faciendum, nec ne, item sic an aliter, quomodo quidpiam sit faciendum: patet, consilium capi posse vel proprio marte, vel adhibito quoque marte alie-

alieno. Pofteriori cafu dicitur confilium ab altero quæri aut peti, & ab altero dari petenti, & confulenti refponderi. Difcuffio rationum utriusque partis in re illiquida aut dubia, quid & quomodo quidpiam fit faciendum, appellatur *deliberatio*, quæ & expenfio rationum in utramque partem occurrentium eft. Quare & confultationem cum deliberatione confilii caufa effe conjunctam; & deliberationem cum aliis fieri poffe, manifeftum eft.

§. 18.

Ad prudenter regnandum requiritur in rebus arduis confultatio & deliberatio accurata, fine qua nec confilium capiendum, nec exfequendum eft. Etenim in rebus arduis magnum fitum eft momentum ad falutem reip. vel augendam vel minuendam perdendamve, nec illico liquet, quid in illis fit optimum factu: quæ notio ipfis hic eft fubjecta. Omnino igitur opus eft disquifitione accurata & confideratione, utrum & quo modo aliquid fit vel agendum, vel non agendum (§. 15. *feq.*); & folida discuffione argumentorum in utramque partem afferendarum, ut pateat, quænam fint potiora & amplectenda, quæ repudianda. Illam vero præftat confultatio, hanc deliberatio accurata, ut confilium formari & decretum poffit, effectui deinceps dandum (§ 17.). Patet ergo, in rebus arduis præmittendam effe accuratam rei gerendæ confultationem deliberationemque a prudenter regnaturo.

Neceffitas deliberationis &c. ad prudentiam regnandi.

Vnde confequitur, veluti ad prudenter agendum requiritur animus maxime deliberatus (§ 472. *P. I. Ethic.*): ita prudenter geri res arduas vel in ftatu pacato non poffe, nifi prævia accurata confultatione ac deliberatione, vel nifi animo probe deliberato confultiffimoque.

Dudum *Salluftius cap. 1. belli Catilinarii* monuit, prius quam incipias, confulto; & ubi confulueris, mature facto opus effe.

Vtrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio vegere. *Cicero Offic. L. I. c. 3.* hæc habet: Triplex Panætio videtur conſilii capiendi ratio. Nam honeſtumne factu ſit an turpe, dubitant id, quod in deliberationem cadit. In quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur. Tum autem inquirunt & conſultant, ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes & potentiam, quibus ſe poſſint juvare & ſuos, conducat id, nec ne, de quo deliberant. Quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cum pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile . . . . Hac diviſione duo prætermiſſa ſunt. Nec enim ſolum, utrum honeſtum an turpe ſit, deliberari ſolet, ſed etiam duabus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius: itemque duobus propoſitis utilibus, utrum utilius. „In faciendis deliberatio ad hæc duo capita revocari poteſt, ſitne faciendum, nec ne; & ſiccine potius, quam aliter?

Poſterius aſſertum quoque agnovit *Tullius*, quando *de Partit. orator. c. 11.* facta, inquit, quæ non ſunt conſilii, imprudentiæ eſſe ſtatuit, quæ eſt aut in caſu, aut in quadam animi permotione. Caſu, cum aliter accidit, ac putatum eſt. Permotione, cum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſa permovit.

§. 19.

Quot modis optime præſtetur exſecutio?

Quia prudens, quid factu optimum ſit, & deliberare (§. 18.), & in exſecutione decreti ſpectare debet (§. 1.); bifariam autem factu optimum dicitur, vel ratione influxus in ſalutem publicam, vel ratione modi agendi (§. 17.): *irenarchiæ eſt, illa in exſecutione ſapienter decretorum ſectari, quæ & plurimum adjumenti afferunt & emolumenti ad ſalutem publicam, vel plurimum officiunt ejus obſtaculis tollendi, & modo meliori fieri nequeunt.*

Audiendus hic videtur Conſul romanus in *Partit. orat. c. 26.* cum autem quæritur, quid ſit optimum factu, aut utilitas aut ſpes efficiendi ad aſſentiendum impellit animos. De utilitate qui-

quidem hæc præmiſerat *cap. 24.* eſt in deliberando finis utilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando . . . Vbi videndum, quid aut poſſit fieri aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam ſi quid effici non poſſit, deliberatio tollitur, quamvis utile ſit; & ſi quid neceſſe eſt (neceſſe autem id eſt, ſine quo ſalvi eſſe liberive non poſſumus), id eſt reliquis & honeſtatibus, in civili ratione & commodis anteponendum &c. . . . *Cap. 27.* In efficiendi ratione, quibuscum, & contra quos, quo tempore aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniæ, ſociorum, earumve rerum, quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, poſſimus uti, requirendum eſt. Neque ea ſolum, quæ nobis ſuppetunt, ſed etiam illa, quæ adverſantur, ſunt videnda . . . . curandum etiam, ut faciliora, procliviora, jucundiora (quibus & certiora ac tutiora addenda ſunt), in agendi modo, cæteris paribus, contrariis anteferantur.

§. 20.

Quibus hic utendum ſit fulcris?

Ad optimum factu perſpiciendum præferendumque in gerendis reip. pacatæ negotiis facit perſpicientia omnium, quæ in præſenti re ſalutaria eſſe poſſunt, & quo gradu vel quantum unum quodque ſeu prodeſſe poſſit, ſeu obeſſe; perſpicientia omnium agendi modorum, quibus uti licet, cum ſuis commodis & incommodis; delectus eorum, quæ præferri merentur, in capiendo conſilio formandoque decreto; denique opportunitas loci & temporis propter diligentem exſecutionem ſapienter decretorum captanda adhibendaque. Id, quod optima rerum magiſtra quemque docebit. Quare *& hæc adminicula omnis prudentiæ abeſſe a prudentia regnandi non poſſunt, & horum contraria caute ſunt fugienda* (§. 6).

Hæccine ratio dicatur, ob quam Philoſophus romanus *L. I. de Offic. c. 43.* ſcripſit: Princeps omnium virtutum eſt illa ſapientia, quam Græci σοφιαν dicunt; prudentiam enim, quam illi φρονησιν vocant aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum expeten-

petendarum fugiendarumque ſcientia. Et *Lib. III. de Nat. Deor. c. 15.* Prudentia conſtat ex ſcientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarum, nec malarum. Cui nihil malo eſſe poteſt, quid huic opus eſt delectu bonorum & malorum *L. V. de Fin. c 23.* prudentia in delectu bonorum malorumque cernitur; item *L. I. de offic. c. 40.* eſt ſcientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum locorumque. Imprudentiæ igitur eſt, aberrare a vera agendi opportunitate, ignorare rerum agendarum indolem, fructus & modos præclaros. Longe igitur remota eſt a vecordia prudentia, quæ inſipientia deſipit; ab aſtutia, quæ abuſum ſapientiæ ad mala ſeu imitationem ejus in malis; a calliditate & verſutia, quæ prudentiæ imitationem pravam ſonat (§. 480. *P. I. Ethic.*), a præcipitantia, fraudulentia, vafritie, fallaciis &c.

§. 21.

Vtendum experientia propria & aliena Hiſtoriarum.

Adprudentiam regnandi comparandam augendamque conducit hiſtoria civilis pragmatica, cum domeſtica & vicinarum civitatum recentior, tum antiqua, propria denique exercitatio experientiaque diuturna. Omnis enim prudentia comparatur experientia (§. 467. *P. I. Ethic.*), & ſenes experti merito inexpertis juvenibus prudentiores cenſentur (§ 469. *ibid.*); librorum hiſtoricorum lectio conducit ad prudentiam adquirendam & locupletandam (§. 473. *ibid.*). Idem ergo multo magis valebit de experientia politica, longo uſu & exercitatione elimata, & de hiſtoria civili pragmatica recentiori, domeſtica & vicinorum, nec non de antiquiori illuſtribus prudentiæ & imprudentiæ exemplis referta, & imitationis ac cautelæ cauſa in penu memoriæ obvia & in promtu (§ 6 8.) & (§. 297. *ſeq. P. II. Phil. pract. univ.*).

Hinc *Cicero L. II. de Orat. c. 9.* hiſtoriam vocat teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis. Et *cap 15.* vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur, & de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor pro-

probet, & in rebus geſtis declarari, non ſolum quid actum ſit, ſed & quomodo, & cum de eventu dicatur, ut cauſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis; hominumque ipſorum non ſolum res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, de cujusque vita & natura. Item: conſuetudo exercitatioque & intelligendi acuit prudentiam, & eloquendi celeritatem incitat.

§ 22.

Et arte inveniendi egregia.

Vt vero, quod melius eſt in arte regnandi, intelligamus, haud vulgari opus eſt arte inveniendi practica. Eſt enim prudentiæ, in exſecutione decretorum quam optime ſe gerere, & optima quæque præferre cæteris (§ 1.). Sed quæ ſint optima factu, ſæpe ignoratur, & indiget conſultatione ac deliberatione (§. 18.). Enimvero, ut incognita detegantur, in rebus arduis præſertim, opus eſt arte inveniendi haud vulgari, ſed eximia & egregia, eaque practica, utpote in rebus gerendis adhibenda, & potiſſimum politica, in rebus publicis gerendis exercitata & ſubacta.

Eam in rem *Tullius de officiis L. I. c. 5.* dicit: in perſpicientia veri ſolertiaque ſapientiam ponimus & *prudentiam*, in qua ineſt indagatio atque inventio veri. Ejusque virtutis hoc munus eſt proprium. Vt enim quisque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime & celerrime poteſt & videre & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Quocirca huic quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubiecta eſt veritas. „ . Politica hæc ars inveniendi quando in regibus datur, regia heuriſtica ſalutari poſſet, in conſiliariis aulica, in judicibus judicialis &c. Laudat hoc nomine *Nepos* Themiſtoclem, *c. 1.* quod celeriter, quæ opus erant, reperierit; neque minus in rebus gerendis promtus fuerit, quam excogitandis; quod autore Thucydide & de inſtantibus veriſſimi judicarit, & de futuris callidiſſime conjectarit. Quemadmodum *Ariſtoteles L. VI. Ethic. c. 7.* diſcernit pru-

dentiam νομοθετικὴν, βουλευτικὴν, δικαστικὴν, legislatoriam, consultatoriam & judicialem.

Quando hæc ars inveniendi adolevit, pro vi temporum & varietate rerum ex arena consilium capere potest; vel tum id valet, quod Princeps oratorum & Philosophorum romanorum *L. II. de offic. c. 9.* pronuntiat, cum res in discrimen vocatur, expedire, & consilium ex tempore capere posse. Hanc omnes existimant utilem veramque prudentiam. Et *Seneca Epist.* 71. Magna consilii pars est in tempore. Dicas, consilium sub die nasci debere; sed hoc quoque tardum est nimis; sub manu, quod ajunt, nascatur. Etenim puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti, notavit jam *Livius L. III. c. 27.*

§. 23.

Animo affectibus haud impedito.

Impar erit prudentia regnandi suis partibus, nisi animus vacet affectu imperioso quovis. Partes enim prudentiæ haud raro flagitant, ut consilia reperiantur ex tempore (§. 22.), & generatim, ut sapienter decreta quam optime expediantur (§. 1.). Sed si affectus imperiosi animum perturbant, & in suas partes rapiant, fieri non poterit, ut distincte satis in illa confusione percipiat aut reperiat, quid sit vel committendum vel omittendum, & quo potissimum modo res impedita & in acie novaculæ posita, sit extricanda & periculo læsionis eripienda, teste talium rerum usu. Impar igitur erit suis partibus regnandi prudentia, nisi animus vacuus sit ab affectibus imperiosis turbulentisque. Qui propterea, si suboriantur, illico erunt in prima herba suffocandi, aut, ne noceant, compescendi.

Apposite in hanc rem ait *Cicero de Offic. L. I. c. 28. seq.* duplex est vis animorum, altera in appetitu posita est, quæ impetu hominem huc & illuc rapit, altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet. Omnis autem actio vacare debet temeritate & negligentia. . . Efficiendum hoc est, ut appetitus (affectus) rationi obediant, eamque neque præcurrant, neque

neque propter pigritiam aut ignaviam deſerant, ſintque tranquilli, atque omni animi perturbatione careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exſultantes ſive cupiendo, ſive fugiendo non ſatis a ratione retinentur, hi ſine dubio finem & modum transeunt. Relinquunt enim & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti naturæ lege, a quibus non modo animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusque mutantur. Ex quibus intelligitur, appetitus omnes contrahendos ſedandosque; excitandamque animadverſionem & diligentiam, ut ne quid temere ac fortuito, inconſiderate, negligenterque agamus. „Hæc dici de affectibus rationi immorigeris, in aprico eſt. Illis enim, qui rationi obſequuntur, ejusque decreta & decretorum exſecutionem juvare & perficere poſſunt, prudenter utendum eſſe in rem ſuam, obſcurum nemini eſſe poteſt. Conferenda & exercenda in his ſunt, quæ de affectuum ſedatione, concitationeque ſapienti præcipiuntur *cap. III. P. II. Ethicæ*, & de eorum regimine prudenti *c. 4. ibid.*

§. 24.

Num prudentia empirica ſufficiat?

Tametſi prudentia empirica non ſit nullius momenti, ſola tamen ad artem regnandi non ſufficit. Quatenus enim prudentia empirica nititur indubia experientia & propria & aliena, eaque ope intellectus & rationis præcultæ recte uti didicit, eatenus utique facit ad prudentiam civilem & comparandam, & ſubinde perficiendam (§. 21). Quatenus autem in confuſione ſua ſubſiſtit empiricus in agendo, & ſola caſuum ſimilium quadamtenus exſpectatione ac imitatione utitur, non poteſt non perſæpe hallucinari, ſuaque culpa excidere ſcopo (§. 206 & 212. *P. II. Phil. pract. univ.*), dum cœco impetu alios imitatur (§. 284. *ibid.*). Cum igitur periculoſa ſit prudentia mere empirica, ſo-

lam non ſufficere ad artem regnandi intelligitur, ſed rationem ducem ſequi debere (§. 207. *ſeq. ibid*).

Non negabimus, & in arte regnandi nudos dari empiricos, æque ac in aliis vitæ generibus; neque negamus, eorum acta in imperio haud infeliciter cadere poſſe, quando numinis ſapientiſſimi providentia melius quam ipſorum conſilio adminiſtrantur. Sed quando quæritur, num conſultum ſit, empiricis tantum in agendo adminiſtrationem reip. concredi, & num illis prudentia regnandi vere tribui poſſit, id quidem ex rationibus allatis negandum cenſemus. Non niſi vulgus, rudesque homines alii, vel paraſiti ſecus ſtatuent.

§. 25.

Diviſio prudentiæ regnandi.

Exerceri ars regnandi poteſt vel proprio Marte, vel alieno, h. e. aliorum ope. Eſt enim ars regnandi prudentia & habitus civilis, ſapienter decreta in rep. pacata quam optime expediendi (§. 1.). Quum eo habitu gaudent & utuntur, qui ſummæ rerum præſunt, tum exercetur ars & prudentia regnandi ſuopte ingenio & ipſorum proprio marte in ſingulis partibus ſuis modo enumeratis, vel tum regnant ipſi per ſe. Quando autem alii iſto habitu pollent, & ipſis imperantes ſuas vices tradunt adminiſtrandas, horumque nomine gerendas, tum ars regnandi ſeu regendi remp. exercetur alieno marte, ſive aliorum ope & opera (§. 883. *P. VIII. Jur. nat.*). Vtrumque fieri poſſe & ſolere, res ipſa loquitur, & experientia omni dubio major.

§. 26.

Quando præſtet ſuo marte regnare?

Cæteris paribus in rebus majoris momenti, prudentiam regnandi rectores civitatum ſuopte ingenio ſuoque marte exercere præſtat. Si enim cætera ſunt paria, prudentiam regnandi ſuo marte exercens, in rebus majoris momenti, quæ univerſam remp. propius attingunt, & ab ipſomet expediri poſſunt (§. 883. *P. VIII. Jur. nat.*), omnia ipſe probe circumſpicit, deliberat, optimum

factu

factu eligit, exsequitur (§. 25.), atque ita certus est, sapienter decreta quam optime exsecutioni esse data, nec quidquam eorum esse neglectum, quæ fieri potuissent debuissentque (§. 5.). Sed exercens eam alieno marte, ipse non interest nec præest per se rebus gestis, gerendisve, ideoque aut nescit, num optimum factu gestum sit, nec ne, itaque aliorum fidem secutus, credit forsan, ita rem actam esse, uti ipsi narratur; forsan & dubitat, num id ita contigerit, præsertim si alii alia suggerunt ipsi, vera aut falsa. Certus igitur non est, rem non suam ab aliis quam optime esse gestam, & dum incertus est & manet, ea saltem non gaudet conscientiæ tranquillitate, qua is lætatur, qui ipse rebus suis quam optime præfuit (§. 25.). Multo id deterius habere, per se liquet, quando vel suspicio urget animum, rem secus, ac par erat, esse gestam, vel eventus docet, alios defuisse omnino partibus sibi demandatis seu culpa quadam seu nequitia.

Loquas de rectoribus civitatum, quia præcepta trado generalia, in quavis reip forma attendenda, sive unus quisquam imperet solus, sive plures, sive absoluta potestate utantur rectores, sive restricta in rep. mixta, & utcunque temperata. Primariam adduxi rationem proprii regiminis, præter quam plures aliæ dantur itidem non spernendæ, & facilius in mentem venientes, v. c. de similitudine cum dei gubernatione mundi, de gloria & utilitate majore in rectores civitatum ex proprio regimine redundantes, quam ex alieno. Priori casu haud immerito communicantur laudes cum illis, quorum opera sunt usi, & cum fortuna, quæ, quidquid prospere est gestum, id pæne omne dicit suum. Sed totum illud, quod rectores ipsi gessere, cedit ipsorum laudi indubiæ, e qua alius nihil sibi decerpere potest, nisi quod divini numinis providentiæ & beneficio prorsus est tribuendum. Præterea & damnorum multiplicium ratio est habenda, quæ ex aliorum seu errore seu malitia secus & contra id fiunt,

quod prudentia regnandi dictat. *Plato* igitur haud procul ab *initio Politici* genus regum ponit in arte per se ipsam regnandi.

§. 27.

Quando alieno.

Ubi vero physice aut moraliter fieri nequit, ut rectores civitatum suo marte utantur, ibi utique opus est, ut alieno marte vel auxilio utantur in regenda rep. Quæ enim ultra vires sunt, ad ea nemo obligatur (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ultra vires sunt, quæ physice fieri nequeunt, quia vires ad illa non sufficiunt, aut & illa existere nequeunt (§. 132. *Ontol.*). Quæ moraliter fieri nequeunt, ea salvis legibus & salvo officio prorsus aut melius fieri nequeunt, seu excedunt vires morales (§. 115. & 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare nec fieri a nobis debent, nisi per alios, quibus ea demandemus, fieri aut melius expediri possint. Quo casu utique obligamur ad ea per alios expedienda, nostro nomine, nostraque voluntate & autoritate, ut ipsi ea fecisse haud immerito censeamur. Quod eo magis in regenda rep. locum habet, quo minus cuncta in illa expedienda, ob nimiam multitudinem in unius, aut perpaucorum facultates & vires cadunt (§. 883. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 28.

Divisio Irenarchiæ.

Distribui jam ars & prudentia regnandi potest in eam, quæ proprio, & quæ alieno marte exercetur, aut exercenda est (§. 25. & 27.) Quarum illa αὐταρχία seu *irenarchia per se* vel *princeps* vocari potest, uti αυταναϛες & αὐτοκυριυς Rex & dominus per se, αὐτεπιτακτης imperans per se in *Platonis Politico dialogo* & αὐτεργος ipse per se aliquid faciens appellatur. Latine prudentia suismet auspiciis regnandi, aut simpliciter prudentia regnandi dicatur. Hæc autem irenarchia vicaria, quia per

per alios, nempe vicarios, exercetur, dici poſſet. Quia qui alio nomine rempublicam curant, adminiſtri Rectorum civitatis audire ſolent: poſſet quoque irenarchia vicaria innui per prudentiam adminiſtrandi vel adminiſtram. Ea propter fas erit, irenarchiam noſtram duabus ſectionibus emetiri, quarum prior exhibeat autarchiam, vel autarchicam regnandi prudentiam, quam *Plato c. I.* vocat αυἰεπιτακτικην (τεχνην); poſterior prudentiam adminiſtrandi remp. vel irenarchiam vicariam.

Data opera hic ſeponimus polemicam prudentiam ſeu polemarchiam (§. 1.), ex jure belli derivandam, quæ intra hujus Tomi cancellos includi nequit, ob tantam, quantam complectitur, copiam rerum & præceptorum, quæ dudum aliis plures Tomos conſcribendi materiam ſuppeditavit. *Livius L. I. c. 49.* ſcribit: Tarquinius regnare occepit . . . . cognitiones rerum capitalium ſine conſiliis per ſe exercebat. Qui *L. II. c. 43.* monet: excellentibus ingeniis citius deeſſe artem, qua cives regant, quam qua hoſtem ſuperent. αυἰαρχα aptius videtur vocabulum, quam αυἰεπιτακτης, ob analogiam cum monarcha &c. Legi illud quoque in quodam libro, ſed locum nunc reperire nequeo. Si cui id non arridet in ſequentibus, ubi eo utar, is ſubſtituat aliud melius, quodcunque ipſi arridebit.

SECTIO

SECTIO I.
DE

PRUDENTIA REGNANDI PER SE.

CAPUT I.
DE

Autarchia, vel principe regnandi prudentia, in genere.

§. 29.

Naturales autarcharum dotes.

Autarchia vel prudentia regnandi per ſe, egregias requirit ingenii dotes, quibus conſimiles corporis dotes eximium addunt decus & ornamentum. Prudentia enim regnandi per ſe proprio utitur marte in regenda republica (§ 28.). Ideoque & proprio vel ſuopte ingenio tunc exercetur (§. 25.). Sed exerceri ingenium nequit, niſi inſit; & ineſſe nequit, niſi ingenitum fuerit & naturale, vel a Deo beneficio naturæ conceſſum, quod res ipſa planum facit. Jam quidem nemo hominum eſt, cui non quoddam ſit ingenium, nec illo prorſus deſtitutus, homo vocari poſſet. Sed dubitare quis poteſt, quin vulgare ingenium ad artem regnandi ineptum; eximia autem ingenia ad regnandum idonea nata ſint? Quare quia multæ requiruntur facultates ſeu dotes naturales ingenii, quas nemo ſibi vel aliis dare poteſt, ut homo res magnas gerere poſſit, uſu rerum hujusmodi locuplete teſte: aliter ſtatui nequit, quam per ſe regnandi prudentiam primario egregias poſtulare ingenii dotes, cum per eam res maximæ ſint gerendæ.

Corporis quidem dotes egregiæ ad autarchiam non

æque

æque ſunt neceſſariæ, dum animus rector eſt & corporis ſui & reip. Ea propter & ſine illis prudentia per ſe regnandi haud minus curandis cunctis ſalutis publicæ partibus præeſſe poteſt, ac ſi iisdem gauderet moderator civitatis. Si tamen præter egregias animi dotes una adſint egregiæ corporis dotes, quin illis hæ reſpondeant decusque externum & ornamentum eximium ad conciliandam ipſis gratiam amabilitatemque addant, omni majus eſt dubitatione.

Animus, inquit *Salluſtius c. 1. 2. belli Jugurth.* dux atque imperator vitæ mortalium eſt . . . Præclara facies, vis corporis & alia omnia hujusce modi brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora immortalia ſunt. Corporis & fortunæ bonorum uti initium ſic finis eſt. Animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit & habet cuncta, neque ipſe habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu atque ſocordia torpeſcere ſinunt, cum præſertim tam multæ variæque ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paratur. Idem *c. 1. belli Catilin.* Noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum beluis commune. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quærere. Initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diverſi, pars ingenium, alii corpus exercebant . . . Quodſi regum atque imperatorum virtus in pace ita, uti in bello, valeret, æquabilius atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac miſceri omnia cerneres. *Cicero in Conſol.* corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio corporis indiget. Sed neque animus æger bene gubernabit, neque affectum corpus animi recte parebit imperio. Id circo ipſi animi, magni refert, quali in corpore locati ſint. Pro *Archia c. 7.* ait: ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu prope divino per ſe ipſos

& moderatos & graves extitiſſe fateor. Etiam illud adjungo, ſæpius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Dudum *Plato L. VI. de Legg.* exile ingenium nihil unquam magni neque privatim neque publice efficere, obſervavit. Multo igitur minus par erit rebus maximis in rep. gerendis. Opus vero maximum inter homines & optimum eſt, beatam civium vitam perficere *L. VIII. ad Attic. Ep. 11.*

Movet oculos pulchritudo corporis, & delectat animos hoc ipſo, quod inter ſe partes omnes cum quodam lepore conſentiunt, nec poteſt quidquam minus latere, quam excellens forma. Ita Scipio Africanus propter egregium decus oris atque vultus ad imperandum natus videbatur. Tam admiranda Demetrii Poliorcetæ fertur fuiſſe ſpecies, ut ne pingendo, quidem eam quisquam imitari potuerit. Alcibiadem omnium ſuæ ætatis formoſiſſimum perhibent. Xerxis, Turni & Saulis ſtatura nemo procerior fuiſſe fertur. Auguſtus & David undecunque elegantiſſimo corpore gaviſi ſunt & eminuerunt. Quamobrem *Xenophon in Sympoſio* formæ elegantiam natura quiddam regium eſſe. Prout antiquitus regium conſcendere jubebantur faſtigium, qui eximia ſpecie corporis alios anteirent. Nam ad res magnas nati cenſebantur, quibus membrorum honorem ornatumque naturæ parens dediſſe videbatur ad interioris pulchritudinis & virtutis ſignificationem. Quod de Indis & Aethiopibus relatum legitur in *Ariſtotelis Polit. L. IV. c. 1.* Revera maximæ res non geruntur niſi maximo animo, ideoque ſimul res maximi animi dicuntur geri ab illis, qui resp. regunt, quod earum adminiſtratio latiſſime patet & ad plurimos pertinet, autore Ciceroneæ *L. I. de Offic. c. 26.*

§. 30.

Quid de corporis defectibus habendum?

Si quæ dotes corpori deſint, eas modo ingenium excellat, æquus rerum æſtimator haud deſiderabit; eosque defectus, ſi tanti videtur, moderator reip. variis modis celare poteſt. Etenim ad prudentiam per ſe regnandi in naturæ donis nihil magis facit, quam egregiæ ingenii dotes, parum autem & ſecundario tantum ad ejus orna-

ornamentum facit corporis forma egregia, ſtatura, integritas, valetudo, robur & excellentia univerſa, quæ majeſtatica dici conſuevit (§ 29.). Quæ quisquis novit, nec iniquus cenſor eſt, is utique a natura denegata corporis bona ad moderamen reip. non deſiderabit, eo quod ſalva ſalute publica ea abeſſe poſſe compertum habet.

Si tamen rectores reip. imperitorum & iniquorum cenſorum rationem quandam habendam putent, ad adimendam ipſis peccandi materiam, celare varios defectus naturales multis poſſunt modis, dum evitare potius, quam contemnere inepta judicia malunt. Magna eorum varietas majorem remediorum varietatem ſubminiſtrat, quibus enumerandis non opus eſt ut immororemur. Generatim ob negotiorum copiam abundantem raro & paucis tantum ſe conſpiciendos dant, & quando iter faciendum, vel modo incognito id fieri poteſt, vel operto, ſub quo libet, obtentu ſpecioſo.

Manifeſtum eſt, inquit *Plato* in *Politico*, quod rex manibus & univerſo reliquo corpore parum ad principatum valeat, ſi ad prudentiam referantur. Regem, inquit *Seneca in Thyeſte*, non faciunt opes, non veſtis tyriæ color, non frontis nota regiæ, non auro nitidæ trabes . . Mens regnum bona poſſidet. Ea, quibus corpus excellit, facillimas ſubeunt mutationes & ſeneſcunt. Animus vero bene imperando ſubinde prudentior evadit. Ita *Xenophon* in calce *Ageſilai*, eum homines docuiſſe refert, corporis quidem robur ſeneſcere, ſed animi vires in viris fortibus ſenectutis expertes eſſe. Vti & *Cicero L. IV. c.* 27. ad *Herennium*, aut morbo aut vetuſtate formæ dignitas defloreſcit, vel extinguitur. Ecquis igitur ſanus arbiter præſtantiam tam fluxam magnopere requirat in prudente civitatum rectore? Iphicrates fuit animo & corpore magno, imperatoriaque forma, ut ipſo adſpectu cuivis injiceret admirationem ſui. Saulis ſtatura erat tam procera, ut toto capite ſupra omnes emineret. Contra ea Ageſilaus naturam

ram quidem fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, ſed maliſicam nactus erat in corpore, exiguus & claudus altero pede, quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem, atque ignori faciem ejus cum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutem noverant, non poterant admirari ſatis. *Cætera* dabit Cornelius in ejus vita.

§. 31.

Quando animus regimini impar ſit?

Deficientibus animi dotibus, ad prudenter regnandum requiſitis, per ſe regnandi prudentia locum non habebit, etiamſi corporis dotes regiæ excellunt. Animus quippe eſt, qui ſuis facultatibus regit, & corpus, at corpus æque regere nequit, ac ſtipes aut truncus (§. 29. *ſeq.*). Dum vero bene regit animus, iis inſtructus eſt dotibus h. e. facultatibus egregiis, ſine quibus regere neſcit. Quibus ſi deſtitutus eſt, non poteſt non prudenti regimini impar & eſſe & cenſeri (§. 716. *Ontol.*). Si cui igitur deſunt facultates animi, ad prudentiam regnandi neceſſariæ, is ipſi per ſe regnandi prudentiæ inidoneus erit, quantumvis corporis præſtantia antecellat (§. 30.).

Omnino illud honeſtum, quod ex animo quæritur excelſo magnificoque, animi efficitur non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio rationique poſſit in exſequendis negotiis. Honeſtum autem id (neque minus prudens), quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura & cogitatione, in quo non minorem utilitatem offerunt, qui togatæ reip. præſunt, quam qui bellum gerunt. Quæ verba *Tullii* habentur *L. I. de Offic. c. 23.* Qui paulo poſt ſubjungit: Hæc ſunt opera magni animi & excelſi, & prudentia conſilioque fidentis. Notandum autem, non omnem regnandi prudentiam ibi excludi, ubi animus egregiis iſtis facultatibus caret: quia tantum per ſe regendi civitatem prudentiæ locum ibi non eſſe oſtenſum eſt.

§. 32.

Quia deficientibus animi dotibus, ad prudenter regnandum necessariis, suo marte regnandi prudentiæ locus non datur (§. 31.); & ubi fieri nequit, ut rectores civitatum suo marte utantur, ibi opus est, ut alieno marte in regenda rep. utantur (§. 27): *manifestum est, deficientibus animi facultatibus, ad prudentiam regnandi facientibus, alieno marte in regenda rep. utendum esse.* *Et vicario imperio locum det?*

De variis causis casibusque deficientis regii animi excellentiæ in altera sectione rectius exponetur, quam in hac, ubi, quando suopte ingenio regnare liceat & fas sit, enarrandum est. Inducunt ejusmodi casus vicarii regiminis necessitatem, quoties adimendi imperii, aut non admittendi ejusdem rationes haud suppetunt.

§. 33.

Licet animus egregiis excellat regnandi dotibus, illarum tamen cultura eximia opus est, ut par evadat, iisdem quam optime exercendis. Animi enim dotes regnandi quanquam egregiæ, non tamen sunt nisi facultates naturales (§. 29.). Quæ si incultæ relinquantur, sunt instar agrorum haud cultorum, infelici lolio luxuriantium, abusu suo, aut sterilium & otiosorum in usus neglectu. Quod exempla hominum, inter feras adultorum, extra dubium posuere. Sed quisquis culpam vitare vult in edendis actionibus suis, omnem facere debet facultatum suarum usum, quem habere possunt, & ut facere possit, omnem dare debet operam (§. 642. *P. II. Philos. pract. univ.*). Vt vero omnem amplissimumque earum usum facere possit, id fieri nequit, nisi perficiendo & accommodando eas ad habitus (§. 428. *Psychol. empir.*). Qua in re quia consistit cultura facultatum naturalium (§. 209. *P. I. Jur. nat.*), perspicuum est, licet animus egregiis regnandi dotibus emineat, illarum tamen summa cultura opus esse, ut par evadat illis quam amplissime & optime exercendis. *Cur opus sit dotium regnandi cultura summa?*

 Si qui

Si qui naturæ muneribus ita habiles sunt, ut facilitate eximia gaudeant ad promte utendum sua facultate, modo exemplo incitentur ad illud imitandum; illi tamen usu perfectiori & habitu carebunt, quando nulla gavisi sunt disciplina. Vix concedi *Tullio* potest, quod *pro Archia* dixit *c.* 7. multos homines tam excellenti animo ac virtute fuisse, ut sine doctrina naturæ ipsius habitu prope divino & moderati & graves extiterint, nisi loquitur de doctrina in scholis distinctiori. Alias si caruissent doctrina vulgari, ne quidem tales extitissent. Attamen si ad naturam eorum eximiam & illustrem accessisset ratio & confirmatio exactior doctrinæ, omnino multo præclarior ac singularis eorum virtus exstitisset. Cernere idem licet in omni alia facultate humana, quæ si inculta maneat, nihil fere prodest homini, ut ea propemodum carere videatur, vel si exserere illam incipit, vix quidquam ea dignum, nisi plane noxium per inscitiam efficiat.

§. 34.

A puero incipienda.

Suo marte regnaturi egregiis ingenii dotibus instructi, a puero instituendi exercendique sunt, ut bene uti iisdem, & ab earum neglectu abusuque abhorrere discant. Quamvis nempe animus egregiis regnandi dotibus excellit, illarum tamen cultura opus est, ut par evadat iisdem, quam optime exercendis (§. 33.). Sed cultura ista efficiendum est, ut facultates in habitus adolescant (§. 428. *Psychol. empir.*). Et ut perduci ad habitus possint, cultura ab aliis adhibenda est, ope institutionis, & præeuntis in agendo exempli, quod ex prima statim operatione intellectus excolenda patet (§. 256. *Oecon.*), & similiter in cæteris ejus operationibus, quæ sine prima dari nequeunt, obtinet. Sed nuda quoque institutio & exemplum ostensum non præstabit habitum, nisi accedat imitatio, exercitatioque crebra, subinde emendanda (§. 430. *seqq. Psychol. empir.*). Quæ cum facilius instituatur & obtineatur, teste experientia, si a puero statim incipiatur, exerceaturque & emendetur idemtidem, ut faculta-

tibus

tibus naturalibus eximiis præditi iisdem bene uti discant, & ab earum neglectu abusuque abhorreant. Idem ergo observandum erit, si egregiis ad regnandum dotibus nati ad suopte ingenio quondam regnandum excolendi, & habitibus illas quam optime exercendi, debite imbuendi perficiendique sunt.

Habitum, inquit *Cicero L. I. de Invent. rhet. c. 25.* appellamus animi aut corporis constantem & absolutam aliqua in re perfectionem, ut artis virtutisque, item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio industriaque partam. Studium autem dicit assiduam animi ad aliquam rem magna cum voluntate applicatam occupationem, & *L. II. c. 9.* habitus in aliqua perfecta & constanti animi aut corporis absolutione consistit. Idem vero fatetur, se artibus a puero deditum fuisse, & Cæsaris pueri mirificam deprædicat virtutis indolem. Vti ad omnes alias artes a puero præparandi & condocefaciendi sunt animi, ita multo magis id fieri debet in arte magna prudenter regnandi addiscenda, ad habitus omnes, quibus illa indiget, comparandos. De quibus mox erunt plura præcipienda. Neglectus hujus culturæ animum relinquit ignarum eorum, quæ agere posset & deberet, ideoque ineptum ad bene utendum facultatibus suis; aut, si temerarius est, præceps & audaculus, pronum ad prave utendum iisdem, ex proclivitate naturali ad ea, quæ affectibus suis arrident.

§. 35.

Cultura ista sapienter instituenda est pro captus & ætatis modulo. *Sapienter captui accommodanda.*

Si cultura sapienter instituatur, finem sibi præstituit legitimum & naturæ convenientem, idoneis utitur ad eum consequendum subsidiis, & ordine aptissimo (§. 678. *Psychol. rat.*). Sed nec finis nec modus eum consequendi conveniet naturæ ingenii excolendi, nisi captus & ætatis modulo accommodetur; ne vel nimium urgendo audendove obruatur & succumbat moli ingenium; vel turpi otio & negligentiæ & ineptiis indulgeat,

geat, ac rude maneat. Qua de re cultura ingenii ſapienter inſtituenda eſt pro captus ſimul & ætatis modulo, ne a ſcopo aberretur.

Captus ingeniorum etiam regiorum & ſummorum gradu eſt admodum diverſus, licet ætas ad certas claſſes revocari poſſet. Hinc ſapientia & prudentia opus eſt, ex cujusque indole conſilia capiente, quæ ratio colendi ingenium datum præſtitura ſit cæteris, & quid optimum factu ſit futurum. Id quod tum ſumma ratio eligit, ad exactam transferendum eſt exſecutionem, niſi quibusdam mutatis, aliud melius occurrat uſusque commonſtret. Vti ipſa ætatis minoris vel provectioris ratio in ejusdem ingenii cultura paulatim alia atque alia depoſcit.

§. 36.

Debita ephoria juvanda exploranda-que.

Rite præſcripta ingenii per ſe regnaturi cultura indiget inſpectione fida & exploratione, num præcepta, ut par eſt, ad ſcopum obtinendum attemperentur. Eſt enim cultura hujusmodi ingenii pro captus & ætatis modulo ſapienter inſtituenda, ideoque non niſi idoneis modis procuranda (§. 35.). Sed multum intereſt, utrum ſapienter præſcriptæ ingenii culturæ ſatisfiat, nec ne? Si eidem prorſus non obtemperetur, idem eſt, acſi non eſſet præſcripta, & ſcopus plane intervertitur. Si illi parum ſatis ſit, major aut magna pars ejusdem irrita & fruſtra erit injuncta, & a ſcopo multum aberratur (§. 187. *P. II. Phil. pract. univ.*). Id quod & res ipſa planum facit. Ne id igitur contingat, præſcripta ingenii per ſe regnaturi cultura indiget inſpectione fideli, qua liquido conſtet, quid fiat in illa, & quid non fiat, num, quod fit, normæ ſit conſentaneum an adverſum? Neque in eo tantum eſt adquieſcendum, ſed examinandi quoque ſunt profectus culturæ, quales quantique ſint, ut eo melius innoteſcat, num quid in illa cultura mutandum occurrat? Idcirco & profectuum exploratione opus eſt, ut, quam fructuoſa fuerit cultura, intelligatur.

Duplex

Duplex commodum exploratio ſubinde inſtituta affert. Non enim tantum docet, quid egerit, & quomodo ſuis partibus præfuerit formator culturæ, aut ſi plures ſint, ejus formatores; ſed & profectus docent, quid fecerit excolendus? Quod ſi juſtum adhibeatur judicium, innoteſcentis culpæ forſan admiſſæ autor, poſitis in medio rationibus ſimul detegetur, ut corrigi poſſit, aut, flagitante neceſſitate, removeri. Ex ſolo profectuum defectu animadverſo nondum liquet, cujus culpæ is defectus ſit tribuendus? Quo magis neceſſaria eſſe perſpicitur exploratio, ad cauſas defectuum in exſecutione porrecta.

§. 37.

Tollenda ſunt culturæ hujus impedimenta.

E medio tollenda ſunt hujus culturæ impedimenta, ſimul ut emergunt ac innoteſcunt. Impedimenta enim continent rationem, cur non fiat id, cujus ſufficiens aderat ratio (§. 726. *Ontol.*), ideoque vel edunt actionem actioni agentis contrariam, vel ſua præſentia in cauſa ſunt, ne acturus agat, & utroque modo non ſequitur actio alias ſecutura (§. 188. *P. II. Philoſ. pract. univ.*). Qua propter culturæ noſtræ impedimenta in cauſa ſunt, quo minus cultura præſtetur, quæ alias præſtita fuiſſet. Irritam igitur reddunt culturam ingenii excelſi impedimenta emergentia & innoteſcentia. Quod cum culturam ipſam tollat, quæ adhibenda eſt & probe obſervanda, & detegenda ſunt illa impedimenta, & animadvertenda, dum emergunt, ut tolli e medio poſſint. Ne noceant igitur impedimenta ingeniorum culturæ, ſunt illa e medio tollenda.

Quoniam impedimenta vel finem impediunt, vel modum, & quæcunque faciunt ad finem conſequendum: culturæ ingenii impedimenta quoque vel culturam ipſam tollunt, vel modos & ſubſidia illam aſſequendi. Vtrumque genus cum æque noxium ſit, & ſcopo officiat, æque vitandum tollendumque eſſe, pro certo habendum eſt.

§. 38.

Ope debitorum remediorum.

Dum e medio tollenda ſunt culturæ ingeniorum per ſe regnaturorum impedimenta, ſimul ut innoteſcunt (§. 37.); tolluntur autem e medio ope remediorum illis oppoſitorum (§. 194. *P. I. Phil. pract. univ.*): patet, *opponenda eſſe impedimentis remedia juſta*, ſeu paria illis removendis. Obvertendæ ergo illis ſunt *actiones impedimentis contrariæ*, vel tales, quibus efficitur, *ut removeantur* (§. 195. *ibid.*).

Quia impedimenta proficiſcuntur ab actionibus hominum alterutrius ſexus, ſive in commiſſione eorum conſiſtant, quæ fieri non debent, ſive in omiſſione illorum, quæ fieri debebunt aut debuiſſent: vel removendæ ſunt ipſæ perſonæ a commercio illius, quem corrumpunt, vel pœnis aut earum comminationibus coërcendæ, ne quid ſimile in poſterum admittant. Poſſunt nempe perſonæ ingenio expoliendo adjunctæ vel ignorantia vel affectu, ad devia prono, abuti ſui commodi cauſa, v. g. ut otio & commoditati indulgeant, quo ſint ei, cui indulgent, gratioſiores, & propter ipſius regnandi imperitiam aliquando ipſi regnare poſſint, perſuaſuri eidem, quidquid velint; vel ut libidini voluptatum quarumque, quibus eum capi ſentiunt, cujus culturæ perficiendæ operam dare deberent, pabula ſubminiſtrent, quibus magis magisque iisdem irretiatur & ineſcetur. Quod multo magis cavendum, ſi plures adulatores in ſeductionem animi boni conſpirare deprehendantur.

§. 39.

Via culturæ ſit compendiaria.

In ipſa vero cultura ineunda eſt via compendiaria ad informandam civilem ſapientiam prudentiamque. Neque enim alia cultura opus eſt, quam qua animus par evadat excellentibus animi facultatibus in autarchia quam optime exercendis (§. 33.), eaque captus & ætatis modulo ita eſt attemperanda, ut eius rectus uſus promoveatur, abuſus vero præcaveatur (§. 34. *ſeq.*), & obſtacula uſus removeantur (§. 37.). Quia vero non opus eſt

amba-

ambagibus, ubi sunt compendia præsto; sapientis culturæ institutioni executionique nihil conducibilius est, quam ut inutiles fugiantur ambages, & via culturæ informandæque animo regnandi sapientiæ prudentiæque ineatur recta, quæ est omnium brevissima & compendiaria; modo caveatur, ne compendia degenerent in dispendia.

Haberet tota hæc ratio formandi sapientiam prudentiamque civilem per se regnaturi, multas cautiones, æque ac verorum compendiorum evolutio exactior. Quæ cum illis sit relinquenda, qui data opera principum culturam educationemque vel jam pertractarunt, vel tractaturi & illustraturi sunt posthæc: hic sufficit, præcipua illius principia ostendisse, & digitum velut intendisse ad potiora ejus momenta.

§. 40.

Exerceri autem optime per se ars regnandi & excellere nequit, nisi summarum virtutum aliis exemplo futurarum ope. Requirit enim prudentia regnandi per se & egregias animi facultates (§. 29), & earum hujusmodi culturam, qua facultates ad amplissimum optimumque usum perducantur (§. 33.) Quod cum fieri nequeat, nisi in habitus haud vulgares aliis exemplo & incitamento futuros adolescant, & identidem ulterius perficiantur (§. 428 *Psych. empir.*), qui, dum menti insunt, virtutes appellantur (§. 321. *P. I. Phil. pract. univ.*): perspicuum est, virtutes illas esse comparandas, sine quibus prudentia regnandi per se quam optime exerceri, ideoque ipsa prudentia summa esse & excellere inter autarchas nequit. Quæ virtutes, quia res maximas & summas, & summam rerum, ubi datur, regere quam optime debent, non nisi summæ inter virtutes civiles existimari dicique possunt aliis exemplo futuræ: cum illis in virtutibus erga alios homines, ampliores, præstantiores, sublimioresque non dentur (§. 11. *P. I. Polit.*), inter plerosque scilicet civitatum rectores (§. 1003. *P. VIII. Jur. nat.*).

Et ad summas ducat virtutes.

Quanti ſit res momenti, ut rectores civitatum vel ſubditorum aliorumve principum cauſa ſummis emineant virtutibus, olim paganos ſana ratio docuit. Inter quos legibus romanis hæc ſciſcebantur: *is ordo* (magiſtratuum) *vitio careto, cæteris ſpecimen eſto.* In *Ciceronis Lib. III. de Leg. c. 3.* In poſtrema verba Tullius hæc commentatur *c. 13.* Si eſt ſpecimen cæteris, tenemus omnia. Vt enim cupiditatibus principum & vitiis infici ſolet tota civitas; ſic emendari & corrigi continentia . . . . Et *c. 14.* nec tantum mali eſt peccare principem (quanquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum), quantum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualescunque ſummi civitatis viri fuerunt, talem fuiſſe civitatem; quæcunque mutatio morum in principibus exſtiterit, eandem in populo ſecuturam. Idque haud paullo eſt verius, quam quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum ſtatus. Ego autem nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo pernicioſius de rep. merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed & ea transfundunt in civitatem; neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, plusque exemplo, quam peccato nocent . . Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coanguſtari etiam poteſt. Pauci enim atque admodum pauci, honore & gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere poſſunt.

§. 41.

Easque regias & pæne divinas.

Summæ virtutes civiles, ſine quibus prudentia per ſe imperandi dari nequit (§. 40.), quia regendis non tantum innumeris hominibus ſed & rebus publicis graviſſimisque occupantur, & regibus ineſſe debent, haud immerito *virtutes regiæ* appellantur. Quatenus vero virtutes Dei, univerſum hoc ſapientiſſime regentis, imitari debent, & vicibus Dei fungi, eatenus quoque *divinæ* ſalutari poſſunt *virtutes* (§. 30. *P. I. Polit.*).

Dudum monuit *Plato in Politico*, ſcientiam imperatoriam & regiam, per ſe imperantem, ineſſe homini poſſe, ſive principatum gerat, ſive non gerat; ſive magiſtratus ſit, ſive perſona privata. Id quod de omni arte & virtute ſumma politica eodem jure dici poteſt. *Cicero pro Rege Dejotaro c. 9.* omnes in illo eſſe virtutes regias contendit, & præcipue ſingularis & admiranda frugalitas, qua non ſoleant laudari reges, quia frugi hominem eſſe, privata virtus cenſetur. Ipſe & frugalitatem, id eſt modeſtiam & temperantiam maximam judicat eſſe virtutem. Idem obſervavit *Salomo*, & luculentius edixit *Cohelet. X. 5-7.*

§. 42.

Virtutes regiæ ſublimitatem perfectionis vel mentis, vel voluntatis ſibi propoſitam habent. Priores in coelum extollunt facultatem cognoſcendi & intelligendi, dicunturque *theoreticæ*, vel *contemplativæ*. Poſteriores abſolvunt culturam faſtigiumque facultatis appetendi, & *practicæ* appellantur, vel *activæ*, quibus latinis denominationibus uſus eſt *Seneca Ep. 95.* *Theoreticas & practicas.*

Qui ſummæ rerum præſunt, etiamſi reges ſint & imperatores, homines ſunt, ideoque mentis gaudent facultatibus cognoſcendi & appetendi, ut cæteri homines. Idcirco & virtutes, ad quas evehendæ ſunt facultates, uti aliorum hominum virtutes, vel contemplativæ ſunt, vel activæ. Gradu tamen ſupra alios homines ut æque emineant ſtudere debent, ac dignitas eorum anteit cæteras dignitates civiles, quoad patitur captus ætasque (§. 35.). Neceſſitas præſtantiæ harum virtutum ex magnitudine ſcopi innoteſcit, qui eſt quam optime regenda per ſe ſalus civitatis, ſeu reip. univerſæ, a quo & civilis ſcientia, ſeu Politica, reliquarum diſciplinarum princeps & regina ſalutari meretur (§. 18. *P. I. Polit.*).

§. 43.

Eo quod autarchia dari nequit ſine egregiis mentis facultatibus (§. 29.), quæ in habitus & virtutes ſummas regias- *Explorandæ ante omnia*

Sunt facultates cognoscendi. que sunt evehendæ (§. 40 *seq.*): theoreticarum virtutum facultates præcipuæ, unde nasci debent, erunt ante omnia noscendæ & explorandæ. Superstruendæ enim sunt virtutes practicæ, tanquam solido fundamento, quia voluntas perfici nequit, nisi prius perficiatur intellectus (§ 13. 149. & 161 *P. I. Ethic.*), ideoque habitibus recte utendi suis facultatibus instruatur (§. 94. *ibid.*) & (§ 209. *P. I. Jur. nat.*). Qui habitus recte utendi intelligendi facultatibus, sunt virtutes contemplativæ (§. 142. *ibid.*). Hæ virtutes igitur dari nequeunt, nisi insint facultates iisdem perficiendæ. *Ante omnia igitur noscendæ explorandæque sunt facultates cognoscendi naturæ Deique beneficio insitæ, non tantum quæ sint, sed & quales quantæque sint, ut constet, quænam excellere usu amplissimo præ cæteris*, ideoque *in summas virtutes evehi possint.*

Dividi solent facultates cognoscendi in superiores, intermedias & inferiores. Hæ occupantur in cognitione clara, sed confusa. Illæ ad tollendam sensim confusionem faciunt, itaque gradum muniunt ad cognitionem distinctam, quam istæ præstant, absolvuntque pro viribus. Intellectum vero uti non suis tantum, sed & ministerio facultatum cognoscendi inferiorum & mediarum, evictum est (§. 14. *P. I. Ethic.*).

§. 44.

Quænam sint præcipuæ facultates cognoscendi? Sunt autem facultates inferiores cognoscendi in sensibus, imaginatione, quæ fictiones complectitur, & memoria animali, vel communi homini cum bestiis; mediæ sunt facultates attendendi & reflectendi, seu contemplandi & secum considerandi. Superiores sunt facultates cognoscendi distincte seu intelligendi, ut pote primitivæ facultas simpliciter apprehendendi seu distincte concipiendi rem unicam, facultas judicandi, facultas ratiocinandi. E quibus emergunt facultates derivativæ seu mixtæ eque prioribus compositæ quasi, uti, facultas probandi & demonstrandi, refutandi, disputandi, reminiscendi, meditandi, inve-

inveniendi, pro arbitrio determinandi & ordinandi ſeries cogitationum, conjectandi, ſapiendi, providendi, calculandi, metiendi, poëmata, orationes & libros efficiendi, dirigendi locomotivam facultatem ſaltandi, canendi, loquendi, docendi, ſcribendi, pingendi, differendi, diſputandi, imperandi, &c.

§. 45.

Quæ & quatenus ſint excolendæ.

Per ſe regnaturo expedit, ſi omnes facultates cognoſcendi, quantum in unius hominis vires cadit, probe habeat excultas, ut ſingulis habitibus eorumque gradibus & poſſeſſoribus ſuum poſſit ſtatuere pretium ex uſu, quem habere poſſunt in civitate, ad illius ſalutem provehendam. Per ſe enim regnaturus ſuopte ingenio ſuoque marte judicare debet de ſingulis, quæ in rep. vel admittenda ſunt, vel dirigenda ad ejus ſalutem, & optima quæque factu ſequi (§. 25.). Si nihil aut parum perſpectum habet, quo loco, gradu, aut pretio uſus habituum adquiſitorum in rep. ſit habendus, neceſſum erit, ut cœca fide aliis credat, quidquid ipſis placet illi perſuadere, & ſecundum illorum placita de illis ſtatuat. Quo ipſo in his non per ſe regnabit, ſed per illos alios, quorum autoritatem ſequitur. Qua propter ſi per ſemet ipſum regnare velit, in quibuscunque rebus fieri poteſt, admodum ipſi expediet, ſi omnes facultates cognoſcendi earumque habitus eatenus pro virili ſua excoluerit, ut de ipſorum gradu perfectionis, aut defectibus, & pretio uſus, quem ad reip. ſalutem aut jam conferunt, aut emendati conferre poſſent, veriſſime judicare, & ſic ſuum cuique tribuere poſſit.

Diſerte non exigimus in per ſe regnaturo & regnante quidquam, quod vires ipſius excedat, aut nimium noxiumque dici poſſet; ſed quod commode conſequi & fructuoſe exercere valet. Neque id adeo difficile eſt, cum non opus ſit, ut omnes illos habitus ipſe perfecte poſſideat, & in eorum exercitio excellat; ſed ſufficiat, ſi generalia eorum principia & indicia excellentiæ

falli

falli nescia in eorum usu perspecta habeat, in operibus illico animadvertere, & probe ab illis dignoscere valeat, quæ defectum produnt. Quorum posterius experientia debite adhibita clare satis ostendet. Neque difficile erit, specimina maximæ præstantiæ & alia defectuum ad manum & in promtu habere, ope quorum critica illa facultas erroris expers evadat. Nonnullis quoque salvo decore uti licet ad animum relaxandum, a curis ordinariis gravioris momenti, ipsaque variatione habituum exercendorum oblectandi.

§. 46.

Qui habitus cognoscendi sint necessarii?

Illi vero habitus cognoscendi, sine quibus prudentia per se feliciter regnandi dari nequit, utique & adquirendi sunt, & quam optime perficiendi. Si enim prudentia per se regnandi sine quibusdam cognoscendi habitibus exerceri feliciter nequit, neque exercebitur feliciter (§. 132. *Ontol.*). Ergo aut plane non exercebitur, aut infeliciter & imprudenter; ideoque prudentia suo marte regnandi eatenus deerit ipsi (§. 28). Qua propter si & in his prudentia regnandi exercenda per se est, ut hypothesis habet, illi habitus cognoscendi ea, in quibus prudentia regnandi exhibenda est, omnino erunt pro viribus adquirendi, perficiendique, quoad ejus fieri potest (§. 40.).

§. 47.

Quinam sensuum habitus sint adhibendi?

Ratione sensuum a regnaturo per semet ipsum, caute conservandus est sensoriorum vigor & integritas; ampliandus accurato eorum exercitio, usus ac habitus genuinus; perficiendus quoque armis seu instrumentis optimis. Indiget enim per se regnaturus persæpe suis sensibus in negotiis publicis sub sensus cadentibus, & scopo suo accommodandis, ne ipsi alienis oculis videndum, alienis auribus audiendum, vel aliis credendum sit (§. 26.) Quare patet, ipsum indigere sanis & integris sentiendi organis, ideoque tuendam eorum integritatem, & vigorem esse caute conservandum (§. 941. *Ontol.*).

Enim-

Enimvero quia ſola integritas, & ſolus vigor ſenſuum non multum prodeſt, niſi propter uſum ampliſſimum dari & cuſtodiri deberet: curandum omnino eſt, ut uſus ſenſuum, quantus haberi poteſt, accurato eorum exercitio obtineatur. Nec minus opera danda eſt, ut idem ſubinde perficiatur, non tantum ſi nudis ſenſibus eſt utendum, verum etiam dum armatis opus eſt, ad ea cognoſcenda, quæ alias haudquaquam cognoſcerentur. Quo caſu & aptiſſimis inſtrumentis ad ſcopum certo conſequendum, eſt utendum, & optimus ea adhibendi modus habitusque in promtu eſſe debet.

Ex probatis §. 27. facile liquet, non eſſe hic ſermonem de illis rebus, quæ alieno marte ſunt comperiendæ, ſed de his, ubi potius propriis utendum eſt ſenſibus, ad res eo melius certiusque animadvertendas (§. 26.). Conducit accuratus ſenſuum uſus ad propriam experientiam adipiſcendam amplificandamque, uti ex ipſa notione experientiæ certum habetur. Et vel eo conſtat, quanto ſatius ſit, ſuis didiciſſe uti ſenſibus, quam præter rem confidere experientiæ alienæ nobis enarratæ.

§. 48.

Conſequendæ propriæ experientiæ cauſa. Quia prudentia regnandi propria indiget experientia (§. 21.), *multo magis prudentia per ſe regnandi eadem indigebit.* Sed cum experientia propria haberi nequeat, niſi longo & multiplici uſu ſenſuum, & habitu iisdem quam optime utendi parto: vel ex hoc manifeſtum eſt, ſenſuum uſum habitumque in rebus civilibus magis magisque eſſe perficiendum ab eo, qui ipſemet prudenter regnare velit, ut vitium ſubreptionis evitetur (§. 668. *Logic.*).

Quænam res ad civitatem ita pertineant, ut earum certior experientia, uſus cultusque multum civitati prodeſſe, neglectus vero obeſſe debeat, id pro civitatum diverſitate variat. Quocirca & quæ propria egeant civitatis rectorum experientia generatim definiri nequit, niſi uſu regulæ §. 26. *ſeq.* & 46. (*Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. I.*)

§. 49.

Item artis observandi & experimentorum causa.

Sicut in prudentia regnandi haud vulgari opus est arte inveniendi (§. 22.); & ars a posteriori inveniendi est ars observandi & experimenta capiendi (§. 457. *Psychol. empir.*): ita *in arte per se regnandi ars observandi politica & experimenta civilia instituendi non erit negligenda.* Cujus obtinendi causa iterum opus est debito usu sensuum & habitu, iisdem quam optime utendi practico.

Occurrunt in rep. & res innumeræ, & homines, quorum observatio saluti publicæ inservire potest, tum ad pericula inde metuenda, aut damna jam orta, avertenda; tum ad commoda inde speranda vel sperata consequenda, jam vero percepta conservanda & amplificanda. Quæ res manebunt inauctæ & in pristino statu, si vulgari tantum modo observentur. Sed si ars observandi accedat & prudentia, novi aut meliores, amplioresque earum usus detegentur. Hominum vero maxime circumfusorum & functionibus adhibitorum facta observare in arte regendi multiplicis est usus, ad consequendam officiorum præstationem, avertendamque negligentiæ & scelerum noxam haud raro perniciosam. Difficilium quidem experimentorum labor Academiæ scientiarum, aliisque potest committi, ut demum perfecta & ad usum satis accommodata in conspectum producantur, & sic ulterius de illis statui possit.

§. 50.

Ipsiusque intellectus ergo.

Indiget ipse intellectus frequenti ministerio sensuum in exercendis suis operationibus, (§. 14. *P. I. Ethic.*), & intellectum, uti par est, perfecturus, comparare sibi quoque debet habitus facultatum cognoscendi inferiorum (§. 15. *ibid.*). Quam ob rem quia regnaturo per se admodum expedit, si omnes cognoscendi facultates probe habeat excultas (§. 45.): *vel ob intellectum quam optime excolendum opus est, ut ministerium sensuum sit quam expeditissimum.*

§. 51.

§. 51.

Imaginatio & memoria per se regnaturi excolenda est habitibus linguarum ipsi necessariarum intellectu, si non & loquutu scriptuque. Etenim imaginatio, quatenus pristinarum sensionum revocationem in animum notat, vel & facultatem pristinas sensiones rerum absentium instaurandi, & memoria imaginatarum recognitionem, vel facultatem recognoscendi in animum revocata seu reversa, una conjunguntur & perficiuntur (§ 69. *P. I. Ethic.*). Quod non solum in cognitione confusa, sed & in distincta locum habet, ampliata nominum notione. Linguæ autem sunt res memoriæ, uti vernacula inde ab infantia discitur, quotidianæ experientiæ documento. Verum cum linguarum tanta sit copia, ut omnes ab uno disci nequerent, linguæ, ubi inutiles sunt, ibi non sunt discendæ, quod postulari jure potest, ut detur nobis. Non ergo nisi utilium & necessariarum linguarum peritia per se regnaturo erit adquirenda, quousque earum indiget, sive tantum ad eas intelligendas, sive & ad scribendas & loquendas. Ad linguas pertinent quoque Grammatica, rhetorica, poësis, calligraphia.

Phantasia & memoria perficiuntur utilibus linguis.

Possunt quidem principes interpretibus uti earum linguarum, quas ipsi non callent, salva autarchia. Sed tunc credendum est interpreti, qui, si velit, fallere potest. Neque igitur tam certa cognitio tunc habetur, ac haberi potest. Quid? quod falsa habebitur, si vel interpres fallere nolit, per ejus seu imperitiam linguæ, seu defectum debitæ attentionis & memoriæ. In linguis illorum populorum & regnorum, quibus cum raro admodum commercium seu literarum seu legationum intercedit, sufficiet, interprete uti dictorum scriptorumve. Cum quibus autem sæpe negotiandum est, ut cum vicinioribus civitatibus, earum linguam nosse satius est per se regnaturo, quam ignorare.

§. 52.

Et hiſtoriis pragmaticis.

Memoria quoque excolenda eſt hiſtoriarum pragmaticarum præſertim, domeſticarum rerum, vicinarum civitatum, & antiquarum celebriorum, apparatu habituque. Quia hiſtoriæ narrant res geſtas cum ſuis cauſis & eventibus, ſunt illæ ad prudentiam imperandi neceſſariæ (§. 21.): ideoque & ad prudentiam per ſe regnandi. Sunt vero & ipſæ qua tales non niſi res memoriæ, & ad memoriam utili cognitione excolendam comparatæ, quod per ſe patet. Quapropter memoria per ſe regnaturorum omnino exculta eſſe debet hiſtoriarum præſertim pragmaticarum & civilium copia, in primis rerum patriarum, geographicarum, heraldicarum, connexarum aliarum civitatum, earumque antiquiorum, quæ inter cæteras inclaruere.

Quatenus hiſtoria naturalis, eccleſiaſtica, literaria, & artificialis, item privata ſeu biographia ad prudentiam regiminis facit, eatenus nec illam eſſe negligendam, ſcopus ipſe docet *της αυτεπιτακτικης τεχνης*. Habitus memoriæ conſiſtunt in facilitate & celeritate memoriam rerum in ſuam poteſtatem redigendi, in promtitudine eas reddendi ſeu recitandi, & in diuturnitate eas retinendi, vel in habitu res arripiendi ſeu condendi, promendi & conſervandi. (§. 178. *ſeqq. Pſychol. empir.*) Quorſum nonnihil faciunt artificialis memoriæ adjumenta (§. 204. *ibid.*), ad memoriam intendendam, extendendamque ultra modum ſolitum, quando naturalis memoria nec ſatis bona, nec magna, nec firma eſt. Certe opera danda, ut oblivio & lapſus memoriæ in rebus magni momenti evitentur (§. 215. *ſeqq. ibid.*), ſecundum præcepta ibidem adiecta.

§. 53.

Quando facultates inferiores ſint excolendæ?

Quia hæ facultates, teſte experientia, ſe exſerunt & coli poſſunt, antequam cæteræ harum ope ſenſim adoleſcant; *cultura ſenſuum, imaginationis & memoriæ inde ab infantia in pueritia*

&

& ineunte adolescentia pro capitu indolis est moderanda (§. 250. *seqq. Oecon.*) & (§. 35.).

Curiositas naturalis fertur in res noscendas instinctu naturali (§. 34. *P. I. Ethic.*). Simul ac ea se exserere incipit, applicanda est ad res cognitu utiles, jucundas & in futura vita necessarias. Unde facultas loquendi, in lingua una ulterave excolenda est, ut primum illa se prodit, & avidam ostendit. Ne tamen confusio nascatur, non nisi linguæ duæ vel tres ad summum, diversis horis, & a diversis personis sunt modo facillimo inculcandæ, ludendo veluti. Quam ad rem historiæ facillimæ & jucundæ, non autem fabulæ aniles, adhibendæ sunt, ex novis publicis, & antiquis connexis petendæ. Similiter in historicis rebus discendis, seligenda sunt potiora, & præcavendum est, ne nimia multitudo obruat ingenium & confusum oriatur chaos. Moderandus ideo quoque est ardor ingenii præcocis, ne excessu laboris evadat perniciosus. Facere hunc in usum possent historiæ insignes civiles, &c. in capita politica digestæ.

§ 54.

Modus perficiendi attentionem & reflexionem.

Quemadmodum attentio præsentia animi & reflexio perficiuntur adquisito per institutionem, imitationem & emendationem exercitii habitu eas exercendi in requalibet, conservandi, quamdiu opus est, & ita defigendi in re proposita, ut alia ipsaque sensuum impedimenta eam haud turbent (§ 39. *P. I. Ethic.*): ita *ad eas initiandas & sensim accuratius exercendas faciunt arithmeticæ & geometriæ exercitationes, vel inter strepitus quosvis continuandæ, haud raro & absolvendæ.* (§. 41. *ibid.*). Id ostenditur de attentione, & eodem jure profertur ad ejus continuationem, presentiam nempe animi & usum liberiorem in reflexione (§. 257. *Psych. empir.*) & (§. 89. *P. I. Ethic.*). Quod inchoandum est in rebus visibilibus (§. 45. & 92. *ibid.*), ipsisque ludis, tum in cognitione symbolica proferendum quoque ope vocabulorum, rerum vices sustinentium, ad audita, lecta &

res abſentes (§. 93. *ibid.*). Senſim poſthac ad alias artes & faciliores amoenioresque philoſophicas veritates idem ſtudium eſt extendendum (§. 42. *ſeq. ibid.*). De præſentia animi infra §. 380. diſtinctius agetur.

Etiamſi reflexioni inſit conſideratio contemplatioque, hæc ipſa quoque ſine accurata attentione locum habere nequit. Hæc enim conſideratio res primo ſeorſum clare ſpectatas, deinde in ſua relatione inter ſe & cum re ipſa contemplatur, vel conjunctim contuetur & confert, ut & nexum ibi obvium clare animadvertat (§. 344. *Pſychol. empir.*). Fere quemadmodum ſiderum inter ſe relationes & ſitus contemplamur ad eo clariorem notionem eorum conſequendam, ideoque ſubinde animus revertitur ad prius jam percepta ſenſibus, accuratius internoſcenda a ſe invicem. Sed ibi plerumque in externis cum re conferendis ſubſiſtimus, hic ad inſita potiſſimum clare concipienda, diſcernenda, & in ſuo cum re ac inter ſe nexu animo informanda & paulatim denominanda (§. 96. *ibid.*) attenditur, & ſic gradus munitur ad diſtinctam cognitionem

§. 55.

Acuminis & profunditatis gradus.

Iam primæ operationi intelligendi facultatis perficiendæ inſervit acumen & profunditas. (§. 190. *P. I. Ethic.*) & (§. 340. *Pſychol. empir.*). Acumen ſi ut facultas ſpectatur, differt gradu potentiæ habilitatisque abdita plura & minutiora ſubtilioraque & citius in re diſcernendi; ſi ut habitus vel virtus, gradus ejus in ipſa notarum multitudine, ac ſubtilitate, & celeritate diſcernendi inſitas rei minutias ſeu (primas) ejus notas abſtruſas earumque relationes, conſpiciuntur. Unde acuminis magnitudo, ſubtilitas celeritasque nominantur (§. 332. *Pſychol. empir.*). Profunditas ceu virtus occupatur in diſcernendis notarum notis, h. e. notis ulterioribus, quæ ultra primas in re latent, ideoque cernitur in analyſi notionum (§. 340. *ibid.*). Cujus gradus æſtimantur ex gradibus reſolutio-

nis

nis vel notionum adæquatarum (§. 541. *ibid.*), ita ut quo longius quisquam in analysi progredi potest, quove adæquatiores habet notiones, eo sit profundior ejus perspicientia. Possunt etiam eius gradus æstimari ex distincta notarum cognitione. Uti ergo gradus distinctionis materiales remotiores ex rerum, propiores ex notarum in re quaque multitudine, & formales ex temporis & progressus ad ulteriores notas diversitate nascuntur (§. 276. *seqq. ibid.*): ita & profunditatis gradus materiales ex rerum adæquate conceptarum & notarum distinctarum numero, formales ex celeritate recessus & penetralia rerum intimiora perspiciendi, & ex ulteriori progressione ac penetratione, seu gradibus adæquationis pendent. Hinc nascitur profunditatis abyssus, seu celsitudo, celeritas, magnitudoque.

Agitur quidem in *Psychologia empir.* & in *P. I. Ethicæ* de acumine & profunditate, at de gradibus hic quædam enucleanda fuere, quæ ibi non sunt excussa: quoniam de sublimitate harum virtutum sermo hic esse debet, ut, quando & illæ summis virtutibus accensendæ sint, ostendi possit. Mirum non est, antiquiores hæc non tradere, cum natura mentis humanæ perparum ipsis explorata esset.

§. 56.

Quid summum sit in acumine & profunditate.

Acumen absolute summum & in omnibus, quæ dantur, & dari tantum vel non dari possunt, rebus, & in unaquaque earum quidquid differt, & discerni in primis ejus proximisque notis potest, simul, immutabiliter, subtilissime perfectissimeque discernit. Acumen vero inter homines summum quidquid humanis viribus in proximis rerum quarumque noscendarum notis discerni meretur, id accuratius, promtiusque, quam omnes reliqui homines, internoscit (§. 40.). Profunditas absolute summa rursus in omnibus, quæ cogitari possunt,

rebus,

rebus, ſive actu dentur, ſive dari tantum poſſint aut nequeant, omnes notas ulteriores ultimasque perfectiſſime, ſimul ſempiternumque perſpectiſſimas habet. Profunditas hominum ſumma rerum ſibi cognoſcendarum latebras vel notas ulteriores, quousque fieri habitu facultatum humanarum poteſt, perfectius promtiusque, quam ulli alii homines, penetrat, ideoque adaequatiſſimas, quæ in homines cadunt, rerum perſonarumque, tractandarum felicitatis cauſa, notiones animo complectitur. (§. 45.)

Summum hic conſideramus inter homines occurens, nec tam rigoroſe, ut unicum, ſupra quod inter omnes omnino homines majus meliusque dari non poſſet, quod difficillimum eſſet repertu, dijudicatuque. Sed latius dictum, quod in plures excellenti ingenio præditos & quam optime excultos ita cadit, ut jure meritoque inter præſtantiores emineant, etſi aliquatenus & ipſi gradu differant. Poteſt & hoc in diverſa diſtribui genera, habituum ratione, in quibus illa excellentia occurrit. Ita v. g. dari poteſt ſummus orator, poëta, criticus, mathematicus, ICtus, medicus &c. Hic ſpectamus ea, quæ in curanda rep. ſumma dici poſſunt, quæque in ſummis laudibus imperatorum, Regum, principum, & in genere rectorum civitatis ponuntur (§. 40.). Summum igitur erit acumen, ſummaque profunditas hoc loco, inter pleroſque rectores civitatis ita eminens, ut pauci tantum eo usque pertingant, at plerique infra illum gradum revera collocandi ſint, & longe poſt paucos illos egregios relinquantur. Simili hæc concipiuntur ratione, ac plures dantur fixæ, primæ magnitudinis, eminentiorisque ordinis, quæ alibi totidem ſoles eſſe merito cenſentur.

§. 57.

Quibus ad ſummum in his gradum

Rectoribus civitatum per ſe regnaturis enitendum eſt, ut ſummo gradu acuminis & profunditatis in rebus civilibus potiantur. Indigent enim cultura mentis eximia, ut pares evadant facultatibus

ſit adſpirandum?

bus ejus egregiis quam optime exercendis (§. 33.), ſummarum virtutum ope (§. 40.). Cum primæ operationis intellectus virtutes conſiſtant in acumine & profunditate (§. 55.), eæque ad ſummum quendam gradum perduci poſſint, qui in homines cadat (§. 56.): manifeſtum eſt, rectoribus civitatum, per ſe regnaturis, enitendum eſſe, ut ſummo earum gradu in rebus politicis publicisque potiantur.

§. 58.

Modus contendendi ad ſummum acumen.

Summum quoque acumen adquirendum perficiendumque eſt, ope cultioris attentionis reflexionisque (§. 185. *P. I. Ethic.*), *ad res politicas adhibitæ*, ſecundum exempla præſtantiſſimorum acutiſſimorumque in illis virorum. Quæ ſi ad notiones juſtas revocentur, ſi crebro exercitio, emendato ſubinde eorum, imitatio in habitum perducatur, & ſerio examinentur, antequam quid egregii viri ejus ope præſtiterint, utrum animus ad acumen adſuefaciendus, eadem per ſe obſervaſſet diſcreviſſetque, nec ne, & qua de cauſa; progreſſus ad ſummum ejus gradum exercitatione exactiore expeditior identidem evadet. In primis opera danda erit, ut acumen perſpiciendi notarum diſcrepantiam, convenientiam, defectum & abundantiam; item abſtracta in concretis, ſeu detegendi generales ſpecialesque rationes in exemplis latentes, obtineatur, cujus ope uſus illius multo evadet foecundior certiorque.

Nec ſubſiſtendum eſt intra intuitum vel ſenſum & phantaſiam tantum acutiorem plerisque civitatum rectoribus uſitatum, & ad denominanda quoque ea, quæ recte diſcreta fuere, adſuefactum (§. 189. *P. I. Ethic.*); ſed extendendum quoque acumen ad ea, quæ mens ſenſu interno & duce intellectu diſcernere in re data valet, & hæc quoque ſuis nominibus compellanda, ut in pleniorem poteſtatem animi redigantur. Quod in rebus ad civitatum ſalutem facientibus & regendis eo magis cu-

randum eſt, quo minus in his confuſa cognitio ſenſuum ad ſummum faſtigium adſcendere poteſt, & quo major gradus diſtinctæ cognitionis ad res tanti momenti afferendus eſt. Opus eſt ad acumen in rebus corporeis exercendum uſu armorum ſeu inſtrumentorum, ſenſuum miniſteria amplificantium, ut, quantum illud hujusmodi obſervationibus & experimentis quoque detexerit, & detegere porro poſſit, ipſis exemplis luculentiſſimis corroboretur. Nec minus huc facit acumen mathematicum egregiis exemplis comprobatum, quæ & in politicis uſui ſunt.

§. 59.

Commoda profunditatis civilis.

Indigent & excellunt per ſe regnantes ſumma profunditate civili. Illius enim ope abditas intimioresque rerum & perſonarum notas receſſusque penetrare & eruere promte poſſunt, quoad vires humanæ permittunt, (§. 56.). Sed ad eam perſpicientiam & promtam indagationem enitendum eſt per ſe regnaturis (§. 57.) Eadem igitur indigent, & ipſi jam regnantes commodis mactantur, & perpetuo ejus uſu lætantur. Quo magis igitur uſu ſummæ profunditatis pollent, quo adæquatiores ſunt rerum perſonarumque notiones ipſorum animis informatæ, & quo citius penetrare receſſus rerum, maximarum difficillimarumque, & velut ad vivum reſecare poſſunt: eo magis excellent & eminebunt inter ipſos per ſe regnantes. (§. 40.).

Non poteſt profunditatis marinæ notitia tam dici neceſſaria nautæ, ad juſtum tutumque iter inter ſcopulos tenendum, quam rectori civitatis profunditas civilis. Ea deficiente periclitatur navis, & naufragio facile perit. Sed hujus defectu non minus privati, ſed omnium, non navis ſed reip. ſalus in diſcrimen adducitur, ipſiusque rectoris civitatis, qui omnium inſtar eſt, niſi interimitur. Commoda profunditatis ſummæ enumerare cuncta, nimis longum foret, nec adeo difficilia ſunt perſpectu, ſi ejus notio ex §. 56. perſpecta habeatur. Non poſtremo loco habenda eſt, quam adduximus, præſtantia ea,

qua

qua alii per ſe regnantes eadem eo certius vincuntur, quo eminentior illa eſt. Eſt & illa utilitas haud exigui momenti, quod ejus ope rationes probandi & refutandi aſſerta eruuntur.

§. 60.

Modus obtinendi ſummam profunditatem civilem.

Aſſequendæ ſummæ profunditatis cauſa in rebus civilibus opus eſt notionum civilium perfrequenti analyſi in illas notas, quæ rationes veras ſufficientesque agendorum & fugiendorum evidenter ob oculos ponunt. Summa ſcilicet profunditas locum habere nequit ſine adæquatiſſima rerum perſonarumque idea, quæ regendæ ſunt (§. 56.). Sed adæquatæ rerum cogitationes dari nequeunt ſine diſtincta notarum cognitione (§. 95. *Logic.*). Nec diſtincta notarum cognitio locum habet ſine notarum reſolutione in eas, quas complectuntur, notas clare diſcernendas (§. 96. *ibid.*) & (§. 340. *Pſychol. empir.*). Et ſine habitu diſtinctas notiones formandi ea promte haberi nequit (§. 428. *ibid.*). Quapropter cum habitus non niſi frequenti exercitio obtineatur (§. 430. *Pſychol. empir.*), in rebus civilibus aſſequendæ ſummæ profunditatis cauſa opus eſt perfrequenti notionum civilium reſolutione in ejusmodi notas, quæ evidenter exhibent rationes rerum ſalutis publicæ gratia agendarum fugiendarumve.

§. 61.

Ejus ulterior evolutio.

Ut rerum civilium notiones promte reſolvi poſſint, *ordiendum eſt analyſeos exercitium a facilioribus notionibus jam ab aliis reſolutis* in ſyſtemate, v. c. arithmetico, geometrico, ſimilibusque; *progrediendum ad philoſophicas faciliores, & ſubſiſtendum tandem in primarum vel univerſaliſſimarum notionum reſolutione ontologica,* quæ ultimas omnium rerum notas exhibent. In omni enim habitu adquirendo auſpicandum eſt ab exercitiis facillimis, & ſenſim progrediendum ad difficiliora ex illis evidenter explicanda (§. 132. ſeqq. *Diſſ. prælim. Logic.*). Qua de re & in adquirenda ſumma profunditate politica initium erit faciendum

ab illis exercitiis, quæ ante nos alii jam exhibuere in disciplinis facilioribus, cujusmodi sunt elementa matheseos & philosophica (§. 288. & 298. *P. I. Ethic.*), cum ad exercitia, quibus profunditas intellectus comparatur, sufficit gradus infimus cognitionis veritatum mathematicarum (§. 292. *P. I. Ethic.*), & doctrina profundissima resolvitur in notiones philosophiæ primæ h. e. Ontologiæ (§. 296. *ibid.*).

§. 62.

Et productio ad alias mentis operationes.

Extendenda quoque est profunditas ad cæteras intellectus operationes, ut enuntiationes sequentes resolvantur in præcedentes, quæ earum rationem continent, analyses problematum probe excutiantur, item concatenationes ratiociniorum in demonstrationibus. Vti definitiones posteriores resolvendæ sunt in priores, ita & propositiones in antecedentes, & prægnantes ac complexæ in simpliciores, & latentes, quæ in & sub illis continentur, tanquam fœtus in gravidis animalibus (§. 289. *P. I. Ethic.*). De problematum resolutione in singula, quæ fieri debent, item sæpe in aliorum præcedentem analysin, idem comprobat §. 291. *ibid.* Nec minus demonstrationes & probationes resolvendæ sunt in suos syllogismos simplices, & principia prima, e quibus omnis vis dependet; supplenda sunt enthymemata, aliaque cryptica argumenta, epichiremata, dilemmata, soritæ, ut & de materiæ seu præmissarum veritate vel falsitate, & de formæ seu legitima seu vitiosa constitutione judicari possit (§. 551. *seqq.* & 958. *Logic.*). Quæ si ad prima usque principia continuentur, analysis erit ad finem perducta.

Hæc ratio fuisse videtur, cur in Ethicæ P. I. profunditas non statim post acumen pertractetur, sed demum post ingenium & soliditatem. Quia vero resolutio demonstrationum ad soliditatem adquirendam facit (§. 266. *seqq. P. I. Ethic.*), & ingenium profundum dicitur, quod cum profunditate intellectus est conjun-

junctum (§. 305. *ibid.*): non abs re profunditas his præmitti poteſt. Facile eſt, uſum facultatum & virtutum dein proferre ad alia ulteriora, poſtquam ejus uſus primarius fuit ad liquidum perductus. Sic & acuminis uſum ad ſecundam atque tertiam intellectus operationem transferri & ampliari poſſe, eo minus mirum videri debet, cum reliquæ operationes ſine prima dari & perfici nequeant. Ideoque virtutes primam operationem perficientes, omnino quoque inſerviunt cæteris virtutibus & operationibus perficiendis. Quemadmodum ad ingenii virtutem & profunditatem adquirendam quoque requiritur acumen (§. 233. & 301. *ibid.*), item ad ſcientiam obtinendam acumen & profunditas requiritur (§. 414. *ibid.*) *&c.*

§. 63.

De habitu judicandi perficiendo.

Secunda facultas & operatio mentis ſeu judicium intuens (intuitivum), perficitur habitu relationem duarum rerum generaliſſimam intelligendi, ſeu diſtincte perſpiciendi per earundem notas (§. 51. & 53. *Log.*). Quia relatione generaliſſima res earumque notiones vel conveniunt, vel non conveniunt, ſ. ſibi repugnant (§. 40. & 205. *ibid.*): opus eſt habitu perſpiciendi & convenientiam & repugnantiam duarum rerum in judicio perficiendo. Poteſt ars judiciaria vocari habitus perſpiciendi illico, quomodo duæ res ſe habeant ad ſe invicem, utrum conveniant, an pugnent inter ſe. Græco nomine *critica* diceretur, & ut diſcernatur a critica verbali ſeu philologica, *critica rerum logica*, ſeu realis; quatenus ad res publicas regendas adhibenda eſt, *critica civilis* dicatur. Quæ dum verbis judicia ſua denotat, ars enuntiandi erit, eaque ſeu ajens, ſeu negans, quarum illa convenientiam enuntiat, hæc pugnam rerum. Quia obligamur ad omnem habitum intellectus adquirendum (§. 212. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 46): liquet oppido, *judicium quoque & habitum recte judicandi de gerendis ſummis rebus eſſe perficiendum, quantum in noſtra eſt poteſtate.*

Beneficio mentis gaudent homines facultate bene & male judicandi. Vt potiantur habitu bene judicandi, egent regulis, quas Logica præſcribit, egent earum exercitio quotidiano, ad exempla aliorum inſtituto, & ſubinde elimato. Omnium regularum norma eſt veritas, eaque nobis tam certa, ac haberi humana facultate exculta poteſt. Tum demum bene judicamus, cum vera a falſis recte diſcernimus, illa approbantes, hæc rejicientes, firmam animi perſpicientiam ſecuti. Verbis explicantes judicia noſtra, enuntiamus, affirmando ea, quorum convenientiam; negando, quorum pugnam perſpeximus. Vbi habitus recte enuntiandi judicia ſeu ajentia ſeu negantia, cujuscunque fuerint indolis, accedit. Sed hæc, ex logicis nota, miſſa facio, breviter acturus de virtutibus, quæ & in rebus civilibus judicia perficere poſſunt.

§. 64.

Ope intelligentiæ. Judicia, quæ de rebus facimus illas probe intuentes, vel ſunt per ſe manifeſta, vel per ſe non manifeſta (§. 261. *Logic.*). Priora non indigent demonſtratione, ſed per ſuas notas illico liquent (§. 262. *ibid.*). Poſteriora egent demonſtratione, ſi eorum veritas intelligi debet. Ea propter priora appellantur principia demonſtrandi (§. 561. *ibid.*). Quæ vel ſunt prima, vel ex his orta (§. 378. *P. I. Ethic.*). Jam *intelligentia* eſt habitus prima veritatum optimaque principia perſpiciendi (§. 247. *P. I. Jur. nat.*), & virtus intellectus inſignis (§. 377. *P. I. Ethic.*). Quæ propterea *ad recte judicandum de primis demonſtrandi principiis, itaque ad perficiendum in his judicandi habitum facit.*

Principia demonſtrandi debent eſſe certa & indubitata. Sed cum ea ubique haberi nequeant, & ſæpe numero adquieſcendum ſit, in tanta probabilitate, quanta haberi poteſt: malui genere uti, & loco certorum appellare optima. Vbi enim certa prorſus haberi poſſunt, ibi illa ſunt optima. Deficientibus autem certis, quæ maxima gaudent veriſimilitudine, ea tum optima erunt cenſenda.

§. 65.

§. 65.

Prima veritatum principia vel confuſe tantum, etſi ſat certo innoteſcunt nobis ope ſenſuum, appellanturque *experientiæ indubitatæ*; vel diſtincte patent ope intellectus, & nomine *definitionum debitarum* inſigniuntur. Ex prioribus, quæ obſervationes accuratas, & experimenta includunt, oriuntur propoſitiones per experientiam liquidæ, vel judicia intuitiva & *documenta ſenſuum*. E poſterioribus derivantur *axiomata* & *poſtulata* (§. 379. P. I. Ethic.) & (§. 267. ſeqq. Logic.). *Objecta intelligentiæ.*

§. 66.

Gaudet intelligentia ſuis gradibus diverſis, materialibus nempe, formalibusque. Illi primorum principiorum numero majori minorique diſcernuntur. Hi modo & gradu cognitionis eorum variant. Videlicet quo plurium diſciplinarum & rerum optimæ definitiones & experientiæ in promtu ſunt, eo major erit intelligentia: & quo pauciorum, eo minor. Quo promtior, certior, & adæquatior eſt eorum perſpicientia, eo erit præſtantior intelligentia. Summa & præſtantiſſima omnes utriusque generis gradus involvit. *De gradibus intelligentiæ.*

Hos gradus animadverti in Wolfiano Philoſophiæ ſyſtemate nondum excuſſos eſſe, unde eos hoc loco paucis explanandos duxi, ut ſequentia afferta melius intelligi, explicari & demonſtrari poſſint. Res ipſa loquitur, parem eſſe horum graduum rationem & indolem, ac in acumine & profunditate (§. 55.). Cæterum intelligentia civilis occupatur in rebus ad ſalutem publicam requiſitis.

§. 67.

Per ſe regnaturus ſumma indiget eminetque intelligentia civili. Indiget enim experientia rerum civilium indubia (§. 48); & ſummo gradu acuminis profunditatisque (§. 57. 59), quibus prima mentis operatio perficitur in notionibus præſtantiſſimis, *Quis ſumma egeat prudentia civili.*

ideo-

ideoque & in definitionibus. Jam experientiæ & definitiones optimæ prima ſunt veritatum perſpiciendarum, probandarum & demonſtrandarum principia (§. 64.); & intelligentia eſt habitus, prima eaque optima, quæ haberi ab homine poſſunt, veritatum principia perſpiciendi (§ 247. *P. I. Jur. nat.*). Intelligentia civilis autem conſpicitur in perſpiciendis primis rerum ſaluti publicæ inſervientium principiis, eaque ſumma dicitur, quando complectitur omnes, qui in hominem cadunt, gradus (§. 66.) Conficitur inde, per ſe regnaturos indigere & eminere ſumma intelligentia civili (§. 56. & 59.).

§. 68.

Quomodo ſumma comparetur intelligentia civilis.

Quia per ſe regnaturus indiget intelligentia civili ſumma (§. 67.), eaque a poſteriori experientias requirit indubitatas, & a priori definitiones optimas (§. 65.): *opera utique danda eſt* (§. 380. *P. I. Ethic.*), *ut optimarum obſervationum, optimorumque experimentorum reip. ſalutarium, nec non definitionum optimarum rerum quarumque in civitate regendarum naſcentiumque inde conſectariorum* (§. 65.) *apparatum ſufficientem, ſeu quantum poteſt, ſibi adquirat, ſemperque in promtu habeat* (§. 941. *Ontol.*).

Quantum ſit id, quod his præceptis duobus continetur, tum plenius perſpicietur, cum omnia, quæ ſapientiæ & prudentiæ publicæ inſunt, &, quænam eorum optima ſint principia, diſtincte patebit. Plura eo requiri, quam vel in hac politica tradi poterunt, manibus largior ambabus. Multa enim brevitatis ſtudio præteribuntur, multa & in his deſiderari poterunt, quæ quadamtenus excutientur. Futurum tempus docebit, num quis unquam omnibus numeris abſolutam politicam ſit daturus, vel ex eorum numero, qui ipſimet perdiu ſummæ rerum maximarum feliciter præfuerunt. Conferantur, quæ de intelligentia comparanda afferuntur (§. 381. *ſeqq. P. I. Ethic.*).

§. 69.

§. 69.

Ingenium & facultatem notare solet & habitum rerum similitudinem observandi (§. 476. *Psychol. empir.*). Quando in habitum adolevit, virtus est intelligendi facultatis (§. 232. *P. I. Ethic.*), quæ quomodo adquiratur, ostensum est in *Ethicæ P. I.* §. 233. *seqq.* *Pertinere illam ad perficiendam judicandi facultatem*, vel ex eo patet, quia in judicio non spectatur nisi duarum rerum inter se vel convenientia vel pugna (§. 39. *Logic.*), cujus perspicientia non potest non augeri eo magis, quo melius diversas res inter se conferre ope ingenii didicimus (§. 236. *P. I. Ethic.*), quod earum inter se similitudinem non solum perfectam, sed & imperfectam, eamque potissimum, qua tantum aliquid inter se commune habent, venatur, eoque ipso quoque dissimilitudinem earum animadvertit. Est vero similitudo convenientia qualitatum, & dissimilitudo earum repugnantia (§. 210. *seq.* & 464. *Ontol.*). Manifestum igitur est, quo excultius est ingenium, eo plus illud valere ad recte æstimandam rerum inter se convenientiam & pugnam, & ad perspiciendum simul, quatenus inter se conveniunt & pugnant, h. e. ad judicia recte determinanda.

Ingenio perficitur secunda operatio mentis.

Posset illud quoque sic ostendi: ingenio opus est, ad ea, quæ rebus communia sunt, perspicienda & segreganda ab illis, quæ non sunt communia sed propria, ideoque ad abstractas notiones specierum, generum &c. condendas, & ad formanda judicia universalia (§. 249. *seqq. P. I. Ethic.*). Quæ cum ad usum rationis, omnia dogmata & scientias artesque sint necessaria: ingenium multum facere ad omnes artes scientiasque intelligitur. Sed non solum ad judicia universalia, verum quoque ad singularia ingenium requiri, ex eo manifestum est, quia in his quoque notarum similitudo affirmandi, & dissimilitudo negandi fundamentum est. Hic homo est cocles, quando altero oculo caret, & non est cocles, quando utroque oculo bene videt. Ibi notio

coctitis convenit ipsi vel simillima est, hic repugnat. Virtus ingenii dici posset ingeniositas, si vocabulum non esset inusitatum.

§. 70.

Etiam in ampliori sensu. *Extenditur ingenium haud immerito quoque ad omnes hujusmodi rerum relationes, quarum altera ad alterius perspicientiam valet, ideoque illi substitui potest.* Patet enim ingenium per omnes tropos. Metaphora substituit sibi invicem similia; ironia dissimilia seu contraria. Metonymia substituit sibi res causali nexu copulatas, ut efficientem pro effectu, dominum pro re in dominio ejus posita, subjectum pro adjuncto, & v. v. Et synecdoche substituit sibi ea, quorum alterum sub altero continetur, ut sumendo totum pro parte, genus pro specie, & v. v. Quia omnes hæ res ad alterius indicium valentes, inter se constanter sunt connexæ per notas proximas s. primas, & ideo facile inter se permutantur vel sibi invicem substituuntur, ut altera per alteram significari & intelligi possit: ingenium in omni ambitu suo sumtum, erit habitus res per se connexas detegendi & sibi invicem substituendi.

Connexa dicuntur, quorum unum determinari per alterum potest, dum continet rationem sufficientem, cur alterum vel simul sit, vel consequatur; vel si hoc mavis, rationem coëxistentiæ & successionis alterius (§. 1. *Cosmol.*). Inde & unum potest per alterum intelligi & significari. Huc pertinet usus signorum & naturalium & arbitrariorum, quæ petuntur e rebus constantem inter se ac facile obvium nexum habentibus sive per se, sive per arbitrium humanum. Talis nexus datur inter convenientia ex toto aut parte; inter opposita seu pugnantia similiter; inter ea, quorum alterum ab altero causali nexu dependet; & inter illa, quorum alterum sub altero continetur. Nemo non ingeniosa vocat illa lumina orationis, quæ e tropis petuntur: quæ apte in verbis locum habere non possent, nisi darentur in rebus,

rebus, & intelligi res per se invicem propter illum nexum possent. Facit ergo nexus rerum, quæ cohærere saltem quadamtenus intelliguntur, ut concipi alia per aliam, & permutari invicem possint earum signa vocalia, seu verba. Neque sine ingenio rebus in mente distinctius cogitandis apta substituuntur vocabula, æque ac ad loquendum & scribendum de illis adhibentur. Vid. not. ad §. 237. *P. I. Ethic.*

§. 71.

Ingenio debetur potestas mentis rite tractandi res externas noscendas, ut internas voluntarias. Ope ingenii apta excogitamus vocabula ad res denominandas (§. 238. *P. I. Ethic.*), & constanter jungendo illa cum rebus iisdem tamdiu, donec memoriæ inhæreant, ac in promtu sint, ea in potestatem nostram redigere valemus. Ejusdem ope vocabula promte substituimus rebus ipsis (§. 70.), & dum vocabula in potestate nostra habemus, idem est, ac si res ipsas ita redegissemus in nostram potestatem, ut eas pro lubitu tractare possemus. Constat igitur, ingenio deberi linguarum inventionem & usum illum insignem, quo res externas cæterasque difficulter internoscendas, eorum ope in nostra potestate habemus, haud multo aliter ac voluntatis actiones. *Adhibet vocabula loco rerum.*

Quæ hic de signis vocalibus ostenduntur, eadem valent quoque de aliis signis arbitrariis ut, hieroglyphicis, chemicis, mathematicis, militaribus &c.

§. 72.

Gradus ingenii parabiles nascuntur vel ex rerum diverso numero, vel ex modo agendi. Datur quidem & diversitas ingenii naturalis seu facultatis, quam nemo sibi aliisve parare potest. Sed de illis diversis gradibus, & quinam eximii dici mereantur, dictum est supra (§. 29. *seqq.*). Hic ergo de illis sermo est, qui adquiruntur, eorumque gradus materiales æstimandi sunt *De gradibus ingenii.*

ex rerum majori & minori multitudine, in quibus ingenii habitus excellit. Quo plurium rerum similitudines nexusque ingenium perspectos & præsto habet, eo is ingeniosior, cæteris paribus, erit censendus. Item, quo plures scientiæ & artes animo sunt perceptæ, eo plus ingenium reperiet in tanto apparatu, in quo se exerceat. Quo plus se exercuit, eo gradus ejus erit major dicendus.

Sic & modus agendi differre potest perfectione, ut alius sit perfectior, alius imperfectior. Perfectior exseret se in distinctiore similitudinis & nexus perspicientia, aptiore ejus applicatione ad res occurrentes, in ampliori illius usu procurando, in majori celeritate & alacritate substituendi sibi connexa, in cogitationibus, sermonibus, actionibusque, item in diuturniore continuatione suarum functionum.

Quare summus gradus optimus erit & maximus. Optimus ita, ut nihil melius ingeniosiusque in ea re fieri possit, nihil citius, aptius, nec tam indefessum. Maximus, dum in omnibus suis rebus promtissime observat nexus, nunc præcipue attendendos, iisque in rem suam utitur amplissime. Qui summo, in homines cadente, gradu gaudet, merito ingeniosissimus diceretur; & in rebus civilibus ingeniosissimus rector civitatis, vel politicus.

Referri huc potest nota, §. 66. subjecta: quia par utrobique est ratio.

§. 73.

Per se regnaturus sit ingeniosissimus.

Per se regnaturo opera navanda est, ut sit quam ingeniosissimus. Etenim ars regnandi exerceri per se optime nequit, nisi summarum virtutum ope (§. 40.). Jam inter summas intellectus virtutes habetur, & ingenium summum (§. 72.), a quo ingeniosissimi dicuntur. Quæ virtus cum comparanda iis sit, qui gaudere & uti ea velint (§. 69.): patescit, operam per se regnatu-

gnaturo navandam esse, ut, quantum fieri potest in omnibus rebus civilibus, ampliato ingenio, summoque polleat & caeteros vel per se regnantes antecedat, ideoque ut sit quam ingeniosissimus rector civitatis (§. 59).

§. 74.

Quomodo summum ingenium sit excolendum?

Quia per se regnaturus debet esse ingeniosissimus (§. 100.), adquirere sibi debet habitus ingeniosos simili modo, ac in observanda promte rerum similitudine id praecipitur in *Ethicae P. I.* §. 234. *seqq.* *Indiget* scilicet *usu ingenii* aeque ac alius homo primum in rebus suis privatis, deinde vero *potissimum in publicis rebus per se gerendis. Quam ob rem & in his potissimum ingenium est excolendum*, ut non tantum in exspectatione casuum similium emendanda & rectius adhibenda valeat (§. 248. *P. I. Ethic.*), item in fictionibus politicis, quando illis est utendum (§. 238. *ibid.*); sed quoque acutum & subtile evadat in reductione veritatum universalium ad sensum communem (§. 242. *seqq. ibid.*), in meditationibus casualibus (§. 249. *ibid.*), in recte applicandis universalibus ad inferiora & singularia in re praesenti (§. 253. *ibid.*), in omni denique nexu proximo rerum obviarum promte perspiciendo, & in substitutione connexorum in locum aliorum, scopo conformata (§. 97.). In primis in rebus ad salutem publicam pertinentibus ingenium summum requirit excellentiam habituum perspiciendi nexus rerum proximos eidem nociturarum & profuturarum, & surrogandi in locum aliorum, quae meliora reperiri possunt, & praeferri merentur. Magnas esse partes ingenii in detegendis novis, constat ex §. 336. *P. I. Ethic.* Pragmatici vero ingenii in civilibus rebus regendis agendisque usus longe est amplissimus in civitate prudenter gubernanda, in primis quando summo perfectionis gradu pollet (§. 264. *ibid.*). In hos igitur fines sum-

mum ingenium esse excolendum perficiendumque, dubitari nequit.

Ne ingenium confundatur cum ipsa ratione, ideoque non ad secundam sed ad tertiam mentis operationem referendum censeatur, attendendum est ad differentiam nexus perspiciendi. Alius enim nexus est proximus, qui statim in primis rerum notis obvius est, ideoque ex distinctis rerum notionibus per se, vel, ut aliis loqui lubet, immediate intelligenti patet (§. 70.). Hic spectatur in judicio nudo, vel solo, quod differt a ratiocinio, & ferri jam potest, si vel nihil aliud spectetur a mente, quam duæ res in judicio occurrentes & ad se invicem referendæ, ut per ipsasmet jam pateat, quomodo altera se habeat ad alteram. Quando autem e duabus illis rebus, earumque distinctis notionibus vel & definitionibus nondum liquet, num altera alteri conveniat vel repugnet, tum opus est re tertia, aut sæpe pluribus connexis in argumentationes & demonstrationes. Vbi inprimis perspicientia nexus veritatum universalium, sæpenumero perlongus requiritur. Et hujus nexus remotioris perspicientia non ingenio sed rationis usui debetur. Non abs re igitur ingenii cultura ad secundam mentis operationem consummandam refertur.

§. 75.

De gradibus soliditatis. *Soliditatem* notare habitum, distincte (vel optime) ratiocinandi & ratiocinia concatenandi, liquet e §. 440. *Psychol. empir.*, eumque esse in numero virtutum mentalium, ex § 265. *P. I. Ethic.* Pertinere illam ad tertiam operationem mentis perficiendam, ipsa ejus notio declarat. Gradus illius æstimare licet partem ex numero veritatum seu rerum, in quibus soliditas est adquisita, partem ex gradu perfectionis in modo ratiocinandi. Scilicet quo amplior est campus veritatum, in quo soliditas est conspicua, eo majorem vel superiorem adquisivit gradum. Item quo præstantior & melior est modus argumen-

mentandi, quo exquisitior, quo citior, accuratior, acutior, profundior; quo brevior concinniorque est concatenatio, & pertinacius studium perveniendi in rebus difficillimis & diffusissimis ad finem: eo perfectior erit formalis ratio soliditatis. *Maxima* igitur soliditas dabitur in omni veritatum genere, quod in mentem unius hominis cadere potest. *Optima*, quæ perfectissimo modo semper exercetur, qui vires humanas non excedit. Et dum optima est atque maxima soliditas, jure illa quoque dicetur *summa* (§. 56). Quisquis ea gaudet, solidissimus dici meretur.

§. 76.

In republ. feliciter regenda magni momenti est summa soliditas civilis. Summa enim soliditas optima est atque maxima (§. 102.). Eaque si in rebus ad salutem publicam provehendam impediendamve facientibus debite versetur, civilis appellari meretur. Enimvero prudentia publica pacatæ reip. gerendæ requirit judicium solidum rerumque civilium scientiam (§. 2.), quæ tanta, quanta esse in homine potest, dari nequit sine summa soliditate civili profundissimaque (§. 59.). Magnum ergo momentum habet soliditas civilis summa ad prudentiam per se feliciter regnandi.

Summæ soliditatis momentum in irenarchia.

Ubicunque aliquid prudenter agendum est, ibi solida adhibenda est discussio omnium rationum pro actione committenda aut omittenda facientium (§. 3.), ut, quæcunque obtineri possunt bona in exsecutione sapienter decretorum, quam optime & ex asse obtineantur; mala autem, quæcunque evitari, & averti possunt, amoveantur (§. 4.). Quid! quod & improvisa subito in usus amplissimos, ad commoda eorum consectanda, & incommoda atque pericula caute declinanda, sunt convertenda. Quæ sine soliditate summa ita geri non posse, ut omnium calculo laudari mereantur, & reip. quam optime consultum sit,

res

res ipſa teſtatur, paulo intimius perſpecta. Quanto enim ſolidius omnia patent, quæ occurrunt, vel occurrere poſſunt, tanto verius, tanto certius erit judicium & conſilium exſecutioni dandum; tanto quoque minus errori aut eventui deteriori locus erit, qui culpæ admiſſæ vel imprudentiæ eſſet imputandus. (§. 276. P. I. Ethic.).

§. 77.

Præſertim per ſe gerenda.

Prudenter per ſe regnaturo ſoliditas ſumma egregie inſervit. Eget nempe eximia mentis cultura, ut par fiat egregiis animi dotibus quam optime exercendis (§. 33.), quod niſi ſummarum virtutum ope fieri nequit (§. 40.). Inter eas virtutes cum ſoliditas ſumma detur (§. 75.), eaque in republica regenda magnum momentum habeat (§. 76.): pateſcit, per ſe prudenter reip. præfuturo & quærendam eſſe & quæſitam egregie inſervire ſummam ſoliditatem (§. 283. P. I. Ethic.).

§. 77.

Modus ſummam ſoliditatem comparandi.

Modus ſummam ſoliditatem comparandi intelligi poteſt ex præceptis ſoliditatem in genere obtinendi, quem ſuggerunt præcepta (P. I. Ethic. §. 266. ſeqq.) Wolfiana, ad civiles res & ſummum gradum in illis, quem exhibet §. 75. debite tralata. *Maximæ igitur ſoliditatis cauſa opera navanda eſt prudenter ſuo marte regnaturo, ut nexum omnium veritatum, ad ſalutem civitatis quam optime procurandam noſcendarum, firmiſſime perſpectum habeat & in promtu, & ut habitu polleat practico, eum ad res civitatis dijudicandas decernendasque protinus applicandi citra errorem. Optimæ cauſa modum ac habitum exercendi illam tam perfectum ſibi comparabit, quo melior in vires humanas haud cadat*, ſecundum momenta bonitatis ejus §. 75. indicata, exempla optimorum æmulando, & ſoliditatis excellentia ſuperando.

Ita Vegetius de re milit. in prolog. Neque vero quemquam magis decet vel meliora ſcire vel plura, quam principem.

§. 78.

§. 78.

Ope ſcientiarum regiarum.

Nexus veritatum firmi in proprie dictis ſcientiis oſtenduntur, quando in illis omnia accurate demonſtrantur, & in ſyſtema rediguntur (§. 595. *Logic.*) & (§ 412. *P. I. Ethic.*). Cum maxima ſoliditas requirat omnium veritatum noſcendarum nexum firmiſſimum animo informatum, cum habitu eam expedite & quam optime applicandi ad res civiles dijudicandas decernendasque (§. 77), conſtat, *maximam ſoliditatem requirere omnes illas ſcientias perceptas, & animo obvias, quarum in regenda civitate neceſſitas & utilitas explorata habetur, una cum habitu eas quam optime ad ſalutem publicam applicandi.* Quas ſcientias regias dicere nihil vetat.

Quia nemo hominum rerum omnium ſcientia præſtare poteſt (§. 419. *P. I. Ethic.*), ſed ſufficit, ſi tantam rerum ſcientiam ſibi comparet, quanta opus habet in eo, quod ſequitur, vitæ genere (§. 420. *ibid.*): ideo quoque hic docendum eſt, quanta ſcientia opus habeant, qui per ſe ſunt regnaturi, & quænam ſcientiæ regiæ vocari poſſint? Omnes videlicet illæ, quarum rectores civitatis indigent ad feliciter regnandum, vel quarum manifeſta eſt in regenda civitate neceſſitas utilitasve. Poſſet quoque regia ſcientia dici maxima & optima, quæ in homines ſuo marte regnaturos cadat, ideoque in ſuo genere ſumma. Maxima nempe complecteretur omnes illas res, quæ in regenda rep. ſunt ſciendæ, ideoque & omnes earum ſcientias. Optima vero in optimo ſeu perfectiſſimo ſciendi modo conſpiceretur, qui non ſubſiſtit in ea, quæ a poſteriori habetur, demonſtratione, quando certior atque diſtinctior a priori obtineri poteſt (§. 416. *P. I. Ethic.*). Tanto nimirum ſolidior, certior & efficacior in flectenda voluntate erit cognitio practica, quanto perfectior & amplior erit ſcientia rerum agendarum.

§. 79.

In compendia & systemata redactarum.

Quoniam modus adspirandi ad scientiam expositus est in P. I. Ethic. §. 403. *seqq.*, observandum duco, ad scientiam regiam præparandos esse animos per se regnaturos via compendiaria pro ætatis & captus modo (§. 39. & 35.) *per compendia*, a primis principiis scientiarum regiarum ita exorsa, ut eorum certa evadat intelligentia (§. 403. *P. I. Ethic. in not.*); dein ad *faciliora principiorum consectaria* producta; tum palmaria scientiarum dogmata *in brevi systemate comprobata* (§. 411. & 413. *ibid.*), atque tum inter se connexa, tum *cum uberiori & pleno systemate consentientia* (§. 412. *ibid.*), ad quæ pro captus ratione paulatim progressus fiat.

Non discepto hic, utrum prostent hujusmodi compendia & systemata scientiarum regiarum, neque an *Xenophontis* Cyripaedia; *Basilii* imperatoris 66 parænetica ad filium Leonem; *Manuelis Palæologi* præcepta regiæ educationis ad filium Ioannem; *Constantini Porphyrogeneti* liber de administrando imperio ad Romanum filium, nostris temporibus respondeant: neque an *Iacobi I.* Regis angl. βασιλικον δῶρον, & εικων βασιλικη, vel instructio *Caroli V.* ad Philippum filium, vel *Guevarræ* Horologium principum; *Fenelonii* Telemachus & similes alii libri scopo satisfaciant. Sufficit regulam attulisse, secundum quam judicium ferre potest, qui volet, non neglectis iis, quæ addenda supersunt.

§. 80.

A quibus scientis ordiendum?

Primum quidem faciliores scientias mathematicas, (præsertim arithmeticæ & geometriæ Elementa), *principi juventutis per se regnaturo, esse inculcandas, non eget operosa probatione.* Sunt enim facillimæ captu, & pernecessariæ in plurimis rebus & privatis & publicis dijudicandis decidendisque, quod nemini ignotum esse potest, qui vel parumper tantum didicit, quænam sint illa, de quibus hic agitur. Sua quoque facilitate & evidentia

dentia sternunt viam ad alias scientias difficiliores melius discendas. Subjungi his elementis deinde possunt elementa Trigonometriæ utriusque mechanicæ opticæ aliaque sua & utilitate & jucunditate ipsum allicientia.

Nemo dubitare potest, quin inter scientias facillimæ omnium & evidentissimæ præmittendæ sint, antequam ad difficiliores fieri possit progressus. Tales vero sunt arithmetica & geometria, quod inter omnes constat, quæque in rebus privatis principum, multo magis in publicis, frequentissimi sunt usus in eo, qui ipsis per se est præfuturus, ne decipiatur. Quare & Plato olim limini auditorii sui extrinsecus inscripserat, ουδεις αγεωμετρος εισιτω, nemini Geometriæ experti huc aditus pateat, nempe ad Philosophiam cum fructu discendam. Celebratur Caroli inter Suecos XII. Logistica sexagenaria; Demetrii Poliorcetæ Helepolis &c.

§. 81.

Ad quas philosophicas pergendum?

Indiget per se regnaturus scientiis philosophicis, in primis logica, Psychologia, Theologia naturali, Physica, & ex practicis scientiis præsertim Iure naturæ, Ethica, Oeconomica & politica. Quis enim negaret, prudenter suopte ingenio regnaturum eximio egere usu intellectus, eumque non docere, nisi philosophiam rationalem, inclusa dialectica seu Logica probabilitatis? Delibandæ ideo quoque sunt Ontologiæ & Cosmologiæ deliciæ & promulsides. Psychologia ad animum suum aliorumque recte noscendum indiget in prudentia regnandi & se ipsum regendi, secundum aureum illud γνωθι σεαυτον; nec minus propter adscensum ad Deum, autarcharum autarcham, seu autorem, legislatorem, judicem, exemplar perfectissimum, quem docet Theologia naturalis, ejusque scientiam infinitam, vel scientias omnium scientiarum absolute summas. Quia corporum usus in civitate requiritur amplissimus, domesticorum æque ac

peregrinorum, quatenus is ad ſalutem privatam & publicam facit, quod phyſica docet experientiæ fulturis nixa: phyſicam ſcientiam per ſe feliciter regnaturo non eſſe negligendam, controverſia caret.

Practicæ vero diſciplinæ philoſophicæ ad unam omnes per ſe regnaturo prudenter tam ſunt neceſſariæ, quam quæ maxime: quia omnes ad recte prudenterque agendum & regnandum & in ſcientia plurimum conferant, & in optima praxi, immo huc totæ quantæ tendunt. In primis Ius naturæ veram omnium liberarum actionum normam divinam ob oculos ponit, a nullo rectore civitatis impune migrandam; cui legi divinæ pro viribus obtemperandi quam optime modos exhibet in vita communi ethica, in domeſtica oeconomica, in civili irenarchia politica. Has ergo ſcientias ob uſus ſuos quotidianos per ſe regnaturo neceſſarias eſſe, quis poſſet infitias ire?

Nota eſt Salomonis de ſapientia proſopopœia: meis auſpiciis reges præſunt, & principes imperant &c. *Proverb. VIII. 15. ſeq.*

Dudum Plato felicem & malis liberam prædicavit remp. in qua aut philoſophi imperent, aut imperantes (γνησίως καὶ ἱκανῶς) legitime & ſatis philoſophantur. *Dial. V. de Rep.* Quod *Cicero ad Quintum fratrem Ep. I.* ita expreſſit: Plato fore beatas reſpp. putavit, ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Quod & fratri ſuo vehementer commendat in Aſiæ procuratione. More quidem ſuo ſuique temporis de fortuna minus recte ſentit, quando ſcribit: neque enim eiusmodi partem reip. geris, in qua fortuna dominetur, ſed in qua plurimum poſſit ratio atque diligentia. Quod ſi tibi bellum aliquod magnum & periculoſum adminiſtranti prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quod eodem tempore

pore esse intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam. Nunc vero ea tibi pars reip. commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet. Et quæ sunt id generis plura. De quibus rectius sentire potuisset, cum alibi fateatur, fortunam esse dominam rerum humanarum, & efficere multa nobis improvisa propter obscuritatem ignorationemque causarum, eamque a Deo petendam esse. Fatetur enim, eam non esse, nisi cum aliquid sic cecidit, sic evenit, ut non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit. Cui cum varietas propria sit, philosophia jubet, ferre pulcherrime secundam fortunam & adversam. Ejus bonorum non tam copiam esse expetendam, quam in utendo rationem, & in carendo patientiam. Fatetur, summis quibusdam viris quandam ad res magnas bene gerendas divinitus profectu adjunctam fuisse fortunam; eamque numine divino regi. Quæ si ita sunt, etiam ad fortunam propitio numine ex voto consequendam, ducem se præbebit philosophia, quantum valet, ne coeca illi esse videatur, sed tam sapienter administrata, ut in ea placide sit adquiescendum cuilibet sapienti. Sepono hic non sine gravi ratione, quæ non sunt rationis lumini pervia, sed ex oraculis revelatis petenda, ne aliorum vineta videar mihi vindicare. Quatenus generalia principia scientiarum technicarum faciunt ad earum usum in civitate amplificandum, abusum vero impediendum, eatenus & illorum intelligentia per se regnaturo expediet, ut inde cætera aliorum ope excussa melius perspicere ac decernere possit.

§. 82.

Num scientiæ, quæ dicuntur superiores, in principe sint requirendæ?

Superiorum, quas vocant, facultatum scientiam vel a per se regnaturo nemo requirat. Ecquis unquam rectorem civitatis electurus aut constituturus talem quæsivit, qui esset Doctor Theologiæ, Iuris utriusque & medicinæ, aut quis Rectorum civitatis unquam talis fuit? Multo minus summi Doctores trium facultatum expetuntur in rectores civitatis, qui omnino

cæteris anteferendi essent, si harum facultatum scientia Rectori civitatis esset necessaria. Immo adeo abhorrent a se invicem officia Theologi vel sacerdotis ipsiusque pontificis maximi, & rectoris civitatis, ut nefas sit, alterum in alterius messem immittere suam falcem. Rector civitatis longe graviora habet, quæ agat, quam ICtus, aut medicus, quorum ipse est creator per suos delegatos (§ 332. *seqq. P. II. Polit.*), quare ipsum dedecet, horum loco esse, & horum munia obire, aut eorum scientias & praxes suas facere, quod & sine neglectu graviorum negotiorum fieri non posset, etiamsi fingamus, rectorem civitatis ista probe callere.

Celebratur Regis Salomonis sapientia, item Alexandri Magni, Alphonsi X. aliorumque. Inter Imperatores C. I. Cæsar, Augustus, Nero, Trajanus, Adrianus, M. Antonius Philosophus, Constantius, Iulianus, Leo V. Philosopus, a Philosophia partim dicti sunt, partim laudati, etsi non omnes eadem bene usi. Regem sibi per nefas partes sacerdotales vel theologicas sumere, liquet rationibus allatis & exemplis Regum Saulis, 1 *Sam.* XIII. 9-14. & Usiæ, 2 *Chronic.* XXVI. 16 *seqq.* Iuris Consultissimos aut peritissimos dictos esse civitatum rectores, non recordor, neque hoc decere legislatores potest, ut ipsi sint Iureconsulti, utpote quos Cicero dicit legum & consuetudinis, quibus privati utuntur, & ad respondendum, & ad agendum & ad cavendum, peritos. Est quidem penes ipsos authentica legum latio, interpretatio, restrictio, ampliatio, abrogatioque; sed hoc est jus majestatis cum ultima & summa controversiarum decisione, non Iureconsulti, hoc pendet ex legum naturalium scientia & summa regnandi prudentia, non vero ex juris prudentia privatorum, vel & Doctorum Iuris. Multo minus in Rectore civitatis desideratur summa scientia & ars medica, sed sufficit, si eos eligere possit, & velut alius privatus quadamtenus suæ sanitatis conservandæ & recuperandæ rationes habeat perceptas. Alio igitur titulo Theologia, Iurisprudentia & Medicina superiorum

riorum facultatum numero habentur, quam quod hæ ſcientiæ ſummæ eſſe debeant in rectoribus civitatum. Quod tantum abeſt a veritate, ut potius philoſophia in throno ſedeat, & præſit illis, vulgo dictis, facultatibus Philoſophia altioribus, ſua tamen laude non defraudandis.

§. 83.

Artium nobiliorum, in quas animus præ ceteris fertur, ſcientia & praxis, tum ornare & recreare feſſos, tum ad majora præparare poteſt rectores civitatis per ſe regnaturos. Teſtatur hoc locuples rerum magiſtra hiſtoria, multis regum imperatorumque exemplis referta. Aliæ artes animum recreant et ornant, aliæ & corpus. Uti optica, muſica, poëtica, pictoria, ſaltatoria, luctatio, pugilatio, equitatio, venatio, natatio, jaculatio, ludus latrunculorum regius, cæt. e quibus eligi poſſunt convenientiores perſonis, locis, temporibusque, & præſertim minus aut nullatenus periculoſæ. *Num quæ artes liberales?*

Regem Davidem muſicæ & poëſeos peritum; Neronem in arte pingendi & nimium fere in muſica, moderatiorem in eadem Titum, pictura delectatum eſſe Hadrianum, M. Antonium, Philoſophum & Alexandrum ſeverum; Alexandrum M. palæſtræ, luctæ, lectioni iliadis vacaſſe; Veſpaſianum ſphæriſterio; venationi complures; Auguſtum & piſcationi operam dediſſe, perhibent. Horatius Cocles, Scævola & Iulius Cæſar natando e periculis evaſerunt. In ſimili periculo Alexander M. ægre tulit, quod non didicerat natare; Bucephalo autem ſuo bene uti valebat, cujus alteri armo caput bovis inuſtum pro ſigno fuit. Qua in re Iulius Cæſar amplius excelluiſſe fertur. Taceo luctus equeſtres.

§. 84.

Ad perficiendam tertiam operationem mentis facit quoque ars inveniendi. Ea enim eſt habitus, ex veritatibus notis alias ignotas colligendi (454. *Pſychol. empir.*). Sive autem ex obſervationibus *Quid ars inveniendi in mente perficiat.*

bus & experimentis (§ 457. *ibid.*), sive ex definitionibus ac propositionibus nova colligantur, utrobique opus est ratiociniis (§. 460 *ibid.*), quibus ex principiis notioribus seu confuse seu distincte perspectis alia colligimus, seu rite concludendo detegimus ignota. Sed tertia mentis operatio perficitur, quando ejus facultates in habitus evehuntur (§. 209. *P. I. Jur. nat.*): quapropter & ejus facultas, nova excogitandi & reperiundi, arte inveniendi excolitur, perficiturque.

§. 85.

Gradus artis inveniendi.

Gradus artis inveniendi æstimantur partim ex materia, circa quam versatur; partim ex forma, seu modo detegendi. Materia nempe sunt res latentes & abstrusæ, quarum inventio quæritur. Quo plures sunt res, in quibus facultas inveniendi ad habitum est perducta, eo major ampliorque erit ars inveniendi; & quo pauciores sunt res, in quibus habitus ille exerceri potest, eo minor & angustior erit ars inveniendi. Maximus igitur gradus & amplissimus erit, qui circa omnes res detegendas exerceri pari dexteritate potest. Modus detegendi aut facilior est aut difficilior. Ille minori intellectus cultura, labore & perspicacia absolvi potest. Hic sine majori acuminis subtilitate, profunditate, soliditate, artificio, ingenio & scientia longiorique ratiociniorum serie haberi nequit. Cæteris paribus, major est gradus artis inveniendi, qui difficile problema certius, brevius, citius solvere valet, quam qui non nisi diffuse, perplexe multoque tardius invenire quæsitum valet (§. 354. *P. I. Ethic.*). Generatim eo melior est ars inveniendi, quo modus inveniendi est plenior & perfectior, optima vero, cujus modus est consummatissimus. Summa ergo ars inveniendi dici merebitur, quæ & maxima est & in suo genere optima, quæ in mentem humanam pro tempore cadat.

Plenior

Plenior dicitur nobis ea inventio, quæ plura nova continet & aperire valet, quam quæ pauciora, ideoque ſpecialis eſt, aut particularis, ut non ad omnia quæſiti momenta ſufficiat, quando alia dari poteſt generalior, aut univerſis, quæ deſiderantur, ſuffectura. Unde pleniſſima erit, quæ omnia complectitur de iſta re quæſita ac detegenda. Conſummatiſſima igitur & pleniſſima eſt & perfectiſſima. Innuendi hi gradus hic fuerunt propter ſequentia, quia alibi nondum reperiuntur excuſſi.

§. 86.

Veluti arte inveniendi opus habent, qui negotia publica adminiſtrant (§. 370. P. I. Ethic.), ita *ſumma arte inveniendi politica per ſe prudenter regnaturus inter ſui ſimiles excellit.* Etenim per ſe prudenter regnaturus ſuo marte pro re nata quam optime expedire debet negotia publica ſapienter decreta (§. 25). Sed in eorum exſecutione docet experientia multa occurrere improviſa, quæ pro re nata ſapienter extemplo definienda ſunt & expedienda. Sed quænam ibi ſint optima factu, celeriter ingenioſiſſime indagandum (§. 73), & quid præferendum reliquis ſit, eruendum eligendumque eſt. Ad quod politicam vel publicam inveniendi artem ſummam plurimum facere, res ipſa loquitur, ne citra illam cœca caſuum ſimilium exſpectatione decipiatur. Qua quo expeditius utitur rector civitatis, quo minus a ſcopo ex aſſe obtinendo aberrat: eo ipſe magis cæteros autarchas anteibit, inſtar plenilunii, ſtellas complures offuſcantis (§. 22. & 40.) *Quis egeat ſumma arte inveniendi politica?*

Politicam vel publicam artem inveniendi hic eodem ſenſu uſurpamus, quo ſupra his vocabulis innuimus objectum, ſeu rerum, in quibus occupari ars inveniendi debet, indolem. Hæ nimirum ſunt res graviſſimæ & maximæ, ad ſalutem civitatis applicandæ. Quarum ſumma excellentia ſummam quoque poſcit curam & artem eas detegendi. De modo eam adquirendi perficiendique hic repetenda, &, mutatis mutandis, adhibenda ſunt, quæ præcipiuntur, *P. I. Ethic.* §. 336. *ſeqq.*

§. 87.

Quæ sapientia civilis summa?

Quemadmodum ſapientia eſt ſcientia felicitatis conſequendæ: ita ſapientia civilis eſt ſcientia ſalutis publicæ obtinendæ, & ſine illa prudentia feliciter regnandi exerceri nequit (§. 2.). Gaudet illa ſuis gradibus cum in numero rerum, in quibus illa exercenda occurrit, tum in forma, ſeu modo, ſcientiæ actionibus liberis genuinos præſtituendi fines, aptiſſima & plurimum valitura ſubſidia eligendi, eaque in optimum ordinem redigendi, nec non in brevitate temporis, ſeu celeritate, iſta debite decernendi. E quibus fluit, maximam ſapientiam civilem in omnibus rebus ad ſalutem publicam referendis eſſe conſpicuam; optimam vero in modo eam exercendi perfectiſſimo, quem capere ingenium humanum valet, dari; ſummamque hic eſſe, quæ optima ſimul eſt & maxima. Qua qui gaudet, merito ſapientiſſimus ſalutatur.

§. 88.

Ea per ſe regnaturo eſt neceſſaria.

Per ſe feliciter regnaturo opera navanda eſt, ut in rep. gerenda ſit quam ſapientiſſimus. Per ſe feliciter regnaturus indiget prudentia regnandi ſeu gerendi remp. (§. 1 & 28), eaque ſumma & ſummis adjuta virtutibus (§. 40). Quæ propterea quoque ſumma ſapientia eo magis indiget, quo minus differt a ſapientia expeditiſſima in exſecutione optima rerum publicarum (§. 2). Abunde igitur liquet, per ſe feliciter regnaturo operam omnem eſſe navandam, ut in gerenda rep. ſit quam ſapientiſſimus. (§. 87.)

Oportet, inquit *Iſocrates in Oratione ad Nicoclem*, reges ſpectare hoc, ut ſint aliis longe prudentiores. Conſtat enim, quemadmodum ipſi animos ſuos excoluerint, ita etiam eorum regna ſe eſſe habitura. Nulli pugili tam convenit corpus ſuum exercere, quam regibus ingenium ſuum. Opera illis danda, ut, quantum alios dignitate ſuperant, tantum etiam virtute illis ante-

antecellant. Inſtitutione & exercitatione curata poteſt animus multum proficere, ſi prudentiſſimis familiariter utatur, eosque æmuletur . . . . In primis tibi opera danda, ut optimorum ſis inventor, &, ſi id fieri nequit, ut imiteris, quæ apud alios recte ſe habent . . . . Autoritatem imperii tuere excellenti ſapientia, ut te ſuæ ſaluti omnes melius, quam ſemetipſos conſulere arbitrentur. . . . . Quidquid earum rerum, quæ regum cognitione dignæ ſunt, certo noſſe voles, ad id experientiam & philoſophiam adhibeto. Philoſophia viam tibi oſtendet, & rerum gerendarum exercitatione id conſequeris, ut res dextre geras . . . . Quæ tibi cogitanti optima videbuntur, ea re ipſa perficito. Quorum gloriam miraris, eorum res geſtas imitare . . . . Sapientes exiſtima, qui de maximis rebus egregie dicunt, negotia recte obeunt, & inter alios commode ſe gerunt.

§. 89.

Modus promovendi ſummam ſapientiam

Sicut ſapiens nil agere debet absque animo deliberato (§. 445. *P. I. Ethic.*): ita *ſapientiſſimus rector civitatis non tantum de partibus imperii, ſed & de toto imperio deliberare ſolide in anteceſſum, ſummam & provide ſtatuere debet* tum de finibus ad ultimum apprime referendis, tum de iis, quorum ope is certiſſime, facillime & ex aſſe ſit obtinendus. Quod ut intimius perſpiciat, aliorum publica exempla curatius excutiet cum cauſis eventuum, ſeu ſecundorum, ſeu adverſorum, ut vel eorum periculo ſapere & cautius mercari diſcat (§. 448. *ibid.*). Item ab improborum exemplis ſeparata pravitate petet, quæ ad finem rite perducant (§. 449. *ibid.*)

§. 90.

Ejus norma.

Quoniam rectores civitatis quam ſapientiſſimi eſſe (§. 88), & Dei regis regum vices gerere inter homines quam digniſſime debent (§. 337 *ſeq. P. I. Polit.*), ſtudendo tantæ virtutum ſublimitati, quantam imitando Deum aſſequi mens

humana valet (§. 339 *ibid.*): *ad summam sapientiam autarcharum obtinendam plurimum faciet idea exemplaris sapientiæ divinæ, mundum gubernantis quam optime, distinctius solito perspectæ, & imitationis causa semper ob oculos versantis.* (§. 450 *P. I. Ethic.*). Quare enitendum ipsis est, ut Deo fiant quam simillimi.

Quod *Isocrates ad Demonicum* habet: Regum mores imitare, & ad eorum studia (επιτηδευματα) te confer, ut eos probare & æmulari videaris. Inde fiet, ut & populus de te melius existimet, & tu illorum benevolentiam erga te confirmes. Cum ipsis regum legibus obtempera, tum voluntatem eorum firmissimam legem esse ducito; hoc multo magis rectoribus civitatum observandum est de Dei legibus, voluntate, exemplo ejusque imitatione. Rex, ait *Plato in Polit.* Deus quidam humanus est, ὁ βασιλευς ὡς θεος εξ ανθρωπων. Et apud *Stobæum S.* 46. *Diolog. Pythag.* θεομιμον εςι πραγμα βασιλεια, regnum divina vel Deum imitans res est. Et *Sthenid.* αντιτιμος και ζηλωτης τω πρατω θεω, rex venerabilis est, æmulusque summi Dei. Secundum *Plutarchum ad Princ. Ind.* princeps est instar Dei (εικων θεȣ) cuncta pulchre ornantis. Neque tantum e longinquo in tota hac rerum universitate ipsis ostenditur imperii divini exemplum, sed experiuntur id ipsum in se ipsis, in sua rep. quamdiu ejus quidquam exstitit, & in omnibus aliis, quæ ipsos circumstant, personis, rebus, civitatibusque (§. 339. *P. I. Polit.*). Perlustravimus aliquatenus regias autarcharum virtutes theoreticas; veniendum nunc est ad activas (§. 42).

§. 91.

Quantæ sublimitati morum autarchis studendum.

Sublimitati virtutum intellectus autarcharum curandum est, ut respondeat sublimitas virtutum moralium. Exerceri enim ars per se regnandi quam optime nequit, nisi summarum virtutum ope (§. 40). Summæ autem virtutes perfectionis sublimitatem vel ratione intellectus vel voluntatis sibi habent propositam, quarum illæ contemplativæ, hæ activæ nuncupantur (§. 42.). Perfectio autem omnium, quæ insunt, consensum requirit in

scopo

ſcopo rei conſequendo (§. 503. 505. *ſeqq. Ontol.*). Quare cum & virtutes inter ſe, & voluntas cum intellectu conſentire debeant, & actiones liberæ cum naturalibus (§. 6. 9. 21. *P. II. Philoſ. pract. univ.*); cum omnes virtutes conjungendæ ſint, nec uni vel alteri ſtudendum cum neglectu cæterarum (§. 154. *P. I. Ethic.*), & perfectio voluntatis naturalis ope virtutum moralium dependeat a perfectione intellectus (§. 13. *ibid.*): manifeſtum eſt officium rectorum civitatum curandi, ut ſublimitati virtutum intellectus par habeatur ſublimitas virtutum voluntatis ipſorum, *ideoque eorum facultates appetendi quam optime excolantur* (§. 45.).

Vti magnos magna decent, ita ſummos non niſi ſumma. Sed rectores civitatum ſummo in loco eſſe, nemo ignorat. Idcirco & ipſorum virtutes ſummas requirit perſona ipſis impoſita & majeſtas in omnibus tuenda. Proprium ipſorum munus eſt, intelligere, ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem, ac decus ſuſtinere. *L. I. officior. Ciceron. c. 34.* & *L. IV. de Fin. c. 14.* Virtus, inquit ut omnes fatemur, altiſſimum locum in homine & maxime excellentem tenet . . . In omni enim animante eſt ſummum aliquid atque optimum . . . ſic in homine perfectio iſta in eo potiſſimum, quod eſt optimum, id eſt in virtute, laudatur. Nos autem jam virtutes non cum rebus aliis, ſed cum ipſismet comparamus, & ſummas dicimus, quæ principem inter humanas virtutes locum tuentur, eo quod & majores ſunt cæteris & meliores, itaque & hujusmodi, ut aliæ ipſis ſuperiores non dentur vel inter autarchas. Id quod jam per præcipua virtutum moralium genera erit oſtendendum.

§. 92.

Inprimis ſummæ ſtudendum eſt pietati.

Nil magis inter virtutes practicas ſummos autarchas decet juvatque, quam ſumma pietas. Etenim rectoribus civitatum per ſe regnaturis curandum eſt, ut ſummis virtutibus intellectus reſpondeant ſummæ virtutes morales (§. 91.). Inter has vero pri-

mum locum tuetur pietas, quæ non modo omnes virtutes erga Deum complectitur, verum omnes quoque cæteras virtutes evehit ad gradum sublimiorem, conformando actiones divinæ voluntati majestatique, quantum datur (§ 339. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero autarchis enitendum est, ut Deo evadant quam simillimi (§. 26. & 90.). Quod cum summa fiat pietate, cæterarum virtutum principe & genitrice, itaque eorum laudem regiminis & prudentiam regnandi tantum evehat, quantum fieri maxime potest: nil magis majestatem eorum decet e numero virtutum activarum, quam pietas summa (§. 113. *P. III. Ethic.*).

Eadem vero pietas summa non potest non Deo maxime placere, utpote eos aptos reddens ad repræsentandam summam Dei majestatem (§. 1134. *P. I. Jur. nat.*), ideoque rectores tales ipsi reddere quam acceptissimos gratiosissimosque, quia parent voluntati divinæ (§. 341. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*), & Deum imitantur (§. 117. *P. III. Ethic.*). Ea propter rectores civitatum certi esse possunt de summa Dei in se bonitate, gratia & providentia, ac in eadem adquiescere & fiduciam collocare (§. 436. *seq. ibid.*). Cum divino auxilio & præsidio nil majus esse possit, dum infinitum est (§. 738. & 745. *P. I. Theol. nat.*): nil magis juvare autarchas potest, quam pietas summa, qua Deum in suas pertrahunt partes, & sine qua felices atque beati esse nequeunt (§. 381. & 400. *P. I. Jur. nat.*). Iidem summa pietate excellere inter ipsosmet autarchas possunt (§. 40.). Quamobrem summæ pietati in primis studendum esse intelligitur (§. 1006. *P. VIII. Jur. nat.*).

Mirum forsan videbitur, quod rectores civitatum requiramus pientissimos, cum vulgo dici soleat, exeat aula, qui volet esse pius, quasi inter eos pietas locum non reperiret ullum. Sed illud de perversis aulis valere, non ibo infitias. Neque disceptabo

bo cum quoquam, qui id male adhiberi contendat ab iis, qui pietatem deesse credunt, ubi pompæ exteriori vel superstitioni suæ locus non datur. Nihil obstat, quo minus & vera pietas in rectoribus civitatis dari possit, & passim detur. Saltem dari in illis debet, & exemplo esse subditis, quod imitentur. Quo altiori loco sunt positi, quo digniores se præstare debent vicibus imperii divini gerendis, & quo magis indigent numine propitio in tanta rerum mole sustinenda, cui præfecti sunt; eo magis studendum ipsis est, ut sincera summaque pietate officiis erga ipsum quam optime fungantur, nec ea negligant, quæ revelata Dei voluntas docet & agenda injungit, nec sibi, suæ posteritati & civitati exitium contrahant impietate.

§. 93.

Quia sinceræ summæque pietati studendum est a rectoribus civitatum, ipsisque autarchis, *summa animi contentione id ipsis agendum est, ut recte de Deo sentiant, & optima exercitia pietatis, distincta & viva cognitione perspectæ, in quovis actionum genere sibi familiaria reddant* (§. 122. P. III. Ethic.), sibi caveant ab erroneis de Deo opinionibus (§. 124), nec aures præbeant atheis, notionem Dei omnemque religionem & pietatem pro figmento politico venditantibus, ad refrænandas plebis indomitæ cupiditates, quæ metu pœnarum civilium compesci nequeunt, quæque homines supra vulgus sapientes dedeceat (§. 125. *seq. ibid.*). *Recto de Deo sensu & sincero cultu.*

Recto de Deo sensui, seu veræ vivæque ejus cognitioni multa obstant, ignorantia scilicet omnis, omnisque erronea opinio, ex confusa tantum cognitione proficiscens. Cujusmodi sunt omnis generis superstitiones, & inanes persuasiones, dubitationesque de Dei providentia, de obligatione naturali, non nisi a voluntate Dei deducenda (§. 127. *P. III. Ethic.*). Complures de Deo errores refutatos exhibet *P. II. Theologiæ nat.* §. 411. *usque ad finem.* Et felicitatis humanæ plurimum interest, Deum recte nosse & colere (§. 74. *P. III. Ethic.*), & nil magis hominem decet, quam Dei scientia & cultus (§. 75. *seqq. ibid.*). Atheismi autem precaria

caria principia & abſurda placita enarrat (§. 84 & *ſeqq. ibid.*). Vti & abſurditas commenti, religionem eſſe coërcendæ plebis cauſa effictam, ob oculos ponitur §. 97. Pietatis vero exercitiis pravitas affectuum, licentia vivendi, & luxus pudendus vehementer obſtant, quibus ideo quam optime occurrendum eſt (§. 130. *ſeqq. ibid.*). Obſtant quoque iisdem alii errores, v. c. quibus, quod divini numinis gubernationi tribuendum erat, cæcitati fortunæ, aut fatali imputatur neceſſitati, ne quidquam reverentiæ religioſæ loci relinquatur. Sed fatalismi everſio habetur (§. 575. *P. II. Theol. nat.*); & perperam fortunæ vel caſui ſubjiciuntur, quæ providentiæ divinæ ſunt tribuenda (§. 464. *ſeqq.* & 535. *ſeqq. ibid.*), cum caſu nihil fiat ratione Dei (§. 462.), & caſus purus ſit abſonus (§. 96. *Cosmol.*).

§. 94.

Quænam involvat ſumma pietas.

Summa pietas autarchæ infert ſummum erga Deum amorem vel ſummam ejus charitatem (§. 1172. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 241. 272. *P. III. Ethic.*); ſummum Dei timorem filialem (§. 319. *ſeqq. ibid.*); ſummam obedientiam (§. 191. *ſeq. ibid.*); ſummam admirationem & venerationem, qua eum maximi faciat (§. 1181. *P. I. Jur. nat.*), ſummam reverentiam (§. 359. *ſeqq. P. III. Ethic.*); ſummam laudem Dei (§. 364. *ſeqq. ibid.*), & celebrationem (§. 461. *ſeq. ibid.*); ſummam animi ſubmiſſionem (§. 382. *ſeq. ibid.*); ſummam fiduciam in Deo (§. 403. *ibid.*), ſummam devotionem, invocationem, adorationem, & gratiarum actionem (§. 485. 493. *ibid.*); ſummam adquieſcentiam in Dei voluntate & providentia (§. 436. *ibid.*); ſummum ſtudium Deo ſerviendi, vivendi, fruendi ac ſe uniendi (§. 195. 253. 287. *ſeqq. ibid.*), & Deum colendi religioſiſſime (§. 505. *ſeqq. ibid.*); ſummamque conſcientiæ cuſtodiam & religioſitatem (§. 335. *ibid.*) & (§. 129. & 150. *P. I. Ethic.*).

Nihil in his eſt, quod non ſit digniſſimum ſummis autarchis, & longe dignius ac ſtringentius eo obſequio, amore, cultu, timore,

more, eaque animi ſubjectione, veneratione, reverentia, laude cæterisque officiis, quæ a ſuis requirunt ſubditis ſervisque. Quid enim ſunt iſta beneficia & argumenta, quibus ſibi ſubjectos devinciunt & obligant, ſi comparentur cum illis, quæ ipſi autarchæ a ſeſe habere nequeunt, ſed numini ſummo in acceptis ferunt, & ab eodem æque immo multo facilius exui illis poſſunt, ac ipſi, quæ dedere aliis, adimere valent? Habent in his multo ſolidiora felicitatis perennis præſidia, ſibi ſuæque poſteritati parata; habent certiorem ſpem rerum ſecundarum omnis generis, & ſolatii in adverſis & gloriæ immortalitatis; ne quid addam de æternitate beatitudinis, quam in ulla alia ſententia, aut lubrica opinione obtinere poſſunt. Quidquid ſibi a ſubditis denegari nolunt, id ipſi nec Deo denegare debent, ceu regi regum ſummo.

§. 95.

Autarchis opus eſt ſummo ſui imperio.

Sublimitati virtutum moralium erga ſe autarchis ea ineſſe debet excelſitas & tranquillitas animi, qua ſummo imperio ſui ipſius quam optime funguntur. Scilicet nemo non ſuæ felicitatis eſt cupidiſſimus, teſte experientia uniuscujusque; nec aberrat ab eadem, niſi neglectu officii ſui erga ſe ipſum, v. c. ignorantia, errore & affectuum impetu. Jam ſi autarcha, ut par eſt, animum liberavit ab ignorantia & erroribus ope virtutum intellectus, voluntas ſponte ſequetur dictamina intellectus rite exculti, niſi intercedat impetus pravorum affectuum imperioſorum. Quod ne fiat, debitum moderamen affectuum, ideoque ſummum imperium ſui ipſius cavere poteſt & debet. Ea propter autarchis ea ineſſe debet animi excelſitas tranquillitasque, qua ſummo imperio ſui ipſius quam optime fungantur in vincendis pravis affectibus legi divinæ obluctaturis (§. 40.).

Plato ſapientiores in Rep. imperare juſtum dicit, qui ſibi ipſis ſuisve cupiditatibus imperent, *in Gorgia ultra medium.* Sic *Iſocrates ad Nicoclem* ait: impera tibi ipſi, idque maxime regi-

 um

um puta, si nullis libidinibus servias, &c. De animi celsitate & altitudine Cicero passim loquitur, quanquam eam non satis distincte explicat. V. c. *L. I. offic. c. 23.* omnino, ait, illud honestum, quod ex animo excelso quærimus, animi efficitur, non corporis viribus . . . . Totum est positum in animi cura & cogitatione, in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togali reip. præsunt, quam qui bellum gerunt . . . Constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, nec a ratione discedere. Quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem, & quid agendum sit, cum id evenerit. Hæc sunt opera magni animi & excelsi, & prudentia consilioque fidentis. *Cap. 25.* pergit: in liberis populis & in juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas & altitudo animi, quæ dicitur, ne, si irascamur aut intempestive, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem & odiosam incidamus. Deinde *Lib. III. de offic. c. 5.* scribit: multo magis est secundum naturam excelsitas animi & magnitudo, itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ. Quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi est & excelsi. Hæc ille, e quibus colligere licet, ipsum eo nomine insignivisse usum & imperium rationis, evitans perturbationem animi, qua a recta ratione agendi recedatur, & committatur quidquam, cujus postea pœniteat. Et est sane fortior, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia; vel ut *Plato Dial. 1. de Legg.* ait: vincere se ipsum omnium victoriarum prima est & optima. Sunt affectuum impetus & motus turbidi contrarii sæpe & inimici rationi, quam ne vincant, rationis est illis imperare, cui regnum totius animi a natura tributum est: secundum *Platonem L. 4. de rep.* & *Ciceronem L. 3. Tusc. Quæst.* Quare præfuturo aliis in rep. in primis curandum est, ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet. Neque quisquam alios recte reget, nisi qui se ipsum regere quam optime didicit. *Sen. Ep. 113.* imperare sibi maximum est imperium.

§. 96.

§. 96.

Vt quam optime ſibimet ipſis præſint autarchæ, accurato ipſis opus eſt notitiæ ſui ſtudio (§. 1. *P. I. Ethic.*); charitate ſui propter Deum (§. 52. *ſeqq. ibid.*), perfectionem ſui ſubſidio omnium virtutum quærente (§. 58. *ſeq. ibid.*); cura felicitatis veræ (§ 88. *ſeqq. ibid.*), nec præpoſtera, nec neglecta propter voluptates corporis ſenſus demulcentes (§ 92. *ſeqq. ibid.*), vel propter Epicuræismum, Materialismum, Deismum aut Atheismum (§. 118. *ſeqq. ibid.*); cura animi virtutibus quibusque perficiendi, quantum fieri poteſt (§. 137. *ſeqq. ibid.*); ſtudio virili culpam vitandi (§. 179 *ſeqq. ibid.*); cura corporis, ejusque vitæ, ſanitatis, integritatis membrorum, & habituum decentium, exercente temperantiam, ſobrietatem & diætam ſalutarem, & caſtitatem, fugamque eorum, quæ his repugnant, de quibus conſulendum totum *Caput IV. ibidem;* cura rerum recte comparandarum & utendarum, ope diligentiæ debitæ, animi ſua ſorte contenti, parſimoniæ, & magnificentiæ, & fuga vitiorum his obſtantium, pigritiæ, avaritiæ, prodigalitatis, luxus &c. de quibus exponit *Caput V. ibid.*; cura famæ per excellentiam virtutum & meritorum, modeſtia, humilitate, magnanimitate, & fuga puſillanimitatis, immodeſtiæ, abjecti animi, ambitionis, arrogantiæ, faſtus, jactantiæ; item cura fortunæ utriusque recte æſtimandæ & tractandæ heroica, fortitudine, æquanimitate, patientia, fuga impatientiæ, ferociæ, nimiæ confidentiæ, diffidentiæ & deſperationis, audaciæ, timiditatisque, de quibus videatur totum *Caput VI. ibid.* Cæterum quia ſublimitati virtutum intellectus autarcharum reſpondere debet ſublimitas virtutum voluntatis (§. 91.): intelligi ſatis poteſt citra operoſam probationem ſingulatim adjiciendam, in ſingulis hiſce virtutibus eam autarchis ſectandam eſſe excellentiam, quæ ipſorum majeſtati reſpondet ſummo, quem inter homines ſuique ſimiles autarchas adipiſci poſſunt, gradu.

Cæterisque virtutibus erga ſe ipſos.

Magni-

Magnificentia v. c. magnos facit sumtus in res, quas decor exigit ac splendor vitæ & dignitatis, amplitudini patrimonii sui respondentes (§. 389. *P. IV. Jur. nat.*) & *Aristoteles L. 4. Ethic. c. 2.* itaque suis divitiis una aliis inservit, nec parsimoniæ adversa est (§. 473. *seq. P. IV. Ethic.*). Cum autarcharum dignitas in rep. sit summa, cum & patrimonio gaudeant, reditibusque majestati summæ convenientibus; liquet, ipsos in civitate esse debere magnificentissimos, ideoque summæ magnificentiæ studere. Sic magnanimitas & in contumelia recte se geret, & honorum magnorum appetitum legi naturæ convenienter moderatur (§. 564. *P. I. Jur. nat.*). Quamobrem summa magnanimitas quoque maximis honoribus per præclara facta & summas virtutes merendis omnem navat operam, in eorum vero testificationibus, laudibus & signis seu admittendis seu declinandis id sequitur, quod prudentia consultius ducit, immo ab appetentia eorum animum habet alienum, quantumlibet summis in remp. meritis sit illustrissimus. Generatim *Plato in Alcibiade c. 1.* docet: prius virtutes sibi adquisivisse debet, quisquis non sibi tantum ac suis, sed & reip. & quæ ad illam pertinent, recte est præfuturus. Et *Seneca Epist. 90.* summa olim erat felicitas gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior.

§. 97.

Item virtutibus summis erga alios.

Quia proprium autarcharum opus & laus præcipua est quam optima exsecutio sapienter de rep. decretorum suo marte facta (§. 25.), vel summa regnandi sapientia prudentiaque (§. 5.), improvisis quoque ex tempore quam optime decernendis exsequendisque par (§. 2.): *sublimibus excellere debent virtutibus erga alios homines, in primis ad feliciter regnandum facientibus* (§. 91.).

Præcipuum imperii munus redit ad officia erga alios, seu pares, in aliis civitatibus regnantes, seu inferiores, quibus in sua civitate obsequii gloria est relicta. Quæ officia non melius quam virtutibus erga alios exercentur, quæ ad ipsa quam optime exhibenda sunt comparatæ. Quo hæ virtutes sunt sublimiores, & quo

quo diligentius applicantur, ubicunque earum exercendarum occasio datur: eo excellentius, laudabilius, feliciusque ipsum erit autarchicum imperium, eoque gloria ejus erit illustrior per omne ævum.

§. 98.

Prævio recto obsequio.

Quo rectius autarcha subesse didicit, eo melius poterit postea civitati præesse. Virtutes enim ad feliciter regnandum requisitæ non nascuntur cum ipso, sed sunt adquirendæ, quod neminem præterire potest, nisi rerum omnium ignarum. Adquiruntur autem, dum distincta officiorum cognitio per aliorum exempla illustratur, in usum traducitur, imitanda proponitur, & in nonnullos jam ita exercetur, prout sentit, id bene fieri ab illis, quibus ipse subest. Ita nempe experitur, quid placeat & tibi, & cæteris imperio subjectis, & quid in rectore civitatis laudetur, quid minus. Vnde incitari sese sentiet ad laudes æmulandas vel superandas, & ad vituperia evitanda, quæ non sunt iniqua. Ea nempe est vis exemplorum, præsertim vivorum, qua influunt in animum flectendum (§. 277. 289. *P. II. Phil. pract. univ.*).

Et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, & qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet & eum, qui paret, sperare, se aliquo tempore imperaturum, & illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum. Ita sciscit *Cicero* Remp. romanam sui temporis ob oculos habens, de *Legg. L. III. c. 2.* Non vero tantum in Aristocratia & Democratia id ita valet, sed cum nemo Monarcharum, per se imperio aut regno præfuturorum, uti in lucem editur, jam recte imperare possit, vel, ut cum Platone loquar, jam sapiens & Philosophus nascatur: de autarchis ipsismet haud aliter statui potest, quam & illis discendam esse rationem bene regnandi, ideoque & illis antea parendum esse his, quorum est, eos educare & erudire.

§. 99.

Autarchæ sint civitatis amantissimi.

Summa in autarcha esse debet charitas salutis publicæ suæ civitatis. Scopus enim cujusque civitatis est salus publica, quanta conjunctis viribus haberi potest, ejusque tuta fruitio (§. 35 *sqq. P. I. Polit.*). Rectores autem civitatum ideo earum imperio præfecti sunt, ut omnia ad scopum civitatis quam optime dirigant, quæ in ea fieri aut non fieri debent (§. 20 *seqq.* & 42 *P. VIII. Jur. Nat.*). Quod cum melius fieri nequeat, quam si rectores civitatis summa charitate salutem publicam suae civitatis complectantur (§. 276 & 1009 *ibid.*): manifestum est, autarchis quoque summam inesse debere charitatem, qua in curam exactissimam publicæ salutis eius civitatis, cui præsunt, ferantur, atque civitatis sint amantissimi.

Id suo ævo *Isocrates Nicocli* inculcavit his verbis: imperaturum oportet esse (φιλανθρωπον και φιλοπολιν) & hominum & civitatis suæ amantem, vel amantissimum. Nec enim fieri potest, ut ulli rei quisquam recte præsit, nisi gaudeat & delectetur iis, quorum ei facienda est procuratio. Populus curæ tibi sit, & omnia in eo posita esse putato, ut is imperio tuo delectetur. Notum enim est, imperia eo esse diuturniora, quo diligentius populum coluerint. Sic autem bene imperabis, si neque vulgi petulantiæ locum dederis, neque alios populo insultare passus fueris, cæt. Pariter *Plato in Dial. VI.* de rep. principes civitatis amantes requirit, ne, dum voluptatibus vel doloribus tentantur, de suo officio neque in laboribus neque in timoribus, neque in ulla alia rerum mutatione discedant. „Neque id difficile videri debet. Si enim civitas est in ipsorum patrimonio, sua merito amant, iisque quam optime consultum eunt. Sin minus, salute eius tamen una fruuntur & redamantur.

§. 100.

§. 100.

Quia parentes liberorum ſuorum debent eſſe amantiſſimi, eorumque felicitati ac fortunis conſulere, quantum poſſunt (§. 260 & 977. *P. VII. Jur. nat.*); & rectores civitatis pariter obligantur ad ea facienda, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & omittenda, quæcunque eidem adverſantur (§. 84. *P. VIII. Jur. nat.*), & dum id faciunt, bene imperant, ſalutemque publicam ſupremam ducunt legem (§. 85. *ſeq. ibid.*): ut ſalutis publicæ amantiſſimi eſſe cognoſcantur (§. 99), ſumme *paterno in cives ſuos vel in populum ſuum animo eſſe debent*, exemplum Dei imitaturi velut vices ejus gerere juſſi (§. 90), & ex felicitate populi ſui velut ex ſuamet voluptatem percipere, tædium vero ex ipſius tædio (§. 1010. *P. VIII. Iur. nat.*). Hinc ſalvo gradu ϛοργης naturalis autarcha ſimilem ſe gerit, & fere talem in populum, qualem ſe liberis præbet. *Et patres ejusdem.*

Ciceronem primum parentem patriæ eſſe appellatum, *Plinius* teſtatur *Lib. VII. c. 30.* & *Iuvenalis Sat. 8.* Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit; quia magiſtratus quaſi bonus parens ac tutor fidelis eſſe debet, ſciſcente *Cicerone de Orat. L. 3.* Multo magis autarcha tanquam publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum *Floro* videtur *L. I. c. 9.* Ita & *Seneca L. I. de Clement. c. 14.* Patrem patriæ appellavimus, ut ſciret, ſibi datam poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens. Dudum vero antea *Xenophon Cyripædiæ L 8.* notavit, nihil inter principem bonum & patrem bonum intereſſe. Nam & patres liberis proſpicere, ne unquam eos bona deficiant, & Cyrum ea conſulere, de quibus ſocii perpetuam felicitatem ſint conſecuturi. Hoccine eſt principem dicere patrem ſuæ civitatis, e qua ſi natus ſit, ſimul patriæ ſuæ? De Iobo in cæteros patre vid. cap 29, 15 ſeq. & *Cap.* 31. 18 *ſeqq.* Naamanem Regis Syriæ belli ducem ſervi ejus appellabant dilectum Patrem 2 *Reg.* V. 13, & Eliſam rex Ioram appellat

lat patrem ſuum 2 *Reg.* VI. 21, & Ioas 2 *Reg.* XIII. 14. Recte *Seneca loc. cit.* Quod officium eſt regis? quod bonorum parentum . . . . Hoc quod parenti, etiam bono principi eſt faciendum, quem appellavimus patrem patriæ, non adulatione vana adducti. Cætera enim cognomina honori data ſunt. Magnos, felices & Auguſtos dicimus, & ambitioſæ majeſtati quidquid potuimus titulorum, congeſſimus, illis hoc tribuentes &c. Agamemnonem *Homerus Iliad.* 2. paſtorem populorum minori emphaſi vocavit.

§. 101.

Vel ſummi patresfamilias.

Nec minus ſummus paterfamilias eſſe debet autarcha. Paterno enim ferri debet in populum ſuum affectu (§. 100). Sed bonus paterfamilias omnino paterno eſt affectu in liberos ſuos, uti eſſe debet (§. 637 *ſeqq. P. VII. Iur. nat.*). Vxorem in amore & dilectione omnibus cæteris hominibus præfert, ad felicitatem conjugii collaturus, quantum valet (§. 94 *Oecon.*). Bene ſervientes autem ratione extraneorum reſpicit ut liberos (§. 653 *ibid.*), & charitate præcipua eos fovet, ac felices reddere ſtudet (§. 654 *ſeqq. ibid.*) Iam Rector ciuitatis merito civitatem conſiderat ut magnam & ſuam domum, cui bene h. e. ita præeſſe debet, ut & ipſe ſit quam feliciſſimus, & propterea ſimul & domus ſeu civitas ſit quam feliciſſima: quia ſine hujus felicitate & ipſe feliciſſimus eſſe nequit, ſed ejus infelicitas in ipſummet redundabit (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*). Præeſſe igitur civitati ſuæ debet, ut maximus optimusque h. e. uti ſummus paterfamilias.

Quemadmodum homini melius eſſe nequit, quam ſi & animo & corpori & ſingulis ejus membris ſua conſtet incolumitas univerſa, qua ipſis ſit quam optime: ita quoque domeſtica ſalus tanta non eſt, quanta eſſe poteſt, niſi ſingulis domeſticis bene ſit, & mutuis officiis, conjunctisque viribus, conferant, quidquid valent, ad ſalutem totius domus quam florentiſſimam reddendam.

dendam. Multo minus salus publica integra & consummata esse poterit, nisi & rector & populus omnis connitatur in eam evehendam ad summum fastigium, quod capere potest. Ideoque & populus omnia conferre debet, quæ potest, ad rectorem suum reddendum quam beatissimum, & vicissim rector civitatis nulli deesse debet officio, quo populum suum plerisque aliis beatiorem efficere possit.

§. 102.

Autarchis summa probitate utendum est erga suam aliasque civitates. Probitas enim præstat aliis, quæcunque ipsis seu perfecte seu imperfecte debentur (§. 163 & 172 *seq. P. III. Polit.*). Cum autarchis opera sit navanda, ut summis virtutibus vel inter sui similes excellant (§. 40. 43 & 91): ipsis quoque summa utendum est probitate erga suam aliasque civitates (§. 40). *Sint summæ probitatis.*

Non abludere hanc probitatem a charitate aliorum summa, constat ex §. 162 *P. III. Polit.* Plato dixit probitatem integritatem morum; qua Cicero Theophrastum tam moratum fuisse ait, ut præ se probitatem ac ingenuitatem ferret *L. I. Acad. Quæst. c. 9.* Pro *Plaucio* eam dicit non infuscatam malevolentia, non adsuetam mendaciis, non fucatam, non fallacem, non eruditam artificio simulationis, vel suburbano, vel etiam urbano . . . . & post alia: hæc sunt indicia solida & expressa, hæc signa probitatis non fucatæ forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *c. 9 & 12.*

§. 103.

Summa autarchis inesse debet fides promissorum servandorum. Summa enim uti debent probitate & intus in sua civitate, & extus erga alias civitates (§. 102). Probitas autem aliis debita accurate præstat (§. 163. *P. III. Polit.*). Quare cum promissorum præstatio aliis debeatur (§. 431. *P. III. Jur. nat.*); summa autarchis inesse debet fides servandorum promissorum. *Summæ fidei.*

Agnovit illud Carolus V. imperator, fidem Luthero datam in comitiis Wormatiensibus servans, nec aures præbens iis, qui secundum decretum concilii Constantiensis negabant, hæretico esse servandam fidem, sed regerens: fidem rerum promissarum, etiamsi toto mundo exulet, apud imperatorem tamen consistere oportere. Et quis autarchæ fidem datam servaret, si ipse eam aliis datam præstare nollet?

§. 104.

Summæ justitiæ, æquitatis & humanitatis. Dum justitia universalis quoque omnes erga alios virtutes complectitur (§. 164. *P. III. Polit.*), summa probitas autarchas decens (§.102), *summam quoque justitiam in ipsis requirit erga omnes, quibus cum ipsis aliquid negotii intercedit* (§. 532 *sqq. P. VIII. Jur. nat.*). Quæ justitia & *æquitas & hummanitas summa* appellatur in officiis, charitati potius, quam perfectæ obligationi tribuendis, ad quæ & rectores civitatis in omni reip. forma obligantur (§. 273 & 536. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 105.

Item veracitatis taciturnitatisque. *Officio jubente summa autarcharum esse debet veracitas taciturnitasque.* Quando nempe officium erga alios aut erga se requirit, ut animi sensa aliis declarentur, tum opus est veracitate, & quando officio cuidam id repugnat, tum opus est taciturnitate (§. 524. *P. V. Ethic.*). In iisdem ergo casibus summa esse debet autarcharum veracitas taciturnitasque (§. 40).

In promissis pactisque vera animi sensa declaranda esse & præstanda, §. 103 extra controversiam est positum. Idem requiritur, quando alterius periculum aut damnum est præcavendum; item quando alii sunt docendi vel jubendi; aut quando illis prodesse sermone aut scriptis volumus; quando tacere nolumus, cum possemus (185. *P. III. Jur. nat.*). Studio veracitatis non admittenda est nec propria nec aliorum calumniandi assentandi, mentiendique libido. Quando sit tacendum, docetur (§. 550 *P. V. Ethic.*), at fugienda garrulitas, futilitas, jactantiaque (§. 554. *seqq. ibid.*)

§. 106.

§. 106.

Neque summa urbanitas sinceritasque abesse ab autarchis debet. Regit enim urbanitas decorum, cujus peculiaris est gratia in rectoribus civitatum (§. 573. *P. V. Ethic.*), utpote quæ existimationis, benevolentiæ & amicitiæ est conciliatrix (§. 574. *ibid.*), & cum summa humanitate æquitateque conjuncta est (§ 104). Quare ea carere dedeceret autarchas, aut rusticitate foedaret. Accedit, quod non tantum decorum privatum sed & publicum habet tuendum rector civitatis & autarcha, ideoque non tantum quid se, sed & quid suam civitatem deceat, considerandum habet. Totius enim civitatis suæ persona ipsi est imposita, & pro dignitate civitatis gerenda (§ 995. *P. VIII. Iur. nat.*) & (§. 91. *in not.*). Sinceritas probas actiones externas conformat internis (§. 314. *P. III. Iur. nat.*), nec tantum in declarandis animi sensis, sed & in cæteris virtutibus exserendis conspicuam infert perfectionem (§. 599 *seqq. P. V. Ethic.*), hinc & ad veracitatem taciturnitatemque ornandam facit (§. 603 *ibid.*), itaque a fuco morali, a simulatione & dissimulatione officiis contraria abhorret (§. 607 *seq. ibid.*). Ea vero, quæ officiis est consentanea, utitur, quam optime fieri potest. Summæ igitur sinceritatis cultores esse decet autarchas (§. 40). *Excellant urbanitate & sinceritate.*

Vel nomen germanicum urbanitatis, **Höflichkeit**, aulis rectorum reip. propriam facit hanc virtutem, quoniam ibi in summo gradu splendere consuevit. Sinceritatem vero summam & probitas summa flagitat (§. 102).

§. 107.

Autarchis summa convenit comitas. Est enim aliis quibusque honor meritus habendus (§. 890. *P. I. Iur. nat.*). Sed illud a nemine amplius meliusque feri potest, quam a summo civitatis judice meritorum, & direbitore honorum, h. e. ab autarcha, quod per se patet. Eapropter cum comitas virtus *Et honorifica comitate.*

illa ſit, quæ alteri cuique honorem, quem meretur, tribuit (§. 475. *P. V. Ethic.*), autarchis ſumma convenit comitas, vel ſummum honorificentiæ ſtudium, a quo honorificentiſſimi dici mereantur, ſuperbiæ vero & adulationis oſores (§. 495 & 502 *ibid.*)

§. 108.

Munificentia ſumma & miſericordia. Quandoquidem liberalitas & miſericordia ſunt virtutes omnibus hominibus incumbentes (§. 426. *P. V. Ethic.*), & ex charitate aliorum proficiſcuntur, tanquam ex fonte: rectores civitatum, in primis *autarchæ*, ſumma charitate ſalutis publicæ ſuæ civitatis, paternoque animo in populum ſuum ducti (§. 99 *ſeq.*), *ſummam* quoque *exercere debent liberalitatem munificentiamque in omnes, qui illam merentur, & miſericordiam ſummam erga miſeros in ſua civitate*, & a vitiis oppoſitis admodum abhorrere.

De Q. *Roſcio Comœd.* diſputans *Cicero* contra adverſarium *c. 8.* quærit: avarus erat? & reſpondet: immo etiam antequam locuples, ſemper liberaliſſimus munificentiſſimusque fuit. Ita *Plinius* rerum naturæ munificientiam, mento veluti ſummam affert. *L. 27. c. 1.* Quæ cum Dei potius ſit, autarchæ pro ſuo modulo eam imitari debent, ut ſuo merito & in ſua civitate munificentiſſimi ſint, nec facile ſe ab alio rectore civitatis in ea vinci patiantur. Quo magis miſeri merentur liberalem miſericordiam, eo magis illa ipſis eſt exhibenda. Sic ſumma miſericordia & omnes miſeros ſua munificentia proſequetur, & eos, quam optime fieri, poterit, miſeria liberabit.

§. 109.

animo gratiſſimo. Erga bene meritos gratus animus eſt declarandus, amore charitateque & reapſe reddendis beneficiis teſtandus (§. 31. & 42 *P. IV. Iur. nat.*), & (§. 440. *P. V. Ethic.*). Quare *ſi autarchis quoque ſint*, uti eſſe ſolent, *ſui benefactores, bene de ipſis meriti,*

meriti, gratissimi erga eosdem & beneficentissimi esse debebunt pro meritorum conditione & gradu.

Loco benefactorum non tantum sunt parentes consanguinei, & affines, officiorum suorum satagentes, sed & tutores cæterique parentum in educatione vicarii, amici, & ministri fideles, insignitis meritis præstantes in rebus seu publicis, seu & autarchæ privatis, uti in tuenda ejus vita, valetudine, virtute, fama cæt. Ita Alexander M. Leonidæ, quo usus erat pædagogo, Arabia potitus, navem thure onustam misit, exhortans eum, ut in Deos parcus esse desineret, ut *Plinius* refert *L. XII. c. 14.* Aristotelem vero dixit se magis diligere, quam Patrem, a quo tantum acceperit, ut viveret, sed a præceptore, ut bene viveret. Philippus quoque Aristotelem summo in pretio habuit, eique in hæc verba scripsit, gratias ago diis, non tam quod mihi natus est filius, quam quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim ut a te edoctus, dignus existat & nobis & tanto regno. Quare & patriam ejus Stagiram dirutam instauravit, & cives, qui diffugissent, restituit. Alexander vero, malle se optimarum rerum scientia, quam potentia antecellere, professus est, & ægre tulit, quod Aristoteles disputationes acroamaticas ediderat, his usus in epistola verbis: qua in re aliis præstabimus, si quibus disciplinis instituti summus, eæ jam omnibus communes fuerint? Quod excusavit Aristoteles, eas tantum ita editas esse docens, ac si editæ non essent. Tacemus similes aliorum laudes, Augusti, Neronis, Trajani, Adriani, Antonini Philosophi, cæt. Tacemus innumeras alias laudes remunerantium benefactores bene de se meritos in alio genere rerum. Modum hujus liberalitatis adquirendæ & perficiendæ tradit *Caput V. Ethicæ. P. V.*

§. 110.

Si qua injuria affecti sint autarchæ, prudenter summam adhibent mansuetudinem, etiam in defensione sui, famæ & rerum suarum, & in punitione necessaria, aut omittenda; nec non summam placabilitatem & fugam crudelitatis. Mansuetudo enim moderatur iram, & *Summa mansuetudine & placabilitate*

& animum abstinet a vindictæ cupiditate (§. 950. *P. I. Iur. nat.*), ideoque regit actiones nostras circa injurias ab aliis nobis illatas (§. 250. *P. V. Ethic.*), distinguens offensam dolosam a culposa, veram ab opinata (§. 255. *ibid.*), iram & odium præcavens, mitigans, sedans; diligens inimicum uti se ipsum (§. 259. *seqq. ibid.*); debite regens defensionem sui, famæ & rerum suarum (§. 265. *seqq. ibid.*). Si qua opus est punitione propter periculum futuræ læsionis avertendum, mansuetudo illam quoque regit secundum leges naturales (§. 283. *seqq. ibid.*); ne aut pœna statuatur meritis gravior, ubi levior sufficit aut infligatur, quando futuræ læsionis periculum est nullum (§. 286 *seqq. ibid.*). Si autem jus se defendendi & puniendi exerceri nequit, aut prudentia ab ejus usu abstinere jubet; mansuetudo patienter fert injuriam, omnemque eventum providentiæ divinæ committit (§. 289 *ibid.*), optans, ut ad saniorem mentem redeat, & animum injurium sibi conciliari benefaciendo studens (§. 290 *seq. ibid.*). Autarchis igitur summa utendum est mansuetudine (§. 40).

Quoniam mansuetudinis comes individua est placabilitas (§. 298 *ibid.*), & autarchis injuria affectis summa utendum est mansuetudine, iidem quoque summa eminere debent placabilitate, pronissima ad ultro ignoscendum & reconciliandum (§. 302 *seqq. ibid.*)

Hinc, quia amaritudo est implacabilis (§. 332 *ibid.*), & crudelitas, quantumcunque potest, malum offensori infert, sævit, & in puniendo modum excedit (§. 336 & 338 *ibid.*): summa placabilitas autarcharum requirit quoque summam detestationem & fugam horum vitiorum.

Modos has virtutes comparandi & excolendi, vitia autem illis adversa fugiendi, tradit *P. V. Ethicæ caput* 4. Solon jam inculcavit

culcavit hoc præceptum, eſto manſuetus tuis, apud *Stobæum ſerm. 3.* Quo quisque eſt major, magis eſt placabilis iræ, cecinit *Ovidius L. III. Triſt. Eleg. 5.* Nulla re propius homines ad Deos accedere, quam ſalutem dando, recte dixit *Cicero pro Ligar.* qui & de ſe *poſt reditum* ait, non eſt mei temporis, injurias meminiſſe, quas etiamſi ulciſci queam, mallem tamen obliviſci. *Plinius* eum exiſtimat optimum & emendatiſſimum, qui cæteris ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet; ita vero peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat. *Epiſt. 22. Lib. VIII.*

§. 111.

Et ſumma magnanimitate.

Si magnanimitas moderatur appetitum circa magnos honores (§. 564 *P. I. Jur. nat.*): eadem quoque verſatur circa læſiones exiſtimationis, honoris & famæ, quas injurias ſtrictius dictas appellamus (§. 874 *ibid.*), easque cum verbales tum reales (§. 875. *ſeqq. ibid.*). Ea vero ſe exſerit in injuria vulgari ne quidem dignanda inquiſitione, aut attentione, aut ira, ſed diſſimulanda, ſi vel innotuerit, ignoſcenda, aut contemnenda, certe non ulciſcenda. Quare *ſummæ autarcharum magnanimitatis eſt, injurias haud nocituras ne ſciſcitari quidem, & innoteſcentes condonare, aut contemnere plane, diſſimulare & oblivioni tradere.*

§ 112.

Quid ſit indulgentia, ſeveritas, lenitas, clementia & longanimitas?

Vti *indulgentia* licita virtus eſt ſummæ bonitatis, ſapienter permittens, quæ non ſunt vi impedienda, & largiens, quæ dari poſſunt: ita *ſeveritas* boni publici cauſa pœnas promeritas, ut par eſt, exſequitur; *lenitas* easdem prudenter mitigat; & *clementia* easdem propter bonum publicum remittit; quando *longanimitas* ex eadem ratione prudenter connivet, & eas differt in opportunius tempus. Quarum vitia exceſſu oppoſita interdum iisdem nominibus veniunt (§. 202. 205 *ſeq. Oecon.*)

Sunt hæ virtutes, quæ in laudibus Rectorum civitatis & Dei olim poni conſueverunt, hic ita a ſe invicem diſtinctæ, ut intelligantur

telligantur a ſe invicem differre, & habitus eſſe ſatisfaciendi obligationi legum naturalium. Qua in re non multum diſceptabo, num ab aliis eodem ſenſu adhibeantur. Dicimus hic longanimitatem, quam Græci μακροθυμιαν vocant, quæ & æquanimitas vel tolerantia vocatur, & ad patientiam a nonnullis, vix ſatis commode refertur. Clementiam Seneca modo vocat temperantiam in poteſtate ulciſcendi, modo lenitatem in pœnis conſtituendis, modo moderationem, aliquid ex merita pœna remittentem. Enim vero clementia poteſt & omnem pœnam remittere, & lenitas potius ſic exhibetur, a qua ipſe clementiam non exacte diſcernit. Severitatem animadverſionis & diſciplinæ omnes lenitati atque clementiæ opponunt. Quando *Plinius c.* 74. *Panegyr.* civitatem religioni deditam indulgentiam Deorum meruiſſe ſtatuit, procul dubio favorem facilitatemque concedendi optata innuit, & largitatem donandi.

§. 113.

Autarchæ ſint indulgentiſſimi?

Autarchas ſumma decet indulgentia. Eſt nempe indulgentia virtus ſummam bonitatem & largitatem in donando & permittendo ſapienter oſtendens (§. 112). Sed autarchas non decent niſi ſummæ virtutes (§. 40). Quidni ergo eos quoque deceat indulgentia ſumma (§. 108)? Quam ob rem autarchæ recte ſtudent, ut ſint quam indulgentiſſimi.

Indulgentia vulgo gratia (Gnade) dici ſolet, neque merita prægreſſa requirit, verum & nihil tale meritis concedit tamen ſummæ bonitatis uſum fructumque, quos in poſterum eſſe merituros, ſaltem conceſſa & permiſſa recte collocaturos eſſe ad bene merendum, ſpes eſt haud vana. Hinc donare dicitur ex ſumma charitate & bonitate, non præmiis afficere bene meritos, quod eſt juſtitiæ, nec remunerari. Dicitur quoque permittere, quæ minus recte vi præpedirentur: dum ad bonum finem ſapienter adhiberi poſſunt. Opponitur illi durities & laxitas diſciplinæ ac neglectus.

§. 114.

Nec minus summa severitas publicæ saluti ab autarchis est dicanda. Est enim severitas virtus, boni publici causa pœnas promeritas rigorose exsequens (§. 112.). Sed autarchæ imbuendi sunt summis virtutibus (§. 40.), etiam moralibus (§. 91.). Ea-propter & summa severitas ab autarchis boni publici causa sapienter est adhibenda (§. 656. *P. VIII. Jur. nat.*). *Item severissimi.*

Contigit tibi, quod haud scio, an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, scribit *Cicero Epist. fam. L. IX. 14.* & *L. XII. 27.* summa severitas cum summa humanitate jungatur. Item ad *Brut. 2.* salutaris severitas vincat inanem speciem dementiæ. Et de *offic. L. I. c. 25.* ita tamen probanda est mansuetudo, ut adhibeatur reip. causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Similiter *Tacitus in Agricola c. 19.* parvis peccatis veniam, magnis severitatem esse commodandam monet. Degenerans in excessu severitas atrocitas fit & crudelitas, vehementer detestanda.

§. 115.

Ubi graves suppetunt rationes, autarchis summa utendum est lenitate & clementia. Lenitas enim est virtus pœnas promeritas sapienter mitigans; uti clementia eas propter bonum publicum plane remittit (§. 112.). Sed enitendum est autarchis ad virtutes summas (§. 91.). Jam pœnæ nec mitigandæ sunt nec remittendæ sine gravi ratione (§. 658. *P. VIII. Jur. nat.*). Qualis adest, si præclara exstent merita vel ipsius puniendi vel ejus majorum aut cognatorum in autarcham aut remp. (§. 659. *seq. ibid.*), aut magna spes meritorum futurorum (§. 661. *ibid.*), item si resp. nimis multis civibus esset orbanda (§. 1097. *P. I. Jur. nat.*). Est ergo autarchis summa utendum lenitate & clementia, ubi sat graves suppetunt rationes (§. 383. *seqq. P. III. Polit.*). *Lenissimi & clementissimi.*

Lenitas eſt juſtitia in moderatione animadvertendi, inquit *Cicero in Paradox.* De Clementia autem conferatur Senecæ libellus. Cavendum autem, ne inepta ſit & nimia lenitas & clementia, quod contingit, quando a norma ſua recedit, quam utrique præſcripſit jus naturæ. Quo pacto degenerat in diſciplinæ ac juſtitiæ negligentiam, conniventiamque vitioſam. Exſerit ſe quoque lenitas in judiciis privatis de aliis in meliorem partem ferendis, quam diu certa non proſtant.

§. 116.

Tardiſſimi ad iram. *Autarchis ſumma opus eſt longanimitate.* Si enim pœnis coërcendi ſunt, qui faciunt, quæ in rep. permittenda non ſunt (§. 647. *P. VIII. Jur. nat.*); non erunt pœnis coërcendi, qui faciunt permittenda. Hi ergo æquanimiter erunt ferendi. Præterea quia in magna ſpe meritorum ratio continetur, pœnam vel mitigandi, vel remittendi (§. 661. *ibid.*): multo magis ob magnam meritorum ſpem differri poterit pœna in aliud tempus, cum, quod differtur, non auferatur, ſed tantum ſuo tempore agatur. Ergo & in eo caſu aliquamdiu connivendum, & pœna differenda erit. Jam ſi cuiquam, autarchis materia naſcitur copioſa, uti exercendi alias ſummas virtutes (§. 40.), ita & ſummam longanimitatem (§. 112.).

Imitandum autarchis eſt Dei exemplum (§. 90.), qui ſecundum notata ad §. 386. *P. III. Polit.* ſumma longanimitate pœnas promeritas differt, & reſipiſcendi non ſpatium tantum, ſed & argumenta bene multa validiſſimaque ſuggerit & inculcat. Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat, ſicut obſervavit *Valerius Max. l.* 2. Auguſti & Veſpaſiani ſymbolum idem tenet: feſtina lente. Ita conſtat, Davidem diſtuliſſe pœnas Joabi & aliorum, partim ob merita præterita & futura, partim in ſummæ clementiæ documentum (§. 384. *P. III. Polit.*). Non confundenda eſt hæc virtus cum vitioſa lentitudine aut torpedine aut corrupta conceſſione impunitatis.

§. 117.

§. 117.

Quid ſit gravitas ſumma?

Gravitatem dicimus virtutem autoritatis ſingularis parariam. Quæ ſumma erit, quando & maxima eſt & optima, pro ut horum verborum poteſtatem ſupra enuclearimus, ut & hic maxima ſit, quæ eſt ampliſſima, omnes exiſtimatione & autoritate admirabili implens; & optima, gradu excellentiæ prædita conſtantiſſimo, perfectiſſimoque.

Infert illa in animo conſtantiam firmam & virilem, & in corpore reſpondentem ipſi in moribus, vultu, verbis rebusque agendis conſenſum, aptum ad aliis inſpirandam venerabilitatem, autoritatemque aſſenſu & obſequio dignam. Vnde gravitas dicitur eſſe ſapientum, conſtantis ætatis, judicum, humanitate facilitateque temperanda, & a levitate pariter ac faſtu aliena.

§. 118.

Autarchæ ſint graviſſimi.

Summæ gravitati autarchis eſt ſtudendum. Egent enim ſumma admiratione & autoritate, qua ipſorum inſtituta & imperata maximi fiant, promtoque obſequio digna cenſeantur a cunctis imperio eorum ſubjectis. Quod uti ex autarcharum notione liquet: ita gravitas non eſt niſi virtus autoritatis ſingularis pararia, & ſumma dicitur, quando & maxima eſt & optima (§. 117.). Id circo ſtudium ſummarum virtutum (§. 40), autarchis quoque ſummæ gravitatis adquiſitionem exercitiumque perpetuum commendat, ut ſint quam graviſſimi, & autoritate ſua quam plurimum apud ſuos præſertim valeant.

Catoni naturam incredibilem tribuiſſe gravitatem, ut omnium graviſſimus videretur, autor eſt Cicero, qui ipſe deditus gravitati, in orationibus, ſectandam ſententiarum gravitatem verborumque pondera cenſuit. Conjungit autem non abs re autoritatem cum gravitate, utpote ad quam omnis ejus vis redit. Neque ſeniorum gravitas aliunde eſt, quam ex ea, qua pollent autoritate, propter experientiam & prudentiam, cui & externæ

 actio-

actionis indoles, & rerum, circa quas occupantur, momentum accommodant. Summam igitur autoritatem non nisi summis virtutibus adquiri augerique, dubio caret, in quibus tantum est momenti ac ponderis, ut eis omnia reliqua leviora sint, & sponte cedant, obsequanturque. De Attico *Nepos* ait: ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, quam amarent. Quod quomodo consecutus sit, & antecedentia docent, & quæ sequuntur. De Cimone narrat idem, quod celeriter ad principatum pervenerit, habens satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum juris civilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitu fuerat versatus, & apud exercitum plurimum valuit autoritate. Et de Epaminonda: erat modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur; item continens, clemens, patiensque mirandum in modum.

§. 119.

Quid sit summa imperii diligentia?

Prouti diligentia consistit in commissione eorum omnium & habitu ea committendi, quæ certo fine fieri debent (§. 751. *P. I. Phil. pract. univ.*): ita *diligentia imperii* notat habitum omnia ea committendi & expediendi, quæ felicis imperii ratio requirit. Quæ summa erit, quando & maxima est, & optima; ideoque & omni utitur solicitudine, ne quidquam eorum prætermittatur, quæ salus publica flagitat, & omnia ac singula quam accuratissime præstat.

In laudibus Cononis Cornelius recte ponit, quod & prudens rei militaris & diligens fuerit imperii. Quare nemini dubium visum, si is adfuisset, illam calamitatem Athenienses accepturos non fuisse.

§. 120.

Autarchis

Autarchis summa imperii diligentia est adhibenda. Omnibus enim,

enim, qui officio publico funguntur, omnis adhibenda eſt di- *illa eſt adhi-*
ligentia, ut omnes officii ſui partes adimpleant (§. 902. *P. VIII.* *benda.*
Jur. nat.). Multo potius igitur ſumma imperii per ſe fungentibus ſumma adhibenda eſt diligentia, ne cui parti ejusdem deſint, aut ſecus ei præſint, quam optima imperii ratio requirit. Hinc in imperio eſſe debent quam diligentiſſimi.

Xenophon Cyri & Ageſilai laudat in imperio gerendo diligentiam. De poſteriore *Nepos* inter alia: Epheſi officinis armorum inſtitutis magna induſtria bellum apparavit, & quo ſtudioſius armarentur, inſigniusque ornarentur, præmia propoſuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuiſſet induſtria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut, qui cæteris præſtitiſſent, eos magnis afficeret muneribus *cæt.* Sunt plurima negotia vel pacis tempore in rep. gerenda, quorum prudens & exacta expeditio ſine ſumma induſtria fieri nequit. Quare *Vopiſcus in Aurel. c. 24* Diocletianum judicaſſe refert, nil difficilius eſſe, quam bene imperare. Nec niſi magno labore tanta bona poſſidentur, quæ eos ipſos, quos exornant, premunt, ex ſententia *Senecæ ad Polyb. c. 28.*

§. 121.

Summa quoque vigilantia autarchis incumbit, ut ſint quam vigi- *Item ſumma*
lantiſſimi. Ea enim attendit, num omnia recte fiant, curatque, *vigilantia.*
ut officiis ſatisfiat imperatisque (§. 683. *ſeq. Oecon.*). Vti in domo ſumma opus eſt vigilantia domeſtica circa omnia, quæ domum afficiunt (§. 830. *ibid.*), ut ſalutaria quæque obtineantur, nocitura profligantur (§. 831. *ſeqq. ibid.*): ſic in civitate ſumma opus eſt autarchæ vigilantia politica (§. 40.), ne quidquam eorum prætermittatur, quæ ſaluti publicæ proficua ſunt, nec committatur, quæ eidem adverſantur. Qua qui pollent, recte dicuntur vigilantiſſimi.

Eumenem ſibi anteponi a Philippo & Alexandro M. Macedones indigne ferebant. Neque tamen non patiebantur. Vincebat

bat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate & celeritate ingenii. Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis, fides & industria, ut esset ad manum scribæ loco, omnium particeps consiliorum. *Seneca ad Polyb. c. 26.* Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium istius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

§. 122.

Pro incolumitate salutis publicæ.

Suprema lex & ratio agendi autarcharum cum non sit nisi salus publica (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*): *summa in autarchis dari debet cura salutis publicæ, summa pro ejus incolumitate vigilantia* (§. 121.). Neque nisi salva salute publica ipsorum salus haberi & summa fieri potest (§. 252. *P. I. Polit.*). Neque pacto tantum ita imperium est transferendum in quenquam, ut saluti publicæ quam optime prospiciatur; verum quoque lex naturæ ejusque autor Deus, id ipsum omnibus civitatum rectoribus injungit (§. 84. *P. VIII. Jur. nat.*).

Platonis præceptum omnibus, qui reip. præfuturi sunt, tenendum hoc est: utilitatem civium sic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; interprete *Cicerone L. I. de offic. c. 25.* Moderatori civitatis si beata civium vita proposita esse debet, rectores civitatum in custodia & tanquam in specula sunt collocati, ut vacuum metu populum vigilia & prospicientia redderent. Neque potest quisquam esse vir bonus & sapiens legibusque parens, nec civilis officii ignarus, nisi utilitati omnium plus, quam unius alicujus aut suæ consulat, judice *Tullio de fin. Lib. II.* Scilicet principes ministrant Deo in procuranda hominum salute, ejusque exemplum sequi debent, non sua sed aliorum commoda quærenda. Quod & cujusque boni civis est officium, quorum nemo cum neglectu publici boni aut in illius fraudem privato compendio studere debet (§. 25. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 123.

§. 123.

Et pro omnibus ac ſingulis civitatis partibus.

Neque in cura ſalutis publicæ quidquam partium ſtudio eſt dandum, ſed omnibus pro meritis conſulendum. Requirit illud ſumma ſalutis publicæ charitas (§. 99.), juſtitia & æquitas (§. 104.), qua cavendum eſt, ne cuiquam injuria inferatur, inde ab ipſo rectore civitatis cuiquam, quod ipſi pro meritis tribuendum eſt, denegetur.

Et hoc Plato rectoribus civitatum injungit officium, ut corpus reip. totum curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquam deſerant. Vti enim tutela ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt (ſubaudiendum eſt, niſi utraque ſimul procurari poſſit), (§. 252. *P. I. Polit.*). Quia autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujusque videantur, pauci univerſorum. Dignus principatu tradet ſe totum reip. neque opes aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Quæ ſic ex eo reddidit *Cicero L. I. de offic. c. 25.*

§. 124.

Vt cives reddantur quam feliciſſimi.

Nil vero magis ſibi commendatum habebit autarcha, quam ut cives vel ſuo exemplo reddat virtutis amantiſſimos feliciſſimosque. Debet enim imitari Deum ſic, ut illi evadat in imperio quam ſimillimus (§. 90.). Summis debet excellere virtutibus (§. 40.), neque id ſolum ſui ipſius, ſed quoque ſui populi cauſa, cujus ſaluti publicæ, in primis primariæ, ipſi eſt conſulendum (§. 38. *ſeqq. P. I. Polit.*). Quare cum Deus ſanctiſſimo ſuo exemplo optimum ſe ducem virtutum omnium ſummarum præbeat, per Theologiæ nat. demonſtrationes: autarcharum pariter eſt, ut exemplo ſummo ſint populo ſuo, eumque ideo virtutum reddant amantiſſimum feliciſſimumque.

Facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo major est, inquit *Vellej. L. II. c. 126.* Quod fit, dum ipse inculpate præest, & præclare civitatem gubernando virtute imbuit cives, autore *Platone L. VI. de Legg.* & *in Alcibiad. 1,* ut, qualis rex, talis & sit grex.

§. 125.

Quales deceat esse autarchas.

Præterea talem se populo suo & hominibus quibusque præbeat autarcha, qualem sibi esse Deum velit; & sit is, qui velit ab omnibus haberi. Enitendum enim est autarchis, ut sint Deo quam simillimi (§. 90.), ideoque qualem Deum in se esse cupiunt, quem procul dubio propitium sibi cupiunt, indulgentissimum, beneficentissimum, *cæt.*; tales se quoque gerant erga suum populum, aliosque homines quoscunque, secundum hanc legem naturalem: quidquid recte vis tibi fieri ab aliis, id ipsum alteri cuicunque facias; & quidquid recte non vis tibi fieri ab aliis, idem nemini alteri feceris; ad Deum quoque applicatam, tanquam exemplum rectoris perfectissimi (§. 98. *seq.* & 101. *seq. P. I. Jur. nat.*), omnisque imperii statoris.

Rectores civitatis omni excellere debent virtute (§. 1003. *P. VIII. Jur nat.*), eaque summa (§. 40.), quæ existimationem, laudem & honorem verum summumque parit (§. 549. *P. I. Jur. nat.*), nec non optimam famam, summamque gloriam (§. 544. *seqq. ibid.*). Qua cum gaudere & digni censeri velint autarchæ, omnino id agere debent, ut tales sint, quales cupiunt videri, immo ut malint esse, quam videri. Id quod, cum cæteris præmissis, de omni reip. forma capiendum.

Quoniam Deorum feci mentionem, inquit *Seneca L. I. de Clem. c. 7.* optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi Deos velit . . . Quodsi dii placabiles & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quanto æquius est, hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium &c. . . Regi vocife-

ratio

ratio quoque verborumque intemperantia non ex majestate est. Præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, inani ostentatione, & ficto non modo sermone sed etiam vultu stabilem gloriam se consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. Ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Quæ sunt verba *Ciceronis L. II. de offic. c. 12.* Vbi *Cap. 13.* addit præcepta, ut facillime, quales simus, tales esse videamur, & simus illi, qui velimus videri. *Lib. I. de off. c. 19.* scribit: vera & sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat, principemque se esse mavult quam videri. Sic *Sallustio* teste in *Bello Catil. c. 54.* Cato esse quam videri bonus malebat, itaque quo minus gloriam petebat, eo magis assequebatur. Prout & Aeschylus ait in *Plut. apophth.* Non videri optimus, sed esse volebat.

SECTIONIS I.
CAPVT II.
DE
Prudentia per se curandi domania & æraria.

§. 126.

Reditus sunt bona *per res nostras parta*, vel proventus nostri annui, officiis inservientes. Dividuntur reditus in status seu certos, quorum spes haud fallit, quique ideo indubie obtinentur; & variabiles, s. incertos, quorum spes est fallax, ideoque non nisi casu fortuito emergente propter officium *Quid sint reditus publici?*

(*Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. II.*) O obtin-

obtingunt, qui accidentium nomine veniunt (§. 909. *P. VIII. Jur. nat.*) Stati reditus annui quotannis ſunt iidem & æqualis pretii; accidentia autem ſeu fortuita nec eadem quotannis ſunt, nec ejusdem pretii (§. 363. *P. IV. Jur. nat.*). *Reditus publici* igitur ſunt bona civitatis per res ejusdem obtinenda ſeu jam parta, & ſaluti ejusdem dicata. Qui ſi intra cujusque anni decurſum obtinentur, annui vocantur, eandemque admittunt diviſionem. Ab initio hic monuiſſe ſufficiat, ex antecedentibus conſtare, quando illi ab autarchis ipſis curantur, eos per ſe curari, quantum ſcilicet fieri poteſt.

§. 127.

Diviſio in communes & peculiares.

Quia reditus publici ſaluti civitatis deſtinantur (§. 126.), illi aut promiſcue quibusvis ejusdem partibus impenduntur, aut peculiaribus ejusdem partibus aſſignantur. Priori caſu unum & *commune* eſt ærarium publicum; non autem poſteriori, quo alia aliis partibus propria fiunt & *peculiaria* (§. 781. *P. VIII. Jur. nat.*).

Regibus olim Judæorum ſua aſſignata erant prædia propria 2 *Sam.* IX, 7. 9. *ſeqq.* 2 *Sam.* XXIV, 14. *ſeq.* 1 *Reg.* XXI, 1. *ſeqq. Ezech.* XLV, 8. *ſeq.* XLVI, 16-18. æque ac aliis Judæis privatis. Quemadmodum teſte *Dionyſ. Halic.* Romulus quoque certam agrorum partem ſumtibus publicis deſtinaverat. Sed multitudo ſumtuum & redituum tanta eſſe in civitate conſuevit, ut non ſatis commode omnia in unum ærarium redigi, & ex eo rurſus promi poſſint, ſed ad confuſionem vitandam præſtet, redituum publicorum claſſes diverſas conſtituere, ut ſingulæ eo melius curari poſſint.

§. 128.

Differentia fiſci & ærarii publ.

Si reditus publici deſtinantur ſuſtentando ſplendori rectorum civitatis, eorumque familiæ, illi fiunt privata eorum bona ſeu peculia; prædia autem, ex quibus illi redeunt, dicuntur domania (§. 786. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Si vero reditus

illi

illi maneant publicis ufibus deftinati, impendendique, appellantur aes publicum vel peculium civitatis. Priores referuntur ad fifcum (§. 591. *ibid.*); pofteriores ad ærarium publicum (§. 781. *ibid.*).

Nemini mirum videbitur, quod reditus publici fiant privati per deftinationem ad ufus privatos rectorum civitatis: quia idem illud quoque contingit æri publico, quando illud erogatur v. c. in falaria, ftipendia militum &c. Domania vero vel funt in patrimonio rectoris civitatis, fi regnum eft patrimoniale; vel manent in dominio civitatis, fi regnum eft ufufructuarium (§. 789. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ de Ariftocratia ex eisdem rationibus obtinent. Aerarium publicum Germanis dici folet die Cammerey. Tefte *Dione L. 53.* Auguftus recte inftituit, ut populi ærarium a fifco principis appellatione diftingueretur.

§. 129.

Quid cura redituum involvat?

Cura redituum publicorum requirit earum adquifitionem quam optimam, tempeftivam erogationem in ufus publicos, quibus deftinantur, & refiduorum confervationem in ufus futuros. Sunt enim reditus publici bona per res civitatis parta, vel parienda & adquirenda, & faluti ejusdem impendenda (§. 126.), quatenus fine his fumtibus haberi nequit. Idcirco eorum cura prima verfari debet circa eorum adquifitionem quam optimam, ideoque tantam, quantam exigit falus publica (§. 778. *P. VIII. Jur. nat.*); tum circa adquifitorum adminiftrationem debitam, quæ difpenfat erogandos tempeftive in ufus deftinatos, refervat cæteros in ufus futuros, eorumque profpicit fecuritati.

Par eft ratio redituum publicorum & privatorum curæ. Hæc enim incumbit ante omnia eorum legitimæ & quam optimæ adquifitioni. Deinde vacat adminiftrationi debitæ, per quam pars eorum illico in fuos ufus impendenda & tempeftive eroganda; pars refidua autem in ufus futuros fecure affervanda eft (§. 770. *Oecon.*). Sic & publicorum redituum opus eft comparatione,

non ultra modum finemque onerosa, sed sufficiente, quam optime instituenda. Comparatis jam reditibus publicis debite utendum est, prout officia postulant, ut & usibus præsentibus & futuris adhibeantur, quibus sunt destinati.

§. 130.

Quid prudentia hujus curæ inferat?

Prudentia curæ redituum publicorum conspiciendam se præbet in exsecutione quam optima sapienter de illis decretorum. Patet hoc per ea, quæ §. 1. sunt allata. Quæ si in antecessum nondum sunt decreta, prudentia ex tempore & repente decreta formare, & formata rite exsequi debet (§. 2). Duo igitur & hæc prudentia complectitur, sapientiam decreti, aut decretum sapiens, ejusque quam optimam exsecutionem.

§. 131.

Quibus usibus adæquandi sint reditus stati?

Ut reditus publici stati abunde sufficiant ordinariis reip. sumtibus, prudenter curandum est. Stati enim reditus sunt certi, semper iidem & æqualis valoris (§. 126), qui propterea perpetuis usibus in administranda rep. recte destinantur. Sed ad eos requiruntur sumtus publici ordinarii (§. 779. *P. VIII. Jur. nat.*). Qui si non sufficerent usibus & sumtibus perpetuis, quotanis faciendis, saluti publicæ non ex asse consuleretur, uti fieri debet (§. 86. *P. I. Polit.*). Prudenter ergo curandum est, ut publici reditus stati ordinariis reip. sumtibus adæquentur, & abunde sufficiant propter casus diminutionum improvisos.

Si modice abundant publici reditus stati, aliquanto plus in illis erit, quam ordinarii sumtus requirunt. Proinde quod superest, vel in supplendos defectus & sumtus extraordinarios conferri poterit, vel asservari in futuros usus, ne, auctis sumtibus quadamtenus, illico augendis reditibus opus sit. Optima consilia saluti publicæ consulendi irrita erunt, nisi nervus rerum gerendarum adsit.

§. 132.

§. 132.

Extraordinariis sumtibus reditus quoque extraordinarii sunt destinandi, nisi illis reservata ex statis largiri possint, quantum desideratur. Extraordinarios enim sumtus exigunt casus quidam (haud sæpe) emergentes (§. 779 *P. VIII. Iur. nat.*). In quibus cum ratio contineatur extraordinariorum sumtuum, res ipsa loquitur, iisdem quoque extraordinarios reditus esse destinandos, ut omnibus pateat, cur illis sit opus (§. 780 *ibid.*). *Quibus extraordinarii?*

Si vero stati solitique reditus ita abundent, ut & extraordinariis sumtibus ferendis residua sufficiant; pergratum omnibus accidet, & prudentiæ autarchæ tribuetur, quod eorum causa novis reditibus non sit opus, aut perraro.

Extraordinarii reditus obtingere possunt ex symbolis insolitis, hæreditate, invento thesauro, metalli fodinis, prædiis & bonis caducis, similibusque aliis multis, quæ ordinariorum fere redituum loco habentur, licet stati non sint, sed incerti. Quatenus tamen media eorum summa, quæ per complures annos semper eadem est, aut ea paullo minor sumitur, ut eo certius semper eadem habeatur; eatenus & illa ordinariis statisve reditibus accenseri potest, dum eadem manet ipsorum summa.

§. 133.

Quia sine debitis sumtibus administratio & defensio reip. dari nequit (§. 774 *P. VIII. Iur. nat.*), & eos ferre tenentur universi (§. 775 *ibid.*): optimi eos *adquirendi modi cum ordinariis tum extraordinariis sunt adhibendi* (§. 776. *ibid.*). Cum varii esse possint ac soleant modi sumtus publicos obtinendi, quorum alii aliis magis arrident, aliisque commodis & incommodis subsunt: *opera navanda est, ut in quolibet id præferatur, quod in eo est optimum factu, ad ejus commoda quæque consequenda, incommoda vero tollenda aut præcavenda.* (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*). Bifariam hi modi optimi dici in suo genere possunt, nempe ratione *Observanda de modis reditus obtinendi.*

tione conſtituendæ optimæ proportionis ad facultates & emolumenta in civitate percipienda (§ 757 *P. VIII. Iur. nat.*); & ratione conquiſitionis ſive exactionis ſymbolarum ratarum. *Sumtus igitur publici optima proportione emolumentorum & onerum ſapienter petendi & deligendi ſunt ex univerſorum rebus ſingulorumque, & prudenter exigendi optimo, quo fieri poteſt, modo.* Quia ſumtus petendi ſunt ex reditibus, eadem valent de reditibus publicis conſequendis, quæ de ſumtibus ſunt oſtenſa.

Eſto, civitatem conſtitui in regione jure occupata, quæ ante factam diviſionem omnibus eſt communis, ſeu univerſorum. Poteſt illa ſic dividi, ut aliqua illius pars aſſignetur rectori civitatis; reliqua civibus ea lege, ut & illi ratam ſuorum redituum partem conferant ad communes ſumtus. Poteſt quoque ita dividi, ut omnes ordinarii ſumtus petendi ſint ex illis, quæ civitatis rectori ſunt attributa. Denique & ſic dividi poteſt, ut nihil illius regionis cedat rectori civitatis, niſi rata redituum a ſingulis ipſi quatanis pendenda, unde ſibi de omnibus proſpicere poſſit. Taceo innumeras, quæ in his adhiberi poſſunt, varietates, & quæ in ſingulis occurrere poſſunt vel commoda vel incommoda. Cum Palæſtina Iudæis eſſet diſtribuenda, tribus Levi nihil terrarum accipiebat, ſed eidem proventuum loco deſtinabatur decima proventuum a ſingulis tribubus ſolvenda quotannis; & harum decimarum pars decima a Levitis danda erat ipſorum principi, ſummo ſacerdoti, ſeu pontifici maximo. Tantum domiciliorum cauſa pauca ipſis oppida vindicabantur paſſim diſperſa, una cum ſuburbiis rei pecuariæ ergo.

§. 134.

Quinam ſint modi optimi? Commune civitatis bonum requirit, ut ea abundet iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, & felicitati ſingulorum æquabiliter proſpiciatur (§. 9 *P. VIII. Iur. nat.*). Cum ad ejus quietam nec impeditam fruitionem promovendam quilibet civis conferre debeat pro virili

rili, quidquid valet (§. 18 *feqq. ibid.*), nec privatum bonum cum detrimento publici quærere (§. 25 *ibid.*): *optimi modi reditus publicos obtinendi, in civitate neceſſarii* (§. 133), *non erunt, niſi qui pro virili ſingulorum felicitati ex æquo conſulant, caveantque, ne propter eas alii aliis deterioris fiant conditionis.* Poſtulat hoc ſumma juſtitia & æquitas in imperio civitatis prudenti adhibenda (§. 104); & multo magis animus in omnes cives paternus, qui civibus tanquam liberis ſuis, omnibus æque bene eſſe cupit, quatenus id mereri ſtudent (§. 100). Ideoque ſinguli in civitate ad onera publica non conferre debent niſi pro modo facultatum (§. 777 *P. VIII. Iur. nat.*).

§. 135.

Premi in civitate ratione rerum ſuarum dicuntur, quibus, cæteris paribus, pro ſorte ſua plus oneris imponitur, quam aliis ratione ſuæ ſortis, v. c. ſi ad operas & ſumtus publici boni cauſa inter ejusdem ſortis cives alii multo plus, alii multo minus conferre cogantur. Quod deinde ad diverſam ſortem pro ratione diverſitatis facile applicatur. Hinc illis, qui premuntur, plus rerum ſuarum publici boni cauſa decedit aut decerpitur, quam aliis pro ſua ſorte. *Opprimi* autem dicuntur, qui propter ea, quæ in publicum conferunt, ad egeſtatem rediguntur. Quare non tantum, qui opprimuntur, ſed & qui premuntur, deterioris, quam cæteri, conditionis in civitate evadunt. *Quid ſit premi & opprimi?*

Poſſet quoque dici, eos in civitate premi, quibus injuſta imperantur, & latius, quibus injuria fit, contra quam nulla præſto eſt medela. Opprimentur ergo ratione rerum ſuarum, quibus injuſta nimis vel injuſtiſſima imperantur, & in latiori ſenſu, qui omnibus rebus ſuis, ipſaque vita privantur, & interitui dantur. His injuriam ſummam fieri, apertum eſt.

§. 136.

§. 136.

Nemo premendus est nec opprimendus.

Dum reditus publici ſalva ſingulorum æquabili felicitate ſunt obtinendi, & cavendum eſt, ne propter eos multi alii aliis deterioris fiant conditionis (§. 134): *averſandi repudiandique ſunt ejus generis redituum publicorum modi, quibus alii aliis magis minusve premuntur, & multi tantum non opprimuntur* (§. 135).

Si propter electum modum conferendi ratas ad publicos ſumtus pauci quidam ob rationes ſinguiares magis premerentur, quoad illos exceptio fieri poterit; vel ſi ea incommoda ſit, ipſis aliunde conſuli & reſtitui poteſt, quod indebite ſolverunt. In communi enim conſtitutione id attendendum eſt, quod plurimis eſt accommodatum. Pauci illi, qui habent, de quo non immerito conquerantur, exaudiendi erunt, prouti pro rebus natis fieri poterit, & opportunius conſultiusque deprehendetur. V. c. ſi propter numeroſam familiam, morbos chronicos &c. nonnulli tantum dare nequeant, quantum cæteri ſuæ ſortis ſolvere jubentur: illis proſpicietur privilegiis multorum liberorum cauſa datis, his vero & ſimilibus alia ratione, quæ & reip. & privatæ ipſorum præ cæteris conveniat.

§. 137.

Explorandi ſunt reditus ſumtusque privati.

Vt rectius de æquis redituum optimisque modis ſtatui poſſit, *conſtare aut explorari debent reditus ſumtusque privati ad honeſtam pro ſorte ſua oeconomiam requiſiti.* Optimi enim redituum publicorum conſequendorum modi ſunt, quibus felicitati ſingulorum civium pari ratione conſulitur, caveturque, ne quis eorum cauſa deterioris reddatur conditionis, quam alii (§. 134). Eaque propter averſandi ſunt repudiandique illi modi, quibus alii magis, alii minus premuntur (§. 136.). Sed judicari in tam diverſa civium ſorte nequit, quibusnam alii magis, alii minus premerentur, niſi conſtet de ipſorum reditibus ſumtibusque privatis, honeſtæ pro ſua ſorte œconomiæ cauſa neceſſariis. Vt igitur rectius de optimis redituum publicorum modis ſtatui poſſit,

possit, constare aut explorari debent reditus sumtusque privati ad honestam pro sua sorte œconomiam requisiti.

Oeconomia honeste pro sorte sua instituenda requirit, ut ex reditibus necessitati, decoro sortis, commoditati jucunditatique vitæ, secundum optimorum saltem plurimorum laude dignorum exemplum, prospiciatur, & futuræ suæ suorumque felicitati, publicis sumtibus & pauperibus tribuatur, quod debetur, & licite fieri potest.

§. 138.

Ineunda quoque est summa publicorum sumtuum justa, quorum causa reditus sunt quærendi, sive illi sumtus sint ordinarii, sive extraordinarii. Publici enim reditus stati respondere seu abunde pares esse debent ordinariis sumtibus civitatis (§. 131); extraordinarii autem casibus interdum emergentibus, qui sumtibus publicis sunt tolerandi superandique (§. 132). Sed nisi ineatur summa publicorum sumtuum, statui nequit, quanta redituum summa eidem abunde par sit futura, quod per se liquet. Ineundam ergo esse summam sumtuum publicorum, quorum causa reditus sint quærendi, manifestissimum censemus. Innotescit illa summa quoque per experientiam præcedentium annorum, & similium civitatum exemplum aliunde notum. *Nec minus publici.*

Summam ineundam esse ex aggregato singularum partium, nemini est ignotum. Requiritur id circo peritia sumtuum singulorum particularium, quanti esse debeant, cum in solito earum rerum pretio & mercede præsenti, tum etiam, quando inopinati & improvisi eventus plura requirunt.

§. 139.

Explorata summa publicorum redituum vel sumtuum requisitorum, &, deductis deducendis, redituum privatorum civium, qui suam ad illos symbolam conferre debent, statui potest, quanta vel quota pars *Illi per hos sunt dividendi.*

(*Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. II.*) P *redituum*

redituum privatorum ad reditus publicos sit destinanda; si horum summa per summam illorum dividatur. Quotus enim ex divisione prodiens quæsitam ratam ostendet.

Sit e. g. summa privatorum redituum, deductis necessariis œconomiæ impensis, viginti millionum; summa publicorum myrias, habebitur $\frac{20000000}{10000} = \frac{1}{2000}$; si posterior summa est centuria millium, prodibit $\frac{1}{200}$ prioris summæ. Quæ ad singulos facile applicatur.

§. 140.

Idem accuratius definitur. Si sumtus annui œconomiarum privatarum ordinarii, una cum rata parte decima extraordinariarum per decem annos, auferantur a reditibus earundem ordinariis, & extraordinariis in decennio mediis, residuum dabit reditus abundantes annuos. Vnde *sumtus publici annui ex summa abundantium redituum privatorum, per summam publicorum divisa, innotescunt* (§. 139), quota nempe sint illorum pars.

Reditus abundantes dicimus, qui non tantum post sumtus in vitæ necessitatem, sed & in legitimam eius commoditatem & jucunditatem sorti suæ convenientem impendendos supersunt. In casu tamen necessitatis etiam commoditati & jucunditati consuetæ aliquid detrahendum erit propter bonum publicum, & tum ad abundantes reditus referri jam poterunt, qui ultra sumtus necessarios restant.

§. 141.

Modus reditus privatos explorandi triplex. *Modi reditus privatorum annuos explorandi* dantur varii, quorum *alii confuse tantum summam eorum docent*, *alii distincte*, *alii mixte*. Confuse tantum id fit, si cives conferre certam redituum ratam jubentur, ut ignoretur, quantum quisque contulerit, summa tamen integra liquido innotescat. Distincte illud contingit, quando non tantum integra summa, sed & unicujusque civis symbola patefit. Mixte illud obtinetur, si aliorum

aliorum privatorum annui reditus diſtincte innoteſcunt, aliorum & plerorumque tantum confuſe. Idem quoque valet de ſumtibus privatis & de reditibus quotannis abundantibus indagandis, ſi eorum ratio ad publicos reditus ſumtusve quæſitos eſt determinanda. Neque ſecus reperitur ſumma omnium patrimoniorum privatorum civitatis, ſi illorum rata definita, v. g. centeſima, conferri jubeatur.

§. 142.

Cur confuſa ſymbolarum collatio eligatur?

Confuſe conferendi ratas modi ab iis adhiberi ſolent, qui verentur, ne quid noxæ ſibi ex manifeſtata redituum aut patrimoniorum conditione naſcatur, aut ob alias quoque rationes eam celari malunt. Vtrumque caſum luculenta atteſtatur experientia. Neque prius rationi eſt adverſum, ſi metus damni aut in præſens, aut in futurum tempus non ſit vanus, cum obligatio ad evitandum damnum omnibus incumbat (§. 493 *P. II. Jur. nat.*). Si poſterius legitimis nititur rationibus, v. c. ad eo liberius promovendam ſuam aliorumque felicitatem, & illud licite fiet; illicite autem, ſi rationes tendunt ad alios privatos fallendos, aut & publicum bonum clanculum defraudandum.

Iudæi decimas Levitarum & ſacerdotum confuſe contuliſſe videntur, quia diſtinctæ oblationis nulla mentio fit in lege *Num.* XVIII. 11. 21. *ſeqq. Deut.* XIV. 22 *ſeqq.* & in exemplis confuſionis veſtigia occurrunt 2 *Chron.* XXI. 6 *ſeqq.* 12 *ſeqq.* Decimæ Clericorum ſimiliter penduntur, citra querelas, lites, ſumtusque ineptos. Olim reges Galliæ perceperunt decimas. Hinc *Sebaſtianus le Preſtre, dynaſta de Vauban in libro projet d'une dixme royale p.* 235 *ſeq.* tribuit regis decimam redituum regni ex ſale redeuntem; alteram deciman ex dicta decima regia, ($1\frac{1}{2}\frac{}{20}$ pro clericis, $\frac{1}{45}$ pro domini $= \frac{6}{20}$; $\frac{7}{20}$ pro colono, $\frac{7}{20}$ pro domino fundi relictis). Et p. 119 — 124 reditus regios grada-

rim extollit per milliones a summa 116822500 usque ad 215645000 libras gallicas intra spatium unius anni. Ex prædiis feudalibus dicit quotannis ad regem devolvi tantum, quantum ipse dominus inde capit, ut parcus œconomus h. e. p. 204.

§. 143.

Quando distincta præferatur.

Qui nihil verendum habent, sed potius sperandum emolumentum, aut monarchæ arbitrio subsunt, illorum reditus opesve distincte edi consueverunt. Quando enim tuta est omnium bonorum possessio, nec consignatio redituum & patrimoniorum innotescit nisi illis, quorum interest observandæ æquitatis causa eam nosse, aut si quid aliud manifestatur confuse, ad dignam ipsis autoritatem fidemque conciliandam facit: cives non tantum nihil habent, quod vereantur, sed & certiora emolumenta, quam in dubio casu, experiuntur, & suum cuique eo rectius tribui ab omnibus potest, fraudibus vero dolisque fores quasi obserantur, & obices ponuntur per classes constitutas. Quæ cum per se facile patent, tum experientiæ fide confirmantur.

Si arbitrio monarchæ omnia in civitate geruntur, ei jubenti, ut edant singuli redituum aut totius patrimonii professionem, parendum erit (§. 159 *P. VIII. Iur. nat.*). Itaque & hoc casu distincta facultatum privatarum cognitio obtinetur, quam confusa perfectiorem esse, dubio caret.

Romæ Servius Tullius primum egit censum, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes, centuriasque & hunc ordinem descripsit vel paci decorum, vel bello. Ex iis, qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, (in prima classe) 80 confecit centurias, quadragenas seniorum (45 annis), ac totidem juniorum, ut illi ad urbis custodiam præsto essent, hi foris bella gererent . . .

Secunda

Secunda classis intra centum usque ad quinque & septuaginta millium censum instituta, ex his senioribus junioribusque viginti conscriptæ centuriæ . . . Tertiæ classis 50 millium censum esse voluit, totidem centuriæ & hæ, eodemque discrimine ætatum factæ . . . In quarta classe census quinque & viginti millium, totidem centuriæ factæ. Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ . . . Vndecim millibus hæc classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit in 6ta classe a militia immunem. Equitum ex primoribus civitatis 12 scripsit centurias, sex item alias centurias . . . Post expletas 35 tribus tributi æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita est ratio, secundum *Livii Lib. I. cap. 43.* Millia 80 eo lustro civium censa dicuntur, qui ferre arma possent *cap. 44. ibid.* In censu agendo duarum rerum ratio potissimum habebatur, scilicet ut innotesceret numerus eorum, qui arma ferre possent, & facultatum status, unde sumtus petendi erant. In censu fortunarum singuli patresfamilias suam familiam & prædia sua urbana ac rustica, & paratæ pecuniæ summam, & servorum pecudumque numerum, & omnia instrumenta fundorum sub gravi pœna profiteri obligabantur, quæ arbitrio censorum æstimabantur. Censores simul erant magistri morum, punientes & tollentes, quæ probitati morum adversa deprehendebant, adeo ut sine provocatione senatorem loco moverent, equiti adimerent equum & annulum, emeritis vacationem darent, principes senatus & equestris ordinis primo loco recitarent &c. Officium Censorum *Cicero L. 3. de Legg.* ita præscriptum refert: censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor, . . . equitum peditumque prolem describunto, mores regunto cæt.

In Gallia usitatum esse ferunt, ut decima redituum annuorum urgente necessitate conferenda sit, quorum propterea distincta cognitio requiritur. Celeb. *de Vauban* olim edidit *projet d'une dixme royale, qui supprimant la taille, les aydes, les douanes & tous autres impots, produiroit au roy un revenu suffisant sans frais & sans etre à charge à l'an des sujets plus qu'a lautre*, qui legi meretur.

§. 144.

Ubi mixta adhibeatur?

Mixta ratione explorandi reditus privatos ibi uti licet, ubi parum refert tenuium aut mediocrium patrimonia singulatim nosse, modo majorum divitiarum notitia distincta, & eorum, quorum fides est suspecta. Etenim si summa confuse noscatur, determinari tamen potest, quotam partem quisque conferre debeat (§. 139. *seq.*). Et facta solutione patebit, num summa, quæ debebat, prodierit, & omnia rite sint soluta. Cum vero parum referat minutiarum notitia, sufficiet, si ditiorum, a quibus pleraque conferuntur, distinctior cognitio suppetat, graviorum damnorum avertendorum causa.

Pariter si quorum fides in conferendis debite symbolis est suspecta, ejusmodi ineunda est via, qua illa detegi fraus, & puniri pro meritis possit. Quod fieri poterit, si rata, quam confert, ita recipiatur, ut numerari, & sic judicari possit, num tanta sit, quanta esse debet pro redituum aliunde satis notorum indole. Simili ratione intelligetur & haud suspectorum summa seu redituum annuorum, seu patrimonii, insciis ipsismet.

Ponamus v. c. in arcam effundi pecuniam, cujus nec bonitas, nec materia, nec summa constat. Si pecunia ante injecta legatur quodam integumento, ne confundi cum illa possit, quæ nunc est injicienda: poterit postremo injecta denuo tegi vel eximi & numerari, postquam is abiit. Si plures sint arcæ æquales & similes, variis exhibitæ diversæ arcæ retinebunt eorum summas seorsum. Aut si eidem arcæ diversæ inferi possint intergerinæ tabellæ, quæ separent diversas summas injectas &c. Hæ tectiores sunt rationes distinctius noscendi id, quod privati celare cupiunt. De apertioribus modis idem resciendi plura commemorare nihil attinere videtur.

§. 145.

Alia ratio explorandi

Quanta privatorum redituum summa circiter detur, id vicinis & amicis attentis experientia præcedentium annorum patefaciet, vel simili-

um aliorum exemplum; exactius autem penitior acceptorum expensorumque cognitio. Incurrunt enim in sensus, quæ celari nequeunt, impendia in hoc vel illud œconomiæ genus, quale quisquam recepit, facienda. Inter vicinos, amicos, aliosque confabulantes conversantesque sermones de sumtibus illis miscentur, & quæ vere vel falso dicantur, attenti peritique talium sumtuum alii facile discernunt. Neque diligentibus observatoribus aliquot annorum œconomiæ, nec ignaris eorum, quæ ex patrimonio noto, & ex vitæ generis, prout illud geritur, instituto provenire solent, quæ aliis debentur & quotannis expenduntur, facile ignotum manere potest, per similia sua & aliorum exempla explorata, quid de reditibus & fortunis vel admodum taciturni sentiendum sit, in primis quando incrementa facultatum aut decrementa celari nequeunt, aut per domesticos produntur. Quanta igitur circiter variorum privatorum redituum summa detur, id peritis vicinis, amicis aliisque attentis observatoribus œconomiæ aliquot annorum propria deteget experientia, cum suo aliorumque similium exemplo collata. Qui id illis, quorum interest talia nosse, poterunt suppeditare. *reditus privatorum?*

Multo exactius id illis patere manifestum est, qui vel rationes acceptorum expensorumque inspexere; vel aliunde exploratos habent redituum singulorum fructus, annuosque sumtus; vel ex sincera confessione œconomorum id accepere. Quales sunt ratiocinatores & consignatores codicum accepti & expensi, dispensatores & promi condi, curatores, tutores, intimi amici, liberi, consanguinei, & similes penitiori acceptorum expensorumque annuorum notitia instructi, ipsimet denique œconomiam gerentes, nec ea celantes quacunque de causa.

§. 146.

In confusa aut mixta determinatione solvendarum ad publicos sumtus ratarum, vel conscientiæ religione, vel fide jurata, prout con- *Modi cavendi fraudulen-*

sulti-

tam solutionem. sultius deprehenditur, *pœnisque cavendum est, ne solvenda denegentur, aut dolose minuantur.* Etenim in utroque hoc casu ratæ singulorum aut omnium aut plerorumque a rectoribus civitatum ignorantur, & singulorum arbitrio ex vera patrimonii aut redituum ratione sibi perspecta sunt definiendæ (§. 141.). Qui si nolint præscriptam attendere rationem ratarum suarum, fallere & defraudare publicum bonum possunt, aut plane non solvendo, aut minus, quam debent, solvendo. Quod ne fiat, utique cavendum est (§ 133). Caveri autem potest, si probi cives vel pro conscientiæ religione, vel jurata fide, & sub gravi pœna, si secus fecisse deprehenderentur, ac debent, solvere jubeantur, quæ summa æquitate sunt imperata.

Vlpianus in fragmentis testatur, ejus romani, qui censum non erat professus, pœnam hanc fuisse, ut publicatis bonis cæsus virgis pro servo venderetur. Quæ rigida admodum pœna haud immerito censeatur, nisi omissa sunt alia, ad eam eo usque aspecandam requisita; vel in terrorem ita statuta pro summo malitiæ gradu, mitigata fuit pro re nata.

§. 147.

Quota circiter pars redituum privatorum ad publicos requiratur? Quia ineunda est summa publicorum sumtuum, quorum caussa reditus sunt quærendi, sive illi sint ordinarii, sive extraordinarii (§. 138); & generalis eorum summa petenda est ex summa universa redituum privatorum, ad quam illius ratio est exigenda (§. 139. *seq*): *consultum erit, si ex antiqua & recentiori historia arcana civitatum celebriorum feliciorumque in primis similium exploretur, quota pars redituum privatorum publicis usibus generatim dicata fuerit, & dicetur adhuc, pro earum indole & amplitudine diversa.*

Ex Historia Mosaica liquet, Josephum imperio præfectum per septem annos sterilitatis prædia & bona Aegyptiorum adquisivisse regi ea lege, ut annonæ pars quinta Regis esset, exceptis sacerdotibus vel præfectis regiis, *Genes.* XLVII, 22-24. Ante hæc tempora Abrahamus jam decimam dabat Melchisedeco *Genes.*

nef. XIV, 20. Judæi quotannis decimam pendebant tribui Levi, *Levit.* XXVII, 30. *Num.* XVIII, 21. (item tertio quoque anno pauperibus *Num.* XVIII, 28. *Deuteron.* XXVI, 12. *feq.*), & Regi *1 Sam.* VIII, 15. Vbi decima ſacra cum regia conficiunt quintam redituum privatorum partem ſingulis annis. Magni mogoris reditus feruntur ultra undecies ſuperare regis Galliæ reditus, eorumque dimidium eſſe ex agris. Secundum *Ed. Chamberlaynii notitiam Angliæ* (the preſent ſtate of England Lond. 1687. p. 72.) Regis Angliæ reditus annui fuere duodecies centena millia librarum ſterlingicarum, quos duodecimam partem proventuum annuorum totius Angliæ ſtatuit. Sed his nondum ineſſe videntur reditus reginæ, & principum regii ſanguinis. In Gallia reditus regios ibidem dicit ſuperare ſimiles undecim milliones, & quintam partem omnium redituum privatorum. Belgii fœderati reditus publicos quotannis ſeptem æquiparat millionibus. *The whole yearly revenues of the King of England* (1200000 *pounds*) *are not above the twelfth part of the revenues of his Kingdom; where as the King of FRANCE hath yearly above one hundred and fifty millions of livers, that is above eleven millions of pounds ſterling, and above a fifth parth of the whole revenues of France. And the publick revenues of the united Netherlands, are near ſeven millions of pounds ſterling.* Alibi tamen alia eſſe conſuevit eorum reditum proportio pro indole civitatum diverſa.

§. 148.

Dum reditus privati rebus cujusque ſunt comparandi (§. 126.), & res ſuæ cujusque ſunt prædia ruſtica & urbana, cum juribus percipiendi fructus rerum quarumque fructuoſarum; & operæ, quibus pecunia adquiritur (§. 349. & 363. P. IV. *Jur. nat.*): *conſtat, reditus publicos quoque petendos eſſe vel e rebus vel operis fructuoſis, vel partim ex his, partim ex illis.* *E quibus rebus capiuntur reditus publici?*

Res nimirum in moralibus dicuntur, quæcunque nobis (uſui ſunt, vel) proſunt, v. c. ad vitam noſtram conſervandam & commode jucundeque transigendam, vel ad perficiendum animi cor-

porisque ſtatum (§. 495. *P. I. Jur. nat.*). Quæ vel ſunt corporales; vel incorporales, uti dotes virtutesque animi ac jura quæcunque (§ 496. *ſeq ibid.*). Quando talium rerum uſus non eſt inexhauſtus, redigi ſolent in dominium, ſuoque pretio æſtimari. Si quæ res aliæ inde gignuntur, vel proveniunt, ſuo itidem valore gaudentes, & hæ dominio ſubſunt, & valore pretii ſui fructuoſæ dicuntur. Quare clareſcit, quænam res & operæ fructuoſæ dicantur, ſcilicet, quæ ſuo gaudent pretio, quo dignæ æſtimantur. Quod multo magis de illis valebit, quæ & aliarum rerum fructuoſarum cauſæ evadunt, uti ager, qui fruges, hortus, qui fructus, ovis, quæ lanam & agnos fert &c. Sic & domicilii uſus locatur & conducitur mercede pacta; pariter ac opera vulgaris ſeu mercenaria. Aliæ operæ ſua merentur ſtipendia, ſalaria, & honoraria. Quas ob id ipſum fructuoſas eſſe, nemo infitias ibit.

§. 149.

Vnde petendi ſint reditus publici ſtati?

Reditus publici ordinarii non petendi ſunt, niſi ex reditibus privatorum ſtatis, vel rebus, quarum proventus medii ſunt ſtati. Curandum quippe eſt, ut ſufficiant ordinariis reip. ſumtibus, ideoque & ipſi ſtati ſint (§. 131.). Quia vero reditus publici petendi ſunt ſapienter ex rebus univerſorum (§. 133), ſingulorumque reditibus privatis (§. 139. *ſeq.*): oppido perſpicuum eſt, eos peti non poſſe, niſi ex rebus, quarum proventus ſunt ſat ſtati & conſtantes, vel e paratis ſtatisque reditibus privatorum (§. 136.).

§. 150.

Potiſſimum e prædiis ruſticis fertiliſſimis.

Teſte experientia luculenta, ædes & urbes cum emporiis ſunt res, quæ dirui, incendio vel terræ motu facile abſumi, & cum reditibus mercibusque ſuis interire poſſunt ac ſolent; agri vero & integræ fertilioresque regiones non æque. Quapropter ſi publicis reditibus deſtinandi ſunt nonniſi proventus rerum ſtati (§. 149.): *non tam prudenter ipſis oppida & urbes, vel* præ-

prædia urbana destinabuntur, quam agri & fertilissimæ regiones; modo excipiantur ordinaria domiciliorum palatia, quæ & majoris securitatis & commodioris hominum confluxus causa rectius in urbibus quam ruri collocantur. Vt tamen & diversitas proventuum agrorum exploratior habeatur, nonnulli quoque agri mediocres & parum fertiles domaniis tribui possunt.

Non in universum negatur, urbes & emporia publicis reditibus dicari posse vel debere, quod esset ab experientia alienum. Quamdiu enim durant & florent, tamdiu nil obstat, quo minus æque conferant, quæ par est, ad publicos sumtus, quam aliæ res civitatis. Sed quia non tam firma spes stabilitatis in ipsis datur, quam in solo immutabili & fertilissimo, potissimum in hujusmodi rebus immotis & constantis fœcunditatis quærendi erunt stati reditus civitatis, quam in facile perituris & humana opera nullo fere negotio interimendis. Si nonnihil urbanorum, & major pars rusticorum prædiorum cum suis reditibus publicis sumtibus destinantur, & a rectoribus civitatum administrantur, clarius iisdem constabit de reditibus utriusque generis, & quid, salvis illis, quæ & culturæ & privatæ saluti debentur, publicæ impendi vel queat, vel nequeat. Rectorum palatia in urbe populosa facilius incendiorum periculo eripiuntur, multis suppetias ferentibus, quam si in agro paucorum auxilium haberi posset, quando periculum est in mora. Idem quoque valet de repentina defensione adversus hostium insultus.

§. 151.

Quoniam reditus publici stati potissimum petendi sunt ex agris, constantes reditus largientibus (§. 150.); & domania dare debent statos reditus, œconomiæ splendidæ rectorum civitatis & autarcharum suffecturos (§. 786. *P. VIII. Jur. nat.*): liquidum est consectarium, *domania itidem constituenda esse in agris, potissimum fertilitate constanti donatis* (§. 128. & 150.). *Quod & de domaniis valet.*

Ita quoque usu receptum videmus, ubi domania occurrunt. Vt hoc solo utar, œconomias regias in Polonia, Lithuania, Prussia, non aliter comparatas esse, docet ill. *Lengnichii Jus publ. Polon. P. I. cap. 10.* Cæterum si æstimari ex reditibus ejusmodi prædiorum debeat reditus aliorum ex similibus prædiis, subtrahenda primum sunt omnia onera publica, quæ cæteris præstanda sunt, & a quibus hæc sunt immunia; deinde æstimandæ sunt & operæ gratuitæ, aut exigua mercede conducendæ, quæ aliis aut plena aut majori mercede consequendæ sunt, quoties ipsi iisdem pares esse nequeunt. Si vero & ipsi iisdem operis vacant, tamen & inde ipsis victus & reliqua vitæ præsidia & commoda quærenda sunt.

§. 152.

An autarchæ ipsi domaniis vacare satis possint?

Negari nequit, rectores civitatum satis superque occupatos esse negotiis publicis (§. 1.), ut privatæ œconomiæ ampliori ipsi ubique vacare ad instar privatorum dominorum nequeant. Ea propter *opus est, ut alios constituant ephoros vicarios, vel conductores œconomiarum, eosque, ne quid detrimenti capiant reditus, ad reddendas rationes obligent*, & has rite examinent, antequam pactum prolongetur aut finiatur (§. 27.). Qui ut fideliter gerant earum rerum curam diligentem, & evitabilia quæque damna avertant cum neglectu rerum suarum, indemnes sunt præstandi, atque sic fortunandi, ut hoc potius agere malint, quam alia (§. 268. & 322. *P. IV. Jur. nat.*).

§. 153.

De prudentia conservandi domaniorum reditus.

Domania præbere debent reditus status ad sustentandos rectores civitatis eorumque familiam (§. 786. *P. VIII. Jur. nat.*): *prudenter ergo curandum est, ne illi deteriores minoresque reddantur vitiis œconomorum, vel culpa rectorum ipsorummet* (§ 129. & 152.). Etsi enim reditus sunt in dominio rectorum, dum vivunt, & rectores aliis usumfructum in eis concedere ad dies imperii sui, & reditus locare pro arbitrio possunt (§. 788. *ibid.*): conser-

ſervari tamen & ſucceſſoribus integri relinqui debent, non ſolum, ſi regnum eſt uſufructuarium, ſed & ſi patrimoniale, legibus & pactis ſucceſſoriis circumſcriptum (§. 789. *ibid.*).

§. 154.

Si rector civitatis domania in fraudem ſucceſſoris alienavit vel oppignoravit, ſucceſſor prudenter ſuo jure mox revocat alienationem & oppignorationem. Etenim ſi forma reip. non eſt patrimonialis, domania non ſunt in dominio rectoris, ideoque alienatio & oppignoratio nullo jure facta recte revocatur (§. 790. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Si vero etiam patrimonialis eſt, ſed moribus, legibus & pactis ſucceſſoriis adſtricta, parendum eſt moribus, pactis legibusque ſucceſſoriis (§. 301. 323. *ſeqq. ibid.*). Si eſt omnino patrimonialis, poſſet quidem alienare, at, uti ſibi rector nollet a deceſſore in ſimili caſu noceri, ita nec lædere ſucceſſorum jura debet, domaniis in ipſorum fraudem alienatis vel oppignoratis. Hinc quia morte ejus jus imperii exſpirat, prudenter a tempore mortis ejus ſucceſſor actutum revocat alienata, æque ac privatus prædia ſua injuſte alienata revocaret. Etſi enim domania præſcribi nequeunt, ſed quantocunque tempore elapſo revocari poſſunt (§. 792. *ſeq. ibid.*), præſtat tamen id illico fieri, niſi peculiares rationes obſtent. *Ipſaque domania.*

Diſerte dicimus, in fraudem ſucceſſoris domania non eſſe alienanda, donanda neque oppignoranda, quia hoc pertineret ad ipſi creandum damnum, & ad eum lædendum, quod nefas eſſe, nemo neſcit. Secus igitur pronuntiandum eſt, ſi id fiat per neceſſitatem evitari neſciam, vel in ejus utilitatem manifeſtam. Si ſucceſſor non revocaret alienata, videretur ſuo juri renuntiaſſe, & poſſeſſoris jura approbaſſe, aut difficilis foret poſtea fructuum tantiſper perceptorum & percipiendorum computatio. Si tamen graves adſint rationes meritorum, ob quas id illico fieri nequeat, nihil obſtat, quo minus diſerte ob has illud differatur, donec prudentius fieri poſſit, præſtando indemnem poſſeſſorem.

§. 155.

Quando domania recte alienentur?

Si domania vel a rectore civitatis, vel a populo, aut hujus consensu alienantur, ut æquivalentia vel meliora in eorum locum surrogentur, nulla fit successori injuria. Etenim propter æqualem valorem domaniorum & redituum ex illis, idem est, ac si eadem mansissent, quæ ante fuerant, & nulla esset facta eorum alienatio aut permutatio. Si vero meliora priorum loco sunt substituta, plus valent nova, quam antiqua cum suis reditibus, idque non in fraudem, sed in emolumentum successoris recte fit (§. 154).

§. 156.

Quando reditus eorum augendi?

Si domaniorum reditus, citra culpam rectoris diminuti, non sufficiant debito splendori rectoris civitatis, illos esse augendos, donec abunde sufficiant, par est & prudenter instituendum. Suppeditandi enim sunt rectori civitatis sumtus ad se familiamque suam sustentandum, & dignitatis suæ splendorem tuendum, sufficientes, iique pro re nata augendi (§. 785. *P. VIII. Jur. nat.*). Qui cum petendi sint ex domaniorum reditibus (§. 786. *ibid.*): manifestum est, si illi non sufficiant ob calamitatem temporum, aut citra culpam rectoris diminuti sint, illos eo usque esse augendos, & prudenter ita instituendos, ut abunde sufficiant (§. 131.).

§. 157.

Quando rationes incrementorum edendæ?

Si augentur reditus domaniorum a populo, prudenter exprimendæ sunt rationes, ob quas id factum est, ut constare liquido possit, num incrementum debeat esse perpetuum, nec ne? Si enim populus auget reditus ex domaniis ob rationes, quæ unice ad personam rectoris referuntur, non intelligitur voluisse, ut id incrementum sit perpetuum. Si vero eædem subsistunt, etiamsi alius sit rector civitatis, illud successori quoque esse relinquendum, patebit (§. 795. *P. VIII. Jur. nat.*). Prudentiæ igitur erit con-

fultumque, ut rationes incrementi in eo decernendo exprimantur.

Talis ratio esse potest numerosa regis familia; damnum fortuitum reditibus datum; & quæcunque legitima donationis causa.

§. 158.

Qua lege ab ipso rectore augeantur?

Si rector civitatis ex suo patrimonio domania eorumque reditus augere velit, consultum erit, ut eam incremento legem det, quam reip. maxime salutarem fore prævidet. Potest enim rector civitatis suum patrimonium legitime donare suis successoribus, & a voluntate donatoris dependet, qua lege donare velit (§ 130. *P. IV. Jur. nat.*). Quam ob rem si domaniorum reditus augere velit, dare incremento legem poterit, quamcunque voluerit (§. 797. *P. VIII. Jur. nat*). Potest vero & debet in omnibus actionibus suis saluti publicæ consulere, tanquam pater patriæ, & rector civitatis, & præferre id, quod melius fore compertum habet (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Proinde & in augendis domaniorum reditibus ex suo patrimonio eam incremento redituum legem prudenter dabit, quam reip. maxime salutarem, sibique in primis honorificam deprehendit prævidetque.

Potest v. g. lege fideicommissi perpetui id relinquere ipsis successoribus, aut eorum filiis primogenitis aut successuris, ea lege, ne unquam alienari possit, ne ullum populo jus sit in illud, vel ut aliquod ei sit jus in certo casu; ut inde certa præmia constituantur inventoribus rerum civitati salutarium, &c.

§. 159.

Reditus domaniorum sunt exigendi.

Rite & ita constituti domaniorum reditus, ut suppetant inde sumtus ordinarii, exigendi quoque sunt statis temporibus, adhibita, quando opus est, exsecutione. Sunt enim reditus hi quam optime adquirendi (§. 129). Sed non ante sunt adquisiti, quam si præstiti sint & soluti, collectique, ut in plena ejus potestate sint, cui illis est utendum. Quare injungendum quidem severe est, ut sponte

prom-

promteque ſtatis diebus ſolvantur, ſin minus, ope exſecutionis exigantur. Itaque ſi qui ſint, qui ſolutionem ſubterfugiunt, & de die in diem tergiverſantur, utique opus erit, ut illis ope exſecutionis neceſſitas ſolvendi, quod debent, imponatur.

Melius nempe ſolutio fieri nequit, quam ſi omnes ſciant, quando ſit ſolvendum, & tum libenter ſolvant, quod alias non ſine incommodo & damno rei familiaris ſolvere coguntur. Si vero detrectant ſolvere, aut moras nectunt inanes, nil reſtat, quam ut ſolvere compellantur, & ſibi tribuant damna & incommoda, quæ ſubire oportet, poſtquam noluerunt officio intra ſtatos dies defungi. Præſtat ita particulas exigi, quam ob cumulatam ſummam peſſumdare, qui non eſt ſolvendo.

§. 160.

Tempeſtive expendendi. *Exacti acceptique reditus in ſumtus, quibus deſtinati ſunt, tempeſtive & quam optime ſunt erogandi.* Prudentia enim quam optimam requirit erogationem redituum acceptorum (§. 129.). Ea autem fieri debet optimo h. e. ſuo tempore, vel tempeſtive (*ibid.*). Fieri quoque debet modo humaniſſimo, promtiſſimo & æquiſſimo, ne quis ullam jure conquerendi anſam obtineat.

Tempeſtive vel optimo tempore & loco erogat pecuniam is, qui tum erogat & ibi, quando & ubi illæ res meliores & æquiori pretio haberi poſſunt, ac unquam alias alibique. Modus autem ſolvendi optimus & promtiſſimus eſt, & pleniſſimus, & humaniſſimus & æquiſſimus, ideoque alienus ab omni avaritia, ſorditie, tenacitate, tergiverſatione, procraſtinatione moleſta, moroſitate *&c.* Multo minus melior pecunia commutabitur cum deteriori, ut lucrum ab erogante captetur.

§. 161.

Reſidui reſervandi. *Si qua ex reditibus reſtant, ea vero prudenter in futuros ſumtus tuto aſſervanda erunt.* Deſtinati enim ſunt reditus ſalutis publicæ ſumtibus præſentibus & futuris (§. 126.). Si quid ergo poſt

poſt expenſa in ſumtus præſentes ſupereſt, id futuris eſt dicandum deſtinatumque (§. 131). Qua propter ſi qua ex reditibus reſtant, ea prudenter reſervanda erunt ad futuros aliosque ſumtus (§. 129 & 132), in theſauro vel fiſco rectorum civitatis.

§. 162.

Et ope parſimoniæ augendi officiorum cauſa.

Prudentiæ & parſimoniæ laus erit, ſi rectores civitatum ab inani pompa & ſumtu ſupervacuo abhorreant, verum ſplendorem dignitatis ſuæ, ipſiusque majeſtatis in ſummis virtutibus potius, quam in externo magnifico apparatu ponentes (§ 40). Sufficit enim, ſi tum ſint & extus ſplendidiſſimi & magnificentiſſimi, cum peculiaris ratio in ſolemnitatibus coronationis, nuptiarum & ſimilibus inter pares requirit, ut & ipſis haud diſpares videantur illis, qui externis illis rebus capiuntur & æſtimant interna (§ 96). Non tantum in virtutibus autarcharum erga ſe ipſos eſt laudabilis parſimonia ſumma haud tamen indecora (§. *eod.*); verum etiam fortunæ familiæ ſuæ, dotibus, & quando his non eſt opus, ſaluti publicæ ex iis conſulere poſſunt, quæ alii vanis oſtentationibus intempeſtivi aut abundantis ſplendoris abſumſiſſent (§. 158). Sæpe quoque pericula evitanda aliæque rationes politicæ neglectum ſplendoris commendant & requirunt.

E multis exemplis hic unum alterumve ſufficiat. Ageſilaus annorum octoginta cum in acta cum ſuis accubuiſſet, ſine ullo tecto ſtratum habuit tale, ut terra tecta eſſet ſtramentis, neque huic amplius quam pellis eſſet injecta, eodemque modo omnes comites accumberent, veſtitu uſus humili atque obſoleto, ut ornatus non modo regem non ſignificaret, ſed hominis non beatiſſimi ſuſpicionem præberet. Inde regiis legatis, munera afferentibus, & quærentibus Ageſilaum, vix fides facta eſt, unum eſſe ex his, qui tum accubabant. Qui & præter vitulina & hujus-

modi obſonii genera, quæ præſens tempus deſiderabat, nihil accepit, unguenta vero, coronas, ſecundamque menſam ſervis diſpertiit. Quæ verba ſunt *Nepotis in ejus vita.* Datames inſidias denuntiatas detecturus, elegit ſui ſimillimum, cui veſtitum ſuum dedit, atque eo loci ire, quo ipſe conſueverat, juſſit. Ipſe autem veſtitu militari inter corporis cuſtodes iter facere cœpit, non ſine optato ſucceſſu, quem idem *Nepos* enarrat *in ejus Vita.*

§. 163.

Unde pendeat domaniorum magnitudo diversa.

Domania non poſſunt non differre pro gradu dignitatis rectorum in civitatibus, & pro amplitudine civitatis diverſa. Reditus enim illorum deſtinantur decenti œconomiæ & ſuſtentationi Rectorum civitatis, eorumque dignitatis & familiæ (§. 786 *P. VIII. Jur. Nat.*). Sed extra dubium poſitum eſt, multos dari gradus dignitatum non tantum in diverſis rerump. formis, uti in Monarchia & Ariſtocratia; verum & in eadem forma v. c. in imperio, regno, ducatu, principatu, comitatu &c. At major gradus majorem requirit ſplendorem, potentiam, & ſumtuum copiam, quam minor. Ergo & reditus domaniorum pro gradu dignitatis majori debent eſſe majores, quam pro minori gradu.

Præterea, quo major eſt amplitudo civitatis, eo plures ſumtus faciendi ſunt in ejus adminiſtrationem defenſionemque, quam ſi amplitudo ejus eſt minor (§. 783. *P. VIII. Iur. nat.*). Quare ſi reditus domaniorum & cæteri in unam ſummam rediguntur, &, quatenus hi ſumtus petendi ſunt e reditibus domaniorum, eatenus & ideo reditus vel in eadem forma civitatis, uti in regno majori, eo majores eſſe debent, quo majus eſt regnum. Cogitur inde, domania majora requiri pro majori gradu dignitatis rectorum civitatis, & majori hujus amplitudine, quam pro minori gradu & amplitudine (§. 138).

Quanta

Quanta eſt differentia redituum annuorum Regis Galliæ & magni Mogoris? Quando enim illius ſumme circiter 150 milliones librarum gallicarum conficit, hujus ſumma eſſe fertur 1600 vel 1700 ejusmodi millionum. Et quanta diverſitas intercedit inter Galliæ & Poloniæ Regis reditus annuos, ſi hujus vix integrum millionem æquant, ſecundum *Lengnich. Jus publ. Regni Polon. P. I. p.* 264. Parem diverſitatem occurrere inter Reſpp. facile intelligitur, ſi remp. Venetam conferas cum Raguſina aut Marinenſi.

§. 164.

Modus conferendi ſit quam minime oneroſus.

In ſumtibus publicis conferendis ſive ex domaniis, ſive ex aliis fundis, ſumma prudentia operam dat, ut is præferatur cæteris modus, qui commodior eſt faciliorque conferentibus, & ab his quam minime ſentitur. Etenim in quolibet ſumtus publicos obtinendi modo prudenter id præferendum eſt, quod in eo eſt optimum factu, ad quævis ejus commoda conſequenda, incommoda vero evitanda, eorumque exactio optimo fieri debet modo (§. 133). Sed modus ita conferendi ratas, ut comodior non detur, & tam facilis, ut vix, ſaltem minus, ſentiatur onus, quam ſi ullo alio modo feratur, alio quovis melior, optabiliorque conferentibus cenſebitur cunctis, eoque promtius, quam alio ullo ſolvent debitores. Quare cum ſapientia prudentiaque optimum ſemper præferant (§. 1. 87. & 130): autarcharum quoque ſumma prudentia operam dabit, ut in conferendis ſumtibus publicis is præferatur, qui commodior eſt cæteris & conferentibus facilior exoptatiorque. Hinc exactoribus licere neutiquam debet, ut ſui cauſa plura exigant, quam debent, ſub gravi pœna.

Tenuioris ſortis hominibus commodius eſt, ſi quavis rata tantillam ſolvant particulam, quam & in promtu habent & parum curant, utrum habeant, nec ne. Omnibus commodum eſt, ſi eo ſtato tempore ſolvant, quo ſolvenda ipſis ex privatis

 reditibus

reditibus præsto sunt (§. 159). Qualis solutio ipsis tempestiva & grata est, ingrata vero & molesta est intempestiva, hoc est, tunc solvenda, quando nondum rediere privati reditus, ideoque ipsis æs alienum est contrahendum. Ditioribus autem haud raro commodius est & opportunius, si summam a se solvendam notabilem simul solvant stato tempore, ideoque tantisper ea queant uti fruique. Quo usu fructuque essent carituri, si ipsis particulatim ut aliis esset solvendum. Quanquam & hic prudentia in casibus singularibus dispiciendum statuendumque est, quid sit saluti publicæ convenientissimum.

§. 165.

Et quam minime sumtuosus.

Præterea & is modus solvendi reip. est melior, quo solvenda secundum summam æquitatem quam minimum detrimenti patiuntur. Quo enim plus solvendis decedit, eo minus restat pro publicis sumtibus faciendis; & quo minus illis decedit, eo plus his accessisse vel inesse patescit. Id circo optimus colligendi ratas solvendorum modus procul dubio is est, quo ipsis, quam minimum fieri potest, derogatur (§. 191 *P. I. Phil. pract. univ.*). Nonnullos enim sumtus in collectionem, receptionem, consignationem rationum, & translationem pecuniæ vel rerum eo factam, ubi asservari, applicari & erogari debent, ibi fieri debere, ubi illi evitari nequeunt, lubenter largimur, & ibi sufficit, si curetur, ut quam minimi sint, ac quales esse ibi solent, ubi prudentissima dantur instituta.

Magni Mogoris reditus fere incredibiles ex agris ferunt ipsi tantum curarum molestiarumque dedisse, ut tandem *Ecberus*, reservata sibi tantum proprietate, eos ministris præfectisque ad dies vitæ utendos fruendosque loco salariorum concesserit, sub lege modicæ pensionis, thesauro suo quotannis inferendæ. Simile institutum viget inter Sinas. Cæterum derogari ratis conferendis non tantum plus justo potest, dum solvuntur solvendæ, aut solutæ jam sunt, & perfidia ac corruptione intercedente minuuntur

nuuntur vel non exigendo, vel depeculando; ſed & dum plures, quam par eſt, aluntur coactores curatoresque, ideoque ſumtuoſior eſt modus colligendi, quam neceſſe eſt.

§. 166.

Quia modus conferendi ſumtus publicos melior dari nequit eo, qui ſumma æquitate nititur (§. 133), quam minimum oneroſus eſt (§. 164), & quam minimum ſumtuoſus (§. 165); ſapientia autem ſumma, quod melius eſt cæteris, præfert (§. 689 *Pſychol. rat.*) vi obligationis naturalis (§. 192 *P. I. Philoſ. pract. univ.*): *manifeſtum eſt, modos conferendi ſumtus publicos ſapientius inſtitui, & prudentius exerceri non poſſe, quam ſi præter ſummam æquitatem, onus conferendi quam minime ſentiatur, & ſumma conferenda quam minimum patiatur detrimenti.* ***Prudentia utrumque conjungit.***

§. 167.

Inſigne eſt documentum ſapientiæ & prudentiæ ſummæ rectorum civitatis, ſi œconomia redituum & ſumtuum publicorum ita eſt inſtituta, ut ſimul extraordinariis ſufficiant ordinarii. Modi enim conferendi ſumtos publicos ſapientius inſtituti nequeunt, quam ſi, præter ſummam æquitatem, onus conferendi quam minimum ſentiatur, & quam minimo afficiatur detrimento ſumma conferenda (§. 165 *ſeq.*). Iam conferendi onus quam minimum ſentitur, ſi tenuiores ſolvant per ejusmodi particulas, quas in promtu habent, & facillime commodeque præſtant (§. 164). Liquet autem per ſe, ſi ordinarii ſumtus una ſufficere debent extraordinariis, hos non ſolvi niſi particulatim, atque ita, ut id onus quam minime ſentiatur. Ea propter dum ordinarii ſumtus non excedunt id, quo ſalva manet felicitas ſingulorum, ſemperque iidem manent; extraordinarii ſumtus quaſi nulli ſunt, nec ſentiuntur, dum penduntur, & quando communis boni cauſa faciendi ſunt, jam in promtu habentur ex reſervatis per debitam parſimoniam (§. 162). ***Cautio, ne extraordinarii ſumtus ſentiantur.***

Hoc ergo insigne & eximium esse sapientiæ & prudentiæ rectorum civitatis documentum, a nemine potest in dubium vocari.

Celebratur hac in re sapientia ac prudentia Regis Prussiæ hodierni, qui ne in bellis quidem extraordinaria suo populo imperavit tributa, multo minus propter alias impensas extraordinarias. Quale institutum commendaverat *de Vauban* dans la dixme royale p. 13.

§. 168.

Quando quibusque opus sit modis extraordinariis.

Si ordinarii reditus publici tam sunt restricti, ut parum vel nihil inde supersit pro extraordinariis, etiamsi optime administrantur; opus est, ut extraordinarius confererendi modus adhibeatur, qui cæteris melior haud immerito censetur. Hoc casu enim extraordinariis sumtibus extraordinarii quoque reditus sunt destinandi, si stati non contineant pro iis reservanda & jam parata (§. 132), curandumque, ut illi ipsis abunde sufficiant (§. 131). Quare cum & tunc optimus eos conferendi modus præferri mereatur, æque ac in ordinariis (§. 166): opus utique est, ut extraordinarius conferendi modus hujusmodi adhibeatur, qui cæteris melior haud immerito censeatur.

Vidimus quidem ordinarium conferendi modum complecti simul ea posse, quæ extra ordinem requiruntur (§. 167.). Sed ea vix aut rarissime alibi, quam in Monarchia absoluta locum habent, ubi unius arbitrio cuncta geruntur. Vbi forma aristocratica, vel democratica, vel mixta & temperata obtinet, ibi metus facilius nascitur quam ponitur, fore, ut residua illa in abusum & expressionem jurium formæ admixtæ trahantur.

§. 169.

V. g. ratis patrimonii omnis, aut redituum annuorum.

Vt extraordinarii sumtus obtineantur, meliori via deficiente summa inita æstimari & imperari passim solet, quota pars facultatum (bonorum) aut redituum annuorum conferenda sit a singulis ad eosdem. Quando ordinariis sumtibus publicis certa redituum annuorum

 rum

rum pars destinata est, tum extra ordinem eorum vel tantumdem, vel plus, vel minus dandum erit, pro re nata (§. 168), ideoque bis ad hauriendum ex eodem fonte recurrendum erit, diversis tamen vicibus plerisque commodioribus, ut constet, quid extra ordinem conferatur (§. 166).

Vt vero rata pars bonorum, etiam haud fructuosorum, vel eatenus tantum utilium, ut necessaria vitæ præsidia vix inde redeant, ad ordinarios sumtus destinetur, vix ac ne vix quidem salva salute omnium & singulorum fieri potest. Facili enim calculo ostendi potest, quam brevi tempore necesse sit, ut, qui non sunt admodum divites, quorum sunt perpauci, aut non multo plus lucrantur, quam per usuras licet, hoc pacto pereant. Multi igitur hoc genere tributi premerentur, vel tantum non opprimerentur (§. 135), quod esset nefas (§. 136). Quare rata pars bonorum quorumque non nisi raro & extra ordinem adhiberi debet, quando melior non occurrit, quo uti liceret. Sane decima redituum, si quincunces usuras habes, æquiparatur tantum ducentesimæ sortis parti, nec alius quam fructuosæ.

Singuli quidem ad sumtus publicos conferre debent pro modo facultatum, ita tamen, ne ad egestatem redigantur (§. 758 *P. VIII. Jur. nat.*). Quod fieret, si quotannis ratam bonorum partem conferre juberentur, e quibus nullum fructum capiunt. Sit v. g. domus, quæ habitationis mercedem nullam fert, quacunque de causa. Si illius pretium est centum aureorum, & illius pars quinta quotannis pendenda esset, intra decennium omne ejus pretium esset absumtum, æque ac si esset incendio combusta. Idem valeret de pecunia otiosa, de agro vel prato per quascunque causas sterili. Si fructuum vel redituum pars rata solvitur, sterilis fundus, pecunia &c. nihil solvit. Hinc statui solet, solvendas esse ratas emolumenti seu lucri annui. V. g. si mercator possidet summam a, æque ac senex

decrepitus,

decrepitus, uſuris victitans, v. c. quincuncibus. Si hic ſolvit $\frac{a}{5}$, non tantum ſolvit, quidquid inde lucratur, ſcilicet $\frac{a}{20}$, ſed & ipſius a $\frac{3}{20}$ inſuper. Si mercator lucratur alterum tantum, is ſolvendo $\frac{a}{5}$ non tantum retinet totum a, ſed et præter illud ejus $\frac{4a}{5}$. At ſi redituum ſolvitur $\frac{1}{5}$, ſenex ſolvit quintam partem ipſius $\frac{a}{20}$, atque ita retinet reditus ſui quatuor partes, unde vivat, & in pari proportione mercator ſui lucri quintam partem erogat in publica commoda, $= \frac{a}{5}$, retinetque ejusdem a reſiduas quatuor partes, ſeu $\frac{4a}{5}$. Equidem non diffiteor, ſi quis patrimonium exiguum vel nullum habet, ſed ex ſalario vel penſione annua mille quotannis accipit florenos; eum, ſi pro modo facultatum vel patrimonii rata quinta ſolvatur, parum vel nihil eſſe tributurum; ſi autem rata redituum ſolvenda ſit, ſoluturum eſſe 200. Sed quoniam ratione uſusfructus idem eſt, ac ſi gauderet prædio vel tanta pecuniæ ſumma, unde mille annui redirent: eatenus idem eſt, ac ſi tali prædio gauderet, e quo nil amplius percipere, deductis impenſis, poteſt. Si vero mille ultra ipſius vitæ honeſtæ neceſſitates non ſufficerent, vel immunis eſſe debet a tali penſione, vel alio modo ipſi compenſandum erit, quod neceſſitati vitæ præſidiorum deeſſet . . . . Similiter ſubveniendum eſt illis, quorum quæſtus jacet difficillimis temporibus, qui numeroſa familia, vel ob annonæ caritatem vix ac ne vix quidem præſenti vitæ neceſſitati ſufficiunt, qui morbis diuturnis vel aliis calamitatibus miſeri ſunt facti. Horum par eſt ratio, quodcunque genus tributi eligatur, cum nihil habens, quod det, nihil dare poſſit. Quæ exceptiones ſtabiliunt regulam ſupra datam §. 140.

§. 170.

Vitalitiis & Tontinis inſtitutis.

Ne extraordinarii ſumtus moleſti ſint, vitalitia condi ſolent, & Tontini quæſtus, quorum ſummæ collatæ communi bono donantur ea lege, ut inde ad dies vitæ largos, vel ſubinde creſcentes reditus capiant. Nempe vitalitio emuntur ad vitæ dies largiores uſuræ ſortis

nunquam

nunquam reddendæ; tontino autem quæſtu uſuræ totius ſummæ ſortium ſunt ſolitæ, ſed quia mortuorum ratæ accreſcunt ſuperſtitibus, ſenſim illi reditus longe ultra uſurarum ſummarum modum, lege per contractum recepta, adſcendunt. Vtroque caſu ſi multi conferunt ſummam deſideratam ſua ſponte, ob lucrum inde ſperatum, & opera navatur prudenter, ne id reip. oneroſum evadat, reliqui non ſentiunt id onus, quod alii pro omnibus in ſe lubentes recipiunt ſui commodi cauſa (§ 166).

Plura de his habentur in *Diſp. de quæſtus tontini moralitate*, quam an. 1739 edidi emendatis, antequam haberetur, nonnullis calculi erroribus. Quod vero alias privatim, aut in cauſa quidem publica exigui momenti fieri conſuevit, id in extraordinariis totius civitatis ſumtibus magnis obtinendis, longe majus, & tantum circiter eſſe debet, quantum requiritur. Ideoque niſi in regno magno, aut imperio, haud facile tanta multitudo conſortium reperitur, quanta eſſe debet. Exempla hujusmodi & noſtrum & ſuperius ſæculum ſuppeditavit, ut non opus ſit illis commemorandis, velut ignotis. Si conſortes utriusque inſtituti non ſunt niſi cives, emolumentum, quod ex illo percipitur, in civitate manet, conſumiturque bona cum voluntate cæterarorum, quos onere liberarunt. Nec facile ſolent alienigenæ & peregrini iisdem tantum tribuere, quantum cives ipſi, certiori fiducia freti.

§. 171.

Mutuo aut contractu foenebri.

Ne oneroſi nimis videantur ſumtus extraordinarii, contrahi quoque ſolet mutuum, ſi haberi poteſt, aut contractus fœnebris. Mutuus enim rei fungibilis uſus gratis conceditur (§. 513 *P. IV. Jur. nat.*). Quare ſi multi ſint, pecunia ſic abundantes, ut illius uſum reip. ad certum tempus gratis concedere velint, ea lege, ut ſtato tempore tantundem certo recipiant (§. 514 *ſeq. ibid.*): hoc beneficium utiliter accipi, nemo diffiteri audebit. (*Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. II.*)

Quia vero raro hujusmodi casus contingat; suffecerit, si nonnulli, priusquam cæteri pecuniam suam recepturi, aut & aliis præmiis vel honoribus afficiendi, eam communi saluti utendam gratis dent; & contractu fœnebri æquiori inito reliquum obtineatur; vel solo hoc fœnebri contractu summa repente colligenda obtineatur pro modicis usuris (§. 1423 *seq. ibid.*).

Etenim si in præsentia rerum angustarum ingens pecuniæ vis in summa calamitate sit conferenda, ea aut admodum ac nimis oneraret cives, aut ne sic quidem impetrari posset. Posteriori casu summa necessitas urget subsidium, ex contractu fœnebri petendum. Priori illud commendat id, quod melius est & tolerabilius (§. 192 *P. I. Philos. pract. univ.*). Hoc enim utpote minus onerosum sentitur quoque minus (§. 164). Teste Livio Lib. 26. Romani bello punico secundo maluerunt pecuniam a civibus mutuum accipere, quam tributum extorquere.

§. 172.

Qua cautione opus sit circa usuras.

Cavendum tamen, ne apparens usurarum commoditas, revera plus reip. detrimenti afferat, quam alius modus conferendi sat onerosus. Etenim si non tantum sors, sed & usuræ solvi debent, fieri potest, ut per posteros duplum vel triplum &c. illius simplidandum sit, quo revera eguit salutis publicæ cura. Si haberi ergo simplum potuit, citra tantam jacturam, quanta per usuras suscipitur devolviturque in posteritatem; fugienda est tanta jactura, præsertim si nec adfuit extrema necessitas, nec vera commoditas, ex usuris aliquamdiu solvendis exspectanda, quarum causa contractus fœnebris præferri meretur (§. 171). Est igitur tunc tantum apparens usurarum æquitas, immo levitas, si illius causa onus extraordinarium duplum, triplum & amplius solvendum est, quam si simplum fuisset semel, quanquam non sine gravi sensu incommoditatis, solutum.

Habent

Habent usuræ suum commodum, quando solvuntur ab iis, qui forte accepta vel multo plus lucrantur, quam usuras, vel saltem easdem integras, deductis impensis. Idem enim tum est, ac si nullæ solverentur usuræ, sed sola sors mutuo accepta sit paulatim reddenda. Inde onus earum sortisque vix sentitur hoc casu. Si modicas usuras solvendas præstant ditiores, v. c. mercatores, qui semel solvendo extraordinarios sumtus multo plus perdidissent lucri, quam si retinendo suos numos emolumentum inde accipiant, quod non tantum usuris solvendis abunde par sit, sed & insuper eos locupletet: æquiparari & hic casus potest priori, quando sors ipsa sensim particulatimque tempore haud longo feliciorique una solvitur, quibus debetur. Quando vero sors fœnebris illico erogatur, & ad eam una cum usuris reddendam omnes conferre jubentur, qui maluissent suam ratam semel, etsi non sine molestia, repræsentare: ipsis non potest non detrimento esse solutio bis, ter & amplius facienda. Sint v. g. civi solvendi centum, quibus nunc ægerrime caret, aut quarum partem vel mutuo accipit, vel usurarum interventu. Potuisset illam partem cum usuris brevi tempore postea diluere. Sed ex publico contractu fœnebri illi 200, vel 250 solvendi erunt. Quis neget, hoc illi pluris stare, quam illud? Quod si plurimorum similis sit ratio, id civitati damnosius esse liquet, quam si semel solutio fuisset facienda. Taceo complures casus, ubi ne quidem contrahi potest publicum æs alienum, sed necessitas ipsa jubet negligere solutionis molestiam devorandam.

§. 173.

Domesticum æs alienum præstat peregrino.

Si æs alienum in publicos usus cum usuris contrahendum est, cæteris paribus præstat a civibus illud peti, quam ab exteris, nisi usuræ sint longe minores, quam domi habentur. Etenim si a civibus petitur æs alienum, usuræ civium usibus cedunt, & consumuntur in civitate; si a peregrinis petitur, usuræ solvendæ sunt peregrinis, & ab iisdem extra civitatem suis usibus impenduntur, ut civitas eas solvens nihil inde commodi percipiat. Id quod res ipsa pla-

planiſſimum facit. Præſtare autem, ſi civitas ex ſoluto ære alieno ejusque uſuris ipſa emolumentum capiat, quam ſi eo deſtituatur, idque exteris ſit relinquendum, quis in dubium vocabit? Cæteris igitur paribus, ſi æs alienum eſt contrahendum, præſtat illud a civibus peti, quam a peregrinis.

Dantur & aliæ rationes, ob quas præſtat domeſticum æs alienum, quam peregrinum. Cives nempe id non propalabunt inter exteros, ut peregrini. Cives non repetent ſuum tempore reip. minus opportuno, ſed opportuniori. Cives quoque muneribus & reditibus admoveri poſſunt, unde recipiant ſuas ratas; quod rarius in peregrinis conſultum erit; & quando contractu nihil cautum eſt, repetere ſuum æs poterunt tempore valde importuno aut reip. pernicioſo. Peregrini quoque poterunt aliis modis nocere civitati, v. c. numos domeſticos reſpuendo, aut peregrinis eo majus pretium trubuendo, quo minus ibi haberi poſſunt, ubi ſunt ſolvendi, aut vi extorquendo ſolutionem importune. Quæ omnia a civibus non ſunt metuenda. Denique cives ipſi conferunt aliquid ad ſolutionem ſui crediti, peregrini nihil.

Quando autem civium uſuræ ſunt majores, peregrinorum multo minores; cives ex uſu paris ſummæ ſuæ pecuniæ plus lucrantur in uſibus privatis, quam in publicis. Ideo illis uſuræ majores non ſunt eripiendæ, & minores ex publico fundo obtrudendæ (§. 134), cum hæ ab exteris ſponte expetantur, easque cives non ſine ſuo lucro ſolvere cum ſorte ipſa poſſint. Cæteris igitur paribus hoc caſu minores uſuræ peregrinorum civitati erunt lucroſæ. Cujus contrarium ſi uſu veniat, aut & pares tantum uſuræ domeſticis ac peregrinis creditoribus ſint ſolvendæ, præcedens ratio prævalebit.

Sunto civibus ſolvendæ pro ſorte uſuræ quincunces; peregrinis quadrantes, cives quotannis lucrantur ſextantem amplius, quam peregrini: quia $\frac{5}{12} - \frac{3}{12} = \frac{2}{12} = \frac{1}{6}$. Cujus ſextæ partis dimi-

dimidium si conferunt ad sortem & usuras exterorum solvendas particulatim, restat ipsis ex lucro suo $\frac{1}{12}$.

§. 174.

Aes alienum nimium vocamus, cui dissolvendo debitor est impar. Quam ob rem si debitor non sit solvendo, primum usuras solvere non poterit; deinde nec partem sortis, v. c. tertiam, dimidiam, & hac majorem; denique nihil sortis solvet, quando plane vel omnino solvendo non est, ideoque omnem fallit spem creditoris, omnemque decoxit fidem suam. ***Nimium æs alienum quid sit?***

§. 175.

Cavendum est, ne vel æris alieni domestici nimium contrahatur a civitate. Si enim æris alieni nimium contrahit civitas, illa impar erit eidem dissolvendo, impar suum cuique reddendo (§. 174). Propterea tandem nec sortem solvere poterit, nec usuras, fietque erga suosmet cives injusta (§. 1424. *P. IV. Iur. nat.*), aut in aliorum redigetur potestatem. Quod cum in privato nefarium sit miserumque (§. 910. *seq. P. I. Jur. nat.*), multo magis in civitate (§. 533 & 1033. *P. VIII. Jur. nat.*); ideoque solicite erit cavendum, ne civitas nimium contrahat vel domestici æris alieni. ***Cavendum & in civitate nimium æris alieni.***

Aeris alieni peregrini nimium tam aperte civitati perniciosum esse sentitur, ut vix opus sit, illud monere. Quid enim facilius est, quam ejusmodi civitatem obnoxiam mitti sub jugum alterius, atque ita interire; haud secus, ac si privatus, qui non est solvendo, mancipium evadat sui creditoris? Sed domestici æris alieni dispar esse videtur ratio, ut nonnullis videatur, id nimium fieri non posse, cum ita cives eo magis vel sui emolumenti causa civitati bene cupere & consulere adigantur; cum fides publica & fiducia ejus eo magis florere intelligatur, quo major summa æris alieni ei concreditur. Enimvero cujusmodi hæc sint, haud difficulter patebit, si loco civitatis ponamus privatum debitorem. Quis ferret affecturum, quo plus debet ille,

eo majorem ipsi haberi fidem, & eo plures operam daturos, ne is pereat? Si multum debet, multum fidei illi esse habitum certum est. Sed num recte ac prudenter id factum sit, alia est quæstio, neganda ab omnibus, qui tandem experiuntur, eum non esse solvendo. Cuperent quidem, ipsum esse florentem, sed ea propter, ut ipsis solvere, quidquid debet, possit. Vbi vero sentiunt, eum non esse solvendo, malunt tandem, ut ipsis solvat, quantum potest, antequam plane nihil solvere possit. Sic quamdiu civitas usuras solvere studebit, fides illi quidem habebitur; sed si nimia fides habetur, nimium conflabitur æris alieni, cui tandem solvendo impar sit. Nonne tunc eadem est ratio privati, ac civitatis, quæ solvere nescit?

§. 176.

Vnde id constare possit?

De nimio ære alieno civitatis constare potest partim curatoribus ex eius sumtibus necessariis & reditibus, quando illi hos constanter valde superarent; partim aliis, experientia duce, quando propter impotentiam usuræ non solvuntur, multo minus suppetit, unde ratæ sortium solvantur. Etenim quando sumtus publici semper multo majores sunt, quam reditus, tum ex his illi peti non possunt, ideoque solvi nequeunt. Inde usuræ quoque æris alieni contracti solvi inde non poterunt, seu non solventur iis, quibus debentur. Quare si hoc experientia doceat, scilicet usuras non amplius solvi, manifestum jam est, æs alienum civitati esse nimium (§. 174.).

Quemadmodum debitor privatus tam diu censetur esse solvendo, quamdiu & usuras stato tempore solvit, & summam sortis, cujus dies venit, etsi satis firmum non est hoc argumentum, sed fallit, quoties non e suo solvit, sed ex alieno, vel versuram facit; quando autem nequit solvere, quæ debet, recte impar solvendo esse statuitur, & inquisitio in ejus statum rerum instituitur, qua ad liquidum perducatur, quid solvere possit & nequeat: ita quoque civitas creditur tam diu esse solvendo, quamdiu solvit usuras, & summas quasdam, quæ reposcuntur, etsi id quoque fiat ope versuræ; quando autem solutio cessat usurarum aliorumque

que debitorum, haud abs re creditur impar facta ſolvendo, & inſtituta inquiſitione redituum, ſumtuum & æris alieni, innoteſcet, num qua ratione rectius quam hactenus ipſi conſuli poſſit, ut fides ejus reviviſcat, an ſolutio fieri prorſus nequeat. Ponamus ſummam æris alieni civitatis æquare 80 milliones hujusmodi, quibus redituum privatorum ſumma non ſit major. Si horum $\frac{1}{80}$ deſtinetur eorum ſolutioni, intra annos 40 civitas dimidio, & 80 annis omni ære alieno liberabitur, ſi uſuris ſolvendis aliunde eſt proviſum; quæ ſi quadrantes tantum ſint, tamen ultra duos milliones quotannis ſatis diu requirent. Siccine tres milliones ob æs alienum quotannis per 40 annos, & duo circiter milliones haud paucis annis poſtea ſolvendi erunt, antequam ad ſesqui millionem, & poſtremum ad ultimum millionem cum ſuis uſuris ſolvendum perveniatur. Hinc facile perſpicietur, quid in aliis caſibus futurum eſſet, v. c. ſi vix omnium facultatum privatarum ſubſtantia 80 valeret milliones. Ex his abunde perſpicitur, quanto ſatius conſultiusque ſit, ſi civitas vel nullo laboret ære alieno, vel ſi per extremam neceſſitatem aliter fieri non potuit, non niſi exiguo; quod dilui propediem poſſit, & actutum reddatur, dum commode fieri poteſt.

§. 177.

Neque a debiliori civitate potentiori temere magna habenda eſt crediti æris fides. Faciles enim ſunt ſæpe rerum etiam publicarum mutationes everſionesque, hiſtoria teſte. Si vel domania creditoribus oppignorentur, ſucceſſor contendere poteſt, id in ſuam fraudem factum eſſe, ideoque revocare illam alienationem (§. 154.). Denique ſi propter rationes vel ficulneas ſolvere debitum nolit, vix aut ne vix quidem potentior civitas a debiliori compelli poterit ad ſolvendum. Quo major igitur eſt creditæ pecuniæ ſumma, eo majus hæc ſubit diſcrimen dependentiæ debilitationis, aut jacturæ rerum creditarum. *Cautio circa peregrinum æs alienum.*

Allici ad hujusmodi fidem habendam debilior civitas, ejusve cives poſſunt uſurarum magnitudine, qua domi, potiri nequeunt.

unt. Sed & inter privatos ſuſpecti eſſe ſolent, qui majores ſolitis promittunt uſuras. Quo majori opus eſt prudentia in civitatibus, ne ineundus contractus vel privatis magnum afferat detrimentum, vel ipſimet reip., ſi non alia in re, ſaltem eatenus, ut, dum ipſa juvari ea pecunia poſſet, ea jam carere cogantur.

§. 178.

An reditus domaniorum decimandi.

Reditus domaniorum cum aliis uſibus ordinariis deſtinati ſint, extraordinariis non ſunt impendendi, ni qua pars in ſumma extremitate iis derogari poſſit. Quatenus enim reditus domaniorum debentur ſuſtinendo, ut par eſt, rectori civitatis, ejusque aulæ & familiæ (§. 786. *P. VIII. Jur. nat.*), eatenus inde decerpi decimando nihil poteſt ad ſumtus reip. extraordinarios (§. 168.). Si tamen abunde ſufficiant, & ope parſimoniæ aliqua inde ſuperſunt (§. 132.), ea in extremæ neceſſitatis articulo uſibus reip. extraordinariis dicari poſſe & debere mirum haud eſt (§. 161. *ſeq.*).

Rigidius juſto *de Vauban* etiam ex domaniis regiis, reditibus reginæ, & ſobolis regiæ &c. decimam dari debere contendit, omnesque exemtiones ſublatas cupit, velut injuſtas & ſaluti publicæ contrarias. Addit rationes: quia omnes indigent protectione & defenſione, ideoque & omnes ejus ſubſidia conferre debent pro viribus. p. 24. & p. 216. quia onus exemtorum in cæteros cadit, eosque potiſſimum pauperes, exemti vero ſunt locupletiores, & pleraque poſſident. Enimvero niſi illa capiantur de illis, qui præter rem & rationem ſubreptitie exemti ſunt, nihil ſolidi ineſt illis rationibus extra caſus, quando ex abundantia parſimonia reſervavit quædam in futuras neceſſitates, quæ in extraordinariis ſumtibus legitimis adſunt. Vnde ipſe autor p. 217. agnoſcit, non omnino exemtum eſſe quenquam debere & ſolere, ſed tantum ex parte, quos exemtos recenſet p. 213. *ſeqq.* Et p. 202. in notis marginalibus n. 5. nobilibus concedi vult immunitatem hoſpitationum (exemtion de tous logemens de gens de guerre &c.). Quibus enim publicæ ſaluti operantibus tantum non datur, ut felices æque ac alii in civitate eſſe poſſint, cur illis

vicis-

viciſſim auferatur, quod tantum eorum honeſtis vitæ præſidiis ſufficit, quæ omnibus & ſingulis ſalva eſſe debere ipſe ſtatuit, ne quis magis oneretur, quam cæteri p. 35-39.

§. 179.

Modi conferendi in civitate ſumtus publicos admodum variare poſſunt & ſolent. Dari enim debet e reditibus privatis, quantum ſufficit ad ſumtus publicos adminiſtrationis & defenſionis præſtandos (§. 778. *P. VIII. Jur. nat.*), & optimus quidem conferendi modus cæteris præferri meretur (§. 129. 164. *ſeq.*). Sed ab arbitrio rectorum civitatis pendet, quem illi modum ſuæ civitati convenientiſſimum judicent pro rebus natis, quæ longe diverſiſſimæ eſſe poſſunt ac conſueverunt in diverſis orbis terrarum regionibus. Innumeris igitur modis conferri a privatis ſumtus publici poſſunt. *Modi conferendi admodum variant.*

Solere etiam plurimum differre modos conferendi ea, quæ ad ſumtus publicos requiruntur, luculenta teſtatur experientia eorum, quæ paſſim ſunt recepta. Sæpe numero ne in eadem quidem civitate omnium provinciarum & civium idem eſt conferendi modus, ſed aliis alii magis arriſerunt, uſuque recepti ſunt & privilegiis formati, cum in ordinariis, tum in extraordinariis ſumtibus colligendis.

Ita commemorat dynaſta Vaubanenſis, Normandiæ reditus regios aliter eſſe comparatos, quam in Tractu rhothomagenſi, Banlieue dicto, in eadem provincia *p. 46. Lib. cit. ſeqq. & p. 59. ſeqq.* Vt alia præteream, uſitari in Gallia oſtendit la taille reelle & perſonelle, les audes, les douanes, les affaires extraordinaires, la capitation, les dixmes eccleſiaſtiques, les impots ſur le ſel, les marchandiſes &c. outre les emprunts, Tontines &c. Ita alii conferendi modi vigent inter Polonos, alii inter Pruſſos Poloniæ junctos; alii inter Belgas Germanicosque, inter Anglos alii &c. Nec in eadem civitate ſemper iidem ſunt & manent modi conferendi, ſed ſucceſſu temporis alii antiquiores abolentur,

& recentiores in eorum locum ſuccedunt, quod in Polonia & paſſim alibi hiſtoria & jus publicum docent. In Anglia quoque alii reditus regii fuere, qui poſt fata Caroli II. rectius inſtituti ſunt, ex iis, quæ danda ſunt pro rebus importandis & exportandis, pro liquoribus potulentis & focis. Vid. *Chamberlayne* p. 72, qui poſtea addit p. 74. the king of Englands revenues were never raiſed, as in other countrys, by ſale of honours, - magiſtracies - offices, of juſtice, of Licenſes to thoſe, that wil ſet up maſter of any trade, by impoſt upon all matier of victuals aud clothes, upon the entrance of goods into any Inland country, by penſions of confederates, upon pretence of protection; but in demeſus or in Lands belon ging to ther principality of *Wales*, the Dulchys of *Cornwal*, and of *Lancaſter;* in Teuth and firſt fruits, in Reliefs, Fines, amercements aud confiſcations &c.

§. 180.

Num mutandi ſint modi recepti, an emendandi?

Recepti conferendi modi haud facile ſunt mutandi, conformandi tamen, quantum datur, naturali æquitati, emendandique, ſi quid iniqui irrepſit. Recepti enim ſumtus publicos conferendi modi non noti tantum omnibus ſunt civibus, ſed & uſu ipſo comprobati, velut tales, quos arbitrantur eſſe cæteris meliores. Quapropter difficulter ipſis perſuaderi poterit, alios dari meliores modos, his ſubſtituendos. Suæ enim experientiæ tanquam certiori putabunt plus tribuendum eſſe, quam aliorum argumentis, ſibi haud æque perſpectis. Accedet quoque metus & ſuſpicio, ne qua noxa ſibi oriatur ex novis & incompertis modis. Si qui ſunt, qui perſpiciunt meliora & probant, hi non conficient majorem numerum, itaque plerisque cedere cogentur.

Vbi aperte oſtendetur iniquitas vel injuſtitia in modis conferendi antiquis, hanc dicent uſitato modo non ineſſe per ſe, ſed per abuſum. Inde abuſum eſſe tollendum ſtatuent, reliquendum vero rectum uſum. Correctioni igitur temeratorum

rum facilius aures præbebunt, quam immutationi, & antiquorum abrogationi & quæstores publici, & qui usitatis sunt adsueti.

Quia tamen cavendum est, ne propter sumtus publicos alii aliis deterioris fiant conditionis (§. 134.), & fugiendi sunt illi, quibus multi premuntur, & tantum non opprimuntur (§. 136.): opera utique danda est, ut usitati sumtus publicos cogendi modi, quantum fieri potest, æquabilitati naturali conformentur, sublatis, quæ illi contraria irrepsere.

Fieri quidem potest permutatio usitatorum conferendi modorum, quando v. g. eorum omnes ita sunt pertæsi, ut alios optent & eligant, sive simul pristina forma reip. mutetur, sive retineatur. Sed jam de eo casu sermo non est; verum de eo, quod plerumque fit, & obtinet in colligendis sumtibus reip. inservituris. Vt plurimum autem homines usitata sequi malunt, quam incomperta, sub quorum herba anguem latere nociturum sibi, facile suspicantur. Hinc vel in Gallia *de Vauban* suadet, ut decima regia non nisi pedetentim introducatur, facto ab iis initio, qui plurimum emolumenti inde sunt percepturi, quibus ea ideo facilius persuadeatur. Neque eam statim perpetuo stabiliendam esse consulit, sed ab initio in biennium vel triennium, ut tollenda sit, nisi interea sua se præstantia ita commendet, ut sponte ejus continuatio expetatur.

§. 181.

Emendationis causa quid agendum sit?

Vt emendari abusus possint, sunt illi investigandi, tollendi e medio, & pœnæ merituris sanciendæ ac irrogandæ idoneæ, ad eos vel similes in posterum arcendos. Quamdiu enim ignoti sunt & latent abusus, vel studio celantur, ne innotescant rectori civitatis; tamdiu prement innocentes, querelisque multis quidem locum dabunt, sed frustraneis, neque ideo poterunt abrogari. Quod per se est manifestum. Hinc ut emendari possint, utique ante omnia opera danda erit, ut investigentur; quod promte fiet,

ſi querelis deferendis admittendisque locus fiat, modo rite probentur (§. 550. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quando abuſus ſunt inveſtigati & evicti, poſſent quidem autores eorum, ſi id merentur, puniri; ſaltem adigi ad inique exactorum reſtitutionem præſtandam (§. 580. *P. II. Jur. nat.*). Sed præcipuum, quod ſalus publica flagitat, erit abrogatio abuſuum, qua e civitate tollantur ita, ut amplius ipſis in ea nullus relinquatur locus.

Ne vero in poſterum vel iidem vel ſimiles alii exoriantur, pœnis cavendum erit rigoroſis, quæ & ſanciendæ ſunt, ut abſterrere omnes ab ejusmodi prævaricationibus poſſint; & merituris infligendæ, ut civitas ab iisdem immunis reddatur. Quem in finem conqueſturis, & querelam rite probaturis, reparatio damni illati rite promittetur, pœna quoque, ſi qua propoſita eſt, executioni data (§. 647. & 656. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 182.

Quid ex reditibus operarum ſit dandum?

Quorum omnes fere res reditusque in operis ſuis poſitæ ſunt, unde ſibi ſuisque conſulant, horum operæ ſunt æſtimandæ, quanti per annum ſint, quidve ſupereſſe illis inde poſſit, modo recte illis & earum mercede ac quæſtu utantur, ut illius pars quotæ aliorum proportione reſpondens, in publicum conferatur. Nimirum deficientibus rebus immobilibus & mobilibus, præter ſumme neceſſarias, nihil his eſt, quod ſalva libertate mercedis pretium valeret, præter operas fructuoſas, quibus edendis pares ſunt, & quas locare aliis poſſunt, conducturis illas (§. 148.). Qua propter ſi quid lucrari, ſi quam rem aliorum adquirere cupiunt; oportet, ut, pacto cum illis inito, vel ſuas illis operas præſtent, iisque præſtitis ſuam mercedem præſtolentur & acceptent; vel res quasdam ſuo marte conficiant capiantve, aut ſua induſtria earum uberiorem proventum naturalem adjuvent perficiantque, easque emturis vendant. Cujus generis ſunt ruſtici, hortulani, olitores,

res, piſcatores, venatores, opifices, artifices, milites, mercenarii, ſervientesque. Qui ſi quid præter neceſſaria vitæ præſidia adquiſivere, id pro eorum patrimonio recte habetur. Hoc ſi rite æſtimetur, oſtendet, quantum inde eadem proportione, qua aliis, ad publicos ſumtus conferendum ſit (§. 140.).

Quia cives romani ſuis ſumtibus militabant, qui potiores in ſexta claſſe erant, *proletarii* dicebantur, augendæ tantum proli deſtinati, ut numerus Romanorum augeretur. Inferiores *capite cenſi* vocabantur, quia non tanquam milites, ſed tanquam capita totidem vel perſonæ æſtimabantur, quæ urbi aliter inſervire poſſent. Horum cenſus minimus 365 aſſes habebat.

§. 183.

Si operis ſuis victitantes perexiguos aut nullos habeant reditus abundantes, poterunt illi tamen æquabiliter & debebunt operas ſuas ad commune bonum conferre, quando civitas illis eget. Onera enim reip. ferre tenentur univerſi (§. 775. *P. VIII. Jur. nat.*), ſingulis ad ea conferentibus pro modo facultatum (§. 777. *ibid.*). Quam ob rem qui operas tantum habent, quas conferre ad ſalutem publicam poſſint, horum operæ ad eam erunt pro virili conferendæ (§. 19. *ibid.*), quando illa earum eget, ne in fraudem boni publici privato tantum operentur (§. 25. *ibid.*). *Quorum operæ ad commune bonum conferendæ?*

Recipiunt ipſorum operæ æſtimationem, qua ſua mercede dignæ ſtatuuntur (§. 326. *P. IV. Jur. nat.*). Qua propter operæ eadem poſſunt proportione præſtari, qua res aut pecuniæ a cæteris conferuntur, atque prudenter æquabilis ineunda eſt ratio, eas ita obeundi, ut idem ſit, ac ſi pro ſorte ſua res contuliſſent ad ſumtus publicos (§. 134. 136. & 166.).

Ita receptum eſt uſitatumque, ut, quando opus eſt operis publicis in commune bonum conferendis, illi, qui eas præſtare obligantur, eas per vices ſubeant. Quando plures conſociatas operas præſtant, (Schaarwercke), operæ cohortales audiunt, uti

ſi ruſticæ operæ prædio ſuo ſumtu arando, conſerendo, metendo debeantur; item ſi cives excubias agere militares, vel arma contra hoſtem ferre jubeantur, uti olim cives romani.

§. 184.

Optimo conferendi modo.

Quia felicitati omnium in civitate conſulendum eſt ex æquo, etiam in conferendis illis, quæ ſaluti publicæ debentur (§ 134), & operæ quoque æquabiliter ſunt conferendæ (§. 183); optimus autem modus cæteris eſt præferendus (§. 133): aliter ſtatui nequit, quam *optimum quoque operas ad ſalutem publicam conferendi modum in quovis operarum genere eſſe præferendum.*

§. 185.

Vt eas potiores præſtent peritiſſimi ſumma fide.

Quandoquidem optimus in quovis operarum genere modus in iis eligendus eſt, quæ ad ſalutem publicam ſunt conferendæ (§. 184); & is modus procul dubio melior eſt, quo operæ exercentur ab illis, qui in illis ſunt exercitatiſſimi, promtiſſimi peritiſſimique, ut quam optime eas præſtare poſſint, & ut velint id ipſum firmiſſime obligantur & æquabili ratione: *manifeſtum eſt, ad operas publicas majoris momenti præſtandas quam optime adhiberi in illis exercitatiſſimos peritiſſimosque, & ſimul ad eas æquabili ratione ſumma fide præſtandas quam firmiſſime obligatos* (§. 136).

§. 186.

Quinam tales ſint cenſendi.

Quoniam operæ publicæ inſignis momenti non rectius præſtari poſſunt, quam ab his, qui in illis ſunt exercitatiſſimi peritiſſimique, & ſimul ad eas ſumma fide & æquabili ratione præſtandas quam firmiſſime obligantur (§. 185): *evidenter apparet, non melius operas publicas majoris momenti præſtari & conferri poſſe, quam ab illis, qui eas accurate didicerunt, idque ſpeciminibus luculentis comprobatum dederunt, & continenti earum exercitio habitum*

tum adquiſitum conſtanter conſervant, altiusque evehunt ſubinde, jurata fide validiſſimisque cæteris argumentis ad id ipſum obſtricti.

§. 187.

Qui ſemper illis vacare debent, publice alendi ſunt.

Si qui optime præſtare operas publicas majoris momenti debent, eas accurate didiciſſe, & continenti exercitio habitum adquiſitum ſubinde magis perficere, & ad id validiſſime obligati eſſe debent (§. 186): *neceſſe eſt, ut hi neglectis privatis negotiis, publicis ſemper vacent, & in illis quam expertiſſimi evadant; ideoque ſalariis & ſtipendiis publicis decenter ſuſtententur beenturque.*

In hunc finem alitur miles perpetuus & exercitus cum ſuis præfectis & ducibus, ut, quando illis utendum ad defenſionem civitatis, præſto ſint, qui rerum bellicarum habitu pollent, & expertiſſimi ſint in illius exercitio, duro perſæpe & diuturno. Neque minus pacis tempore ex ærario publico aluntur, qui variis publicis operis, modo majoris, modo minoris momenti, præſint & quam optime fungantur.

§. 188.

Num quis ad eas cogi poſſit?

Quisquis quam optime fungi poteſt operis magni momenti publicis, ſed ex rationibus frivolis eas detrectat ſubire, is, urgente præſertim neceſſitate, & deficiente alio, qui eas ſponte ſuſcipiat, compelli argumentis poteſt ad eas recipiendas, dum a cæteris, quantum fieri poteſt, indemnis præſtatur. Etenim ad operas publicas, præſertim majoris momenti præſtandas quam optime adhibentur, qui in illis ſunt peritiſſimi exercitatiſſimique, & ad eas ſumma fide peragendas quam firmiſſime obligati (§. 185). Tales vero ſunt, qui eas accurate didicerunt, idque ſpeciminibus luculentis comprobatum dederunt, qui exercitio indefeſſo habitum ſuum conſervarunt, & præ ceteris excoluerunt (§. 186). Qua propter ſi cum neglectu rerum privatarum publicis operantur, æquiſſimum eſt, ut a cæteris, quantum fieri poteſt, honeſto ſalario aut ſtipendio, item honoribus promeritis, indemnes præſtentur,

ſtentur, ad illas eo promtius ſuſcipiendas, & eo fidelius peragendas.

Si vero tantum frivolas obtendunt rationes ad eas a ſe amoliendas, rationibus utique ſolidis & argumentis inconcuſſis convinci de ſuo erga remp. officio debent, ſpe præmiorum propoſita, nec diſſimulato pœnarum metu, ſi eo eſt opus (§. 301 *P. I. Philoſ. pract. univ.* & §. 771. *P. VIII. Jur. nat.*). Quanquam ſemper præſtat id agere, ut lubentes in ſe recipiant illas operas, quam ut vi adacti haud ſatis recte ſuis partibus fungantur.

Dari operas admodum varii generis publicæ rei cauſa ſubeundas, inter omnes conſtat. Harum aliæ ſunt honoratiores, quæ ſcientiis, artibusque liberalibus nituntur abſolvunturque; aliæ ſunt vulgares, quæ potiſſimum motu corporis & manuum miniſterio peraguntur. Poſtremi generis ſunt quoque militum gregariorum operæ in bello præſtandæ. Quæ quia periculoſæ ſunt, haud libenter ſubeuntur, etiamſi ſtipendio aluntur, & arrhis largis inducuntur ad nomen militiæ dandum. Inde interdum neceſſitas poſtulat, ut cogantur ad arma capienda. Poſt Cannenſem cladem, ſervi, obærati, mercenarii ac capitalia auſi militiæ ſacramento adacti ſunt, numero 8 Millium, qui in exemplum juſti militis militarunt, & volones dicti ſunt, quod libertatis ſtudio militiam ſponte amplectebantur. Item exhauſta ſecundo bello punico juventute romana, publice emti ſunt quater & vicies mille ſervi ad propulſandum hoſtium impetum, adactique jurejurando ad ſtrenuam fortemque operam adverſus Poenos navandam. Vid. *Valer. Max. L. VII. c. 6. & Livius Dec. I. Lib. 7.*

§. 189.

De Capitatione. *Loco operarum, aliasque ob cauſas, etiam tributum in capita injungi ſolet, capitationis nomine inſignitum.* Etenim ſi cives ipſi operas publicas malunt per alios æque idoneos præſtari, ne

ipſi

ipſi privatas negligere cogantur, quibus alios haud æque ſufficere poſſunt; hoc illis eſt concedendum ob ſtudium augendæ privatæ rei familiaris, quam itidem curare obligantur (§. 561 *ſeq.* P. *III. Polit.*). Quapropter ſi pluribus commodius ſit, ut viritim nonnihil conferant, quam ut ipſimet illis operis vacent, recte tributum in capita præfertur operis in commune conferendis. Ideoque ob has ſimilesque rationes alias capitationem decerni conveniet.

Perantiquam capitationem recenſet hiſtoria Moſaica, *Exod.* XXX. 13-16 ad tabernaculum ſacrum cum ſuis inſtrumentis conficiendum; qua qualibet dimidium ſiclum conferebat cap. XXXVIII. 21-31. Heſychio ἐπικεφάλαιον, & Germanis Kopfgeld vocatur. Romæ ante Servium Regem, qui cenſum inſtituit, tributum capitis eſt ſolutum, itemque a Tarquinio ſuperbo reſtitutum V. Dion. Hal. L. 5. Tempore docentis Chriſti tributum pro capite ſolvebatur, quod & ipſe pro ſe & Petro ſolvi juſſit. Aliis tributum in agros, aliis in corpora ſeu capita arriſit, aliis utrumque, ut nonnihil in capita ſolveretur, aliqua ratione cenſus vel pro cenſu. Auguſtus imperator, quod in victos ante uſurpabatur & captivos, latius produxit. Nec hominum tantum capita, ſed & animalium nonnunquam ære ſunt redemta *Levit.* XXVII. 26 *ſeqq.* Inter Saracenos vel Turcas capitationis tributum perquam eſt uſitatum; in romano vero imperio illud ſuſtulit Imperator Conſtantinus *l. un. C. de cap. Civ. Cenſibus exim.*

§. 190.

Modus capitationem definiendi ſit æquitati naturali conformis, neque ideo quenquam plus premat, quam alium; habita dignitatis, ſortis & ætatis ratione. Ex æquo enim conſulendum eſt ſingulorum felicitati & fortunæ, cavendumque, ne propter conferenda in publicum alii aliis fiant deterioris conditionis (§. 134), & fugiendi ſunt illi modi, quibus alii magis alii minus premun- *Quomodo capitatio definienda.*

tur (§. 136). Quod cum fiat, quando naturali æquitati tribuenda conformantur: patefcit, etiam in capitatione definienda pro norma habendam effe æquitatem naturalem, neque eadem alios plus quam cæteros effe premendos, habita fortis ætatisque ratione.

Si, quod minimus dare valet, pro rata fumatur, nil oberit, quo minus omnes æquales conferant ratas. Poterunt enim ditiores præterea conferre alia, quæ vires tenuioris fortis excedunt. Prout Ifraëlitæ omnes, viginti annos & amplius natiac ad bellum apti, jubebantur medium ficlum viritim pendere; fed locupletiores jubebantur, feorfum fponte fua conferre, quæ pretiofa habebant. *Exod.* XXXV. 5-21, ne feminis quidem exceptis v. 22 *feqq. ibid.* De Romanis fcribit *C. I. Cæfar L.III. de bell. civ.* Multa generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita fingula fervorum ac liberorum imponebatur tributum. Solvebatur igitur capitis cenfus etiam ab his, qui nullum cenfum, prædium aut peculium habebant. In Syria a 14 annis mafculi, a 12 feminæ usque ad 65 annum tributo capitis obligabantur. *C. 3. ff. de cenf.* Rufticanæ plebis viri tantum pendebant, quantum duæ feminæ; Valentinianus autem & Valens voluere, ut binis ac ternis (tenuioribus) viris, mulieribus autem quaternis, unius pendendi capitis munus injungeretur. *L. 10. Cod. de agric. & cenfit.* Conftantino imperatori gratiæ aguntur, quod 7000 capitum, quartam amplius partem cenfuum, remiferit, vxorum & filiorum adultorum caufa. Rarius non hominum folum, fed & animalium capitatio fuit, *L. fin. C. Theodof. Tit. 20. Lib. XI.* & pro equo, muto, afino, bove, vacca, ovibus, hircis, porcis &c. aliquid pecuniæ a domino pendenda fuit. Chriftiani finguli Turcico imperio fubjecti pro fingulis capitibus aureum hungaricum quotannis folvere perhibentur. Vid. *Klockius de ærario f. n. c. 79. n. 42*, qui plura toto illo capite dabit, & *feq.* 80mo etiam de capitatione annonaria, quæ pro jugerum & capitum, quibus coluntur, numero imponebatur, exponit, quam & jugationem dictam fuiffe docet.

§. 191.

§. 191.

Sapienter in decernendis tributis seu rerum seu personarum causa luxui aliisque vitiis compescendis opera datur. Luxu enim pecunia dilapidatur, eidemque dediti in egestatem aut prorsus in mendicitatem rediguntur (§. 732 *P. VIII. Iur. nat.*). Qui cum in republ. tolerandus non sit (§. 733. *ibid.*): non prohibendus modo, sed & in excessu suo puniendus est (§. 647 *ibid.*). Quam ob rem & eorum luxus, qui non adeo excedunt, cum ut luxus pariter illicitus sit, & vitiosus; in rep. autem curandum sit, ne cives a virtutis tramite ad vitia deflectant, & qui deflectunt, in rectam viam reducantur (§. 456 *ibid.*): cohibendus & is erit, quantum fieri commode potest, idque gravioribus tributis impositis commode fieri posse controversia caret. Qua propter in decernendis rerum personarumque tributis luxui quoque coërcendo recte operam dari, manifestum est. *Vt una cohibeatur luxus &c.*

Variis modis cohiberi luxus civium tributis potest, 1) vectigalibus majoribus impositis mercibus, tantum luxui inservientibus, quam aliis utilibus, necessariisque; 2) in constituendo portorio simili ex causa diverso; 3) ipsis rebus, tantum luxus causa comparatis, tributum injungendo, v. c. equis, carpentis, suppellectili justa copiosiori & pretiosiori, prædiis, ædificiis, fenestris &c. ultra sortem pluribus & pretiosioribus splendidioribusque; vestimentis denique superbientibus, ornamentis, gemmis, conviviis ultra legis præscriptum numero aut pretio ferculorum & personarum excedentibus. 4) Mulctis adversus legum sumtuariarum transgressores statutis, & diligenter exsecutioni datis. Hinc & personis majori luxui deditis major census capitum potest imperari.

§. 192.

Si fieri potest, ut rectores civitatis abundantibus suis cimeliis ornamentisque alienatis aut oppignoratis sumtus extraordinarios fe- *Quando cimelia publi-*

ca prudenter alienentur? *rant, hoc præstabit capitatione subditis imponenda.* Nempe si rectores civitatis opum suarum abundantia sufficere possunt sumtibus extraordinariis, nulla ratio est, cur eos exigant a subditis, quorum opes potius sunt augendæ quam minuendæ (§. 1027 *seqq. P. VIII. Iur. nat.*). Destituuntur igitur jure flagitandi sumtus extraordinarios, quando nulla eos exigit ab illis necessitas (§. 780 *ibid.*). Sed nulla necessitas eos subditis injungit, quando rectores civitatis illis pares esse possunt suis cimeliis ac ornamentis abundantibus alienatis oppignoratisve, quod per se patet. Præstat ergo, & sapientiæ prudentiæque eorum est, ut sumtus extraordinarios ipsi tum ferant, quam ut eos civium imponant capitibus facultatibusve.

Exemplo ejusmodi merito suo commendatur Imperator Romanorum, M. Antoninus Philosophus. Premebatur is angustiis ærarii, in bello Marcomannico exhausti. Fœneratitia pecunia animadvertebat non tam occurri posse his malis, quam incrementa dari. Neque extra ordinem populis nova imperare tributa consultum ducebat. Propterea in foro D. Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, & crystallina & murrhina, vasa etiam regia, & vestem uxoriam sericeam & auratam, quin etiam gemmas, quas multas in repositorio sanctiore Hadriani repererat. Per duos menses hæc venditio celebrata est, tantumque auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex sententia persecutus, postea dederit potestatem emtoribus, ut, si quis vellet emta reddere, atque aurum recipere, sciret licere. Nec molestus ulli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddit. Quod totidem fere verbis enarrat *Jul. Capitolin. in ejus vita cap. 17.* Oppignorationis fere eandem esse rationem, nemo non perspicit; nisi quid usurarum loco sit solvendum, quod in venditione evitatur. Similia de Nerva refert *Dio Cassius Lib. 68 sub initium.* Dantur & in Polonia exempla recentiora.

§. 193.

§. 193.

Non tantum parſimoniæ ſummæ eſt, quæ ex reditibus ordinariis reſtant, in futuros uſus reſervare (§. 162), ideoque ab inani pompa & ſupervacuo ſumtu abhorrere (§. 163); verum quoque inſigne eſt prudentiæ ſummæ documentum rectorum civitatis, ſi œconomia publica ita inſtituatur, ut ordinarii reditus ſumtibus extraordinariis ſimul ſufficiant (§. 167). Præterea præſtat ex abundanti rectorum civitatis patrimonio ſumtus extraordinarios fieri, quam ex ſymbolis ſubditorum inſolitis (§. 192). Denique prudentia quoque jubet cavere, ne nimium pecuniæ in civitate anſam det augendo rerum pretio & caritati annonæ. Quia nimia multitudo cujusque rei facit, ut illa evileſcat (§. 305 *P. IV. Iur. nat.*): nimia quoque pecuniæ copia eius pretium minuet, & rerum cæterarum pretium augebit. Dum pretium rerum & laborum in civitate ita determinandum eſt, ut quilibet eas ſibi comparare poſſit, quibus indiget (§. 424 *P. VIII. Jur. nat.*): *cavendum quoque, ne pecuniæ valor aucto rerum pretio evileſcat.* *Variis* igitur *de cauſis pecunia publica futuris uſibus eſt reſervanda.* *Sitne pecuniæ ſumma futuris reip. uſibus reſervanda?*

§. 194.

Theſaurus publicus vocatur magna pecuniæ copia ſumtibus reip. extraordinariis reſervata. *Quid ſit theſaurus publicus?*

Vti theſaurus privatus illa eſt abundantia opum, quæ reconditur in futuros uſus, & otioſa jacet, ut parata adſit, quando ea eſt utendum: ita quoque theſaurus publicus eam infert ingentem pecuniæ ſummam, quæ in futuros uſus publicos aſſervatur, præſertim ad caſus ſumtusque extraordinarios. Strictius denotare theſaurus quoque ſolet eam pecuniam a quopiam reconditam, cujus dominus non amplius datur, ut nullius jam ſit, ſed inventori cedat, vel uſibus publicis deſtinetur. Sed ea notio hujus loci non eſt, ubi de publico theſauro ſermo eſt, qui cujus ſit, bene conſtat.

§. 195.

Thesauri publ. necessitas & fontes. Quoniam in ærario publico semper parata pecunia esse debet, quantam reip. administratio & defensio requirit cum ad casus ordinarios, tum ad extraordinarios (§. 785. *P. VIII. Jur. nat.*); & pecunia casibus sumtibusque civitatis extraordinariis reservata appellatur thesaurus publicus (§. 194.): manifestum est, *prudenter in civitate prospici thesauro publico, quanto indiget; eique ingeri & inesse debere, tum quæ ex ordinariis reditibus parsimonia comparat, tum quæ pecuniæ valorem diminuerent, si in civium manibus versaretur* (§. 193.), *aliisque usibus publicis impendi possunt.*

Docuit experientia omnis ævi, & docet hodieque, quo plus pecuniæ in civitate habetur, eo majora fieri rerum operarumque pretia; & eo tempore vilissima fuisse illorum pretia, quo pecuniæ inopia erat maxima. Quæ per omnia retro sæcula, quorum memoria pretiorum superest, manifesta deprehenduntur. Nolo jam verba facere de illis locis, ubi pecunia successu temporis pondere pariter ac nota bonitatis decrevit; sed de illis, ubi illius mansit & pondus & nota, propemodum ut olim fuit. V. c. in Anglia sub initium sæculi præteriti parata pecunia aurea & argentea non fuit nisi 4 circiter millionum librarum sterlingicarum. Enimvero, quia quotannis nova procuditur pecunia, per leges nec exportanda, nec conflanda in alios usus, *Davenantius* A. 1660. statuisse paratæ pecuniæ in Anglia potuit 14 milliones. Incrementum pecuniæ annuum fertur postea circiter 164772 librarum esse, ideoque contendit *Andr. Hook* in suo Schediasmate *an Essay on the national Debt*, nunc fere 30 milliones ejus in usu esse. His addit circiter 600 milliones in bonis mobilibus cujuscunque generis & mercimoniis, pecoribusque, & 370 milliones pro bonis immobilibus, quia ærario quotannis inde redeunt 2 milliones, plerumque $\frac{1}{20}$ redituum conficientes. Inde annuos reditus statuit constituere centum milliones, quod quibus fulciat rationibus, ex ipsomet scripto discendum est.

Cæterum aliis quoque usibus publicis impendi thesaurum publi-

blicum posse, facile intelligitur, si consideres, parata pecunia illa juvari posse commercia externa, & societates majores mercatorum propterea initas; emi posse provincias a peregrinis civitatibus, aut ditiones, & loca coloniis & commerciis apta; dari illam fœnebrem posse, hypothecis idoneis in ejus securitatem, aut pignoribus traditis constitutisque sub lege commissoria; dilui & solvi sic posse æs alienum, terris vel reditibus inscriptum, deinceps thesauro addicendis; & quæ sunt alia publicorum commodorum genera, thesauri ope adquirenda, tanquam nervi variarum rerum gerendarum.

§. 196.

Cavendum autem, ne augendo thesauro publico privati, opibus exhausti, ad egestatem redigantur. Curandum enim est, ut civitas abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, & felicitati singulorum affatim prospiciatur, ut quisque suo jure tuto fruatur & immunis sit ab injuria aliorum, & vi hostium externa (§. 9. *P. VIII. Jur nat.*). Enimvero si augendo thesauro publico, vel fisco, ita emungendi sint cives, ut exuantur opibus suis, & ad egestatem redigantur; tantum abest, ut omnium singulorumque felicitati & abundantiæ præsidiorum vitæ consulatur, ut potius illi e diametro adversa fiant, & minuantur eorum opes, quæ augendæ essent (§. 1027. *seq. ibid.*). *Ejusdem limites.*

Intelligere hinc licet, num recte illi calculos ponant, qui putant, optime rectoribus civitatum consultum esse, si ipsorum ærario vel fisco immensus insit thesaurus, & omnis fere rerum gerendarum nervus in ipsorum manibus habeatur. Omnibus enim ad egestatem redactis, sunt, qui opinantur, sic demum securitati rectorum civitatis satis consultum esse, si per egestatem omnes ab ipso dependere cogantur, nec quisquam audere quidquam contra ipsos possit. Enimvero non videntur illi recordari, nemini facilius in mentem venire audaciam summam, quam qui emunctum se rebus omnibus videns, nil habet, quod perdat,

ideo-

ideoque desperabundus extrema subeundo pericula, aut sic ereptum se iri omnibus credit, si pereat, aut meliora sperare posse, si fortuna uteretur secunda, desperatione animos ad ultima experiunda stimulante. Videmus, inquit *Tacitus III. Histor.*, multos principes pecuniis acerbe conquirendis plus invidiæ quam virium sibi addidisse; & plebem pacem exuisse, principum magis avaritia, quam obsequii impatientia. *Annul. IV.*

§. 197.

Ejus caveatur jactura & abusus.

Uti præcavenda est thesauri publici jactura, ita & cavendus illius abusus. Est enim thesaurus publicus necessarius (§. 195.), ideoque & comparandus & conservandus (§. 193). Sed jactura sic subducitur thesaurus publicus rectorum civitatis potestati, ut recuperari nequeat (§. 487. *P. II. Jur. nat.*), saltem amittitur improviso, non sine improvidentiæ culpa (§. 768. *P. I. Phil. pract. univ.*). Cum ergo jactura & amissio thesauri sit malum, id, quatenus facultatum nostrarum usu declinari potest, utique est declinandum (§. 669. *seqq. P. II. Phil. pract. univ.*). Patet ergo, præcavendam esse pro viribus thesauri publici jacturam amissionemque (§. 419. *P. II. Jur. nat.*).

Quia abusus thesauri publici illum non adhibet ad salutem publicam tuendam augendamque, sed potius ad ejus detrimentum aut ruinam, is non est rectus ejus usus (§. 646. *P. I. Theol. nat.*). Sed imperium omne in rectores civitatis ea lege translatum intelligitur, ut non exerceatur, nisi saluti publicæ convenienter, & præcaveatur, ne quid eidem detrimenti afferatur (§. 88. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Quam ob rem abusus thesauri publici qualiscunque evitandus esse intelligetur.

Variis modis fieri potest, ut thesaurus publicus jacturam patiatur, quorum illi, qui nequeunt evitari, imputari nemini possunt, uti si fulmine pereat vel destruatur, aut terræ motu, hiatuve absorbeatur. Reliqui vero, qui evitari & prævideri queunt, utique sunt diligenter prudenterque ac provide declinandi. Cujus-

jusmodi ſunt omnes doli, fraudes, culpæ, furta, peculatus, rapinæ, incendium, & his ſuppares complures. Abuſus vero contingeret, ſi in bella injuſta, luxum, libidines explendas, aliasque res inutiles aut plane noxias inſumeretur.

§. 198.

Incrementa ærarii publici aut fiſci pro theſauro colligendo peti quoque poſſunt ex accidentibus rectorum civitatis. Reditus enim publici vel ſunt ſtati & fixi, vel fortuiti & ab incerto caſu pendentes (§. 126.), ſaltem occaſione officii publice fungendi obvenientes, quorum hi vulgo accidentium nomine veniunt (§. 909. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia ordinariis ſumtibus publicis ſufficere debent reditus ſtati (§. 131.), fortuiti reſervandi ſunt extraordinariis (§. 132.). Sed extraordinariis ſumtibus quoque reſervandi ſunt theſauri (§. 194). Quo circa & incrementa theſauri publici ex accidentibus fortuito reditibus rectorum civitatis petenda eſſe relinquitur. *Reditus fortuiti debentur theſauro.*

§. 199.

Accidentia Rectorum civitatis *jura vel peculia fiſci* (§. 591. *P. VIII. Jur. nat.*) dici poſſunt. Nec obſtat, quo minus eorum alia ſint ſtata, alia fortuita, ſaltem, quatenus fortuita quodammodo ſtatis analoga, & mediocrem ſeu medium admittunt numerum, cui poſſunt æquiparari (§. 909. *P. VIII. Jur. nat.*). *Quid ſint jura & peculia fiſci.*

Ita in Digeſtis & Codice Juris romani Juſtinianeo & ante in Codice Theodoſ. comparent tituli de jure fiſci, ubi quibus ex cauſis fiſco adquiratur, ex inſtitutis illius ævi docetur. Neque abhorret iſta denominatio a re, de qua hic agitur, ſed & in ſimilibus aliis uſurpatur, uti jura ſtolæ, jura judicis vel tribunalis &c. vocari ſolent, quæ & ſportulæ ſalutantur.

§. 200.

Ad jura fiſci pertinent aut prudenter referuntur res, quæ ſunt nullius, ideoque gaudet fiſcus jure occupandi res nullius ſive in civitate ſive *Fiſci ſunt res nullius.*

(*Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. II.*) X extra

extra ullam occurrentes. Etenim si dantur in civitate res, quæ nullius sunt hominis, ad eum nemini jus proprium est (§. 6. *P. II. Jur. nat.*), cujusmodi est dominium, possessio &c (§ 118. & 150. *ibid.*). Est ergo omnium ad eas jus idem & commune, vel sunt in communione omnium, itaque sunt res communes (§. 3. & 4. *ibid.*). Cum igitur imperium & administratio rerum communium & publicarum sit penes rectores civitatis (§. 42. & 60. 107. *P. VIII. Jur. nat.*): res nullius prudenter destinantur, & pertinent veluti quoddam peculium ad rectores civitatis, eorumque accidentia, ideoque ad eorum fiscum & thesaurum publicum (§. 198. & 199).

Quare dum emergunt & occurrunt in civitate res nullius, eas nomine omnium occupandi jure & officio gaudet is, cuius est nomine omnium res communes & thesaurum publicum administrare, ideoque & eas occupare debet (§ 124 *seq. ibid.*). Sed is est rector civitatis, ut modo ostendimus, qui jure fisci gaudet (§. 198. *seq.*). Ideoque ad jura fisci quoque pertinet jus occupandi res nullius in civitate obvias, vel quod idem sonat, fiscus gaudet jure occupandi, & tenetur obligatione occupandi res nullius in civitate utcunque occurrentes.

Si qua in alia civitate dentur res nullius, eas fisci ejusdem civitatis esse, in qua dantur, liquet per modo evicta & §. 224. *P. II. Jur. nat.* Enim vero si extra ullius civitatis ditionem occurrant res nullius, illæ fiunt occupantis civitatis (§. 179), societatis (§. 196. *ibid.*), aut hominis, eas apprehendentis retinentisque in sua potestate, si mobiles sint (§. 181. *seqq.*), vel declarantis voluntatem, se velle eam esse suam, si immobilis est (§. 187. *seqq. ibid.*). Quare & in hoc casu occupatio per universitatem, aut rectorem civitatis publicis sumtibus, aut per aliam societatem publicis auspiciis facta, fisco seu thesauro publico illas res nullius adquiret, nisi quid pacto quodam aliter

ſit ſtatutum, aut communis boni cauſa aliquid juris fiſci privatis occupaturis ſit conceſſum. Poterit quoque lege publica talis adquiſitio fiſco ſoli vindicari.

Pro diverſa conſtitutione & limitatione rerum publicarum ſimplicium, & mixtarum, alii atque alii ſunt rectores civitatum, ideoque & alii atque alii adminiſtratores theſauri publici & fiſci. Quisquis vero theſauri publici curam ſuo jure exercet, is eatenus erit inter rectores civitatis, & jura fiſci exercebit, quatenus eorum eſt compos. Ad quæ jura recte referri res nullius, vel ex eo liquet, quia nemo dicere poteſt, per hoc ſibi fieri injuriam, ideoque facilius omnes hoc admittent, tanquam nemini moleſtum, ut in commune bonum & ad ſumtus extraordinarios conferantur res nullius, quam ſi illæ fierent primi occupantis, & ſymbolæ ab omnibus conferendæ eſſent in theſaurum publicum augendum (§. 164. & 168.).

§. 201.

Variæ res nullius fiſco cedentes.

Quia res nullius prudenter addicuntur theſauro publico, earumque occupatio juribus fiſco tribuitur (§. 200.); & res nullius ſunt alluviones obortæ (§. 358. *P. II. Jur. nat.*), campi in fluminis alveo colluendo exſurgentes (§. 369. *ibid.*); inſulæ in mari natæ (§. 370. *ibid.*), vel natantes & aliæ necdum occupatæ (§. 200.); gemmæ, metalla, & foſſilia reliqua, margaritæ & reliqua *αδεσποτα*, quæ in mari inveniuntur (§. 318. & 326. *P. II. Jur. nat.*); theſauri, quorum dominus non datur (§. 328. & 331. *ibid.*); ſalinæ eodem jure gaudentes ac ſalis fodinæ; aves in aëre, feræ in ſylvis apertis agrisque, piſces in fluviis, & beluæ animantesque in maribus libere circumvagantes (§. 215. 269. 274. 291. *ibid.*); apes ſylveſtres (§. 294. *ibid.*); fluvii, lacus, maria, lumen ſolis, intra civitatis ditionem (§. 382. & 326. *ibid.*), quatenus non ſunt uſus inexhauſti (§. 210. *ibid.*), item ſylvæ & loca inculta: cogitur inde, has res memoratas & jus eas occupandi, v. c. jus aucupii, venandi, piſcandi, fodina-

dinarum, rerum ſponte in terræ viſceribus natarum, cæt. prudenter fiſco & theſauri publici incrementis deſtinari (§. 200.).

Vſum aëris in reſpirando non eſſe inexhauſtum, experientia docuit, niſi cum ſalubri aëre ſubinde permutetur, eique aditus concedatur. Vſum luminis ſolaris non eſſe inexhauſtum, ſi ei aditus præcludatur & luminibus officiatur, eadem loquitur magiſtra. Neque ignotum eſt, uſum aquæ in molendinis agendis, in piſcando, navigando, in puteis, &c. non eſſe inexhauſtum. Non ſtatuimus, has res ubique eſſe fiſco relictas, nec aliis relinqui poſſe, quod experientiæ foret adverſum; ſed ubi id fit & factum eſt, illud prudenter fieri & factum eſſe, prout in civitatibus haud paucis in plerisque enumeratis rebus uſu venit.

§. 202.

Quid ſint caduca? *Caduca* vocantur & hic bona, quæ dominum nuper amiſerunt, nec habent hæredem, qui in ea jure ſuccedat; vel ſunt bona privato domino vel juſto hærede deſtituta (§. 286. *P. III. Polit.*). Brevius vocari ſolent res fiſcales, item bona vacantia, ſeu vacuo nempe domino & hærede privato legitimo. Id, quod contingit, dum inteſtatus moriens nullos relinquit hæredes legitimos, dum teſtamento ſcriptus hæres, vel legatarius aut fideicommiſſarius eſt mortuus, quando hæreditas eſt adeunda, aut dum detrectat adire hæreditatem, vel negligit petitionem ejus, quod ipſi debetur, tempore ſtatuto; vel dum admiſſo crimine ſe reddidit eo indignum, quod ipſi erat deſtinatum.

Recenſet *Calliſtratus L. I. de jure fiſci* varias cauſas, e quibus nuntiatio ad fiſcum fieri ſolet *in ff. 1. de Jure fiſci ſeqq.* v. c. ſi quis, quod tacite relictum eſt, profitetur, ſe capere non poſſe, ſi indignus quis hæres nuntiatur, ſi inteſtatus deceſſit, cui nullus eſt hæres; ſi reus capitalis criminis ſibi mortem conſcivit, ſi vectigal ſolutum non ſit, ſi non vindicata ſit defunctæ uxoris mors per maritum, ſi quis in fraudem civilium munerum bona ſua alienavit; ſi vendidit rem litigioſam &c.

§. 203.

§. 203.

Derelicta & caduca cui debeantur?

Quatenus *res derelictæ* ſunt nullius (§. 251. *P. II. Jur. nat.*); item quarum v. c. avium & ferarum aufugientium poſſeſſio recuperari nequit, ſaltem ſpes recuperandi nulla eſt (§. 264 *ſeq. ibid.*), quando ne internoſci quidem ab aliis poſſunt (§. 268. *ibid.*); & *caducæ*, quarum dominus & hæres nullus ſupereſt (§. 202.): eatenus & hæ in civitate *prudenter theſauro publico vel fiſco vindicantur* (§. 200.), & (§. 1035. *P. VII. Jur. nat. in not.*), æque ac *quæ jure detractus debentur* (§. 404. *P. VIII. Jur. nat.*).

Caduca olim a Romanis fiſco vindicata eſſe & populo, dubio caret. *Vlpianus Tit. 28.* teſtatur, ſi nemo ſit, ad quem bonorum poſſeſſio pertinere poſſit; aut ſi quidam, ſed jus ſuum omiſerit, populo bona deferantur ex lege Julia caducaria. Ex conſtitutione Antonini imperatoris omnia caduca fiſco vindicantur. Et *Cicero Philipp. X. c. 5.* de Antonio ait, eum caducas hæreditates retardaſſe. Huc etiam pertinent prædia nobilium, ducatus & principatus caduci.

§. 204.

Fiſcus etiam dona adquirit, legata & hæreditates.

Prout privatus dona, vel teſtamento hæres ſcriptus vel nuncupatus jure hæreditatem capit (§. 1026. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*): ita & *fiſcus vel theſaurus publicus ſibi inter vivos donata*, item *hæreditatem aut legata ſibi relicta valide adquirit.*

Idem apud Romanos in uſu fuiſſe, uti ſupra, *Calliſtratus* teſtatur, inter cauſas fiſci ſuccedentis referens, ſi princeps eſt hæres inſtitutus, licet teſtamentum vel codicilli ſubrepti fuerint. Delphinatus in Gallia & alia exempla luculenter dicta confirmant.

§. 205.

Item interdum mulctas & bona publicata.

Si mulctæ fiſco ſunt attributæ, aut bona maleficorum omnia, ſaltem ſingularia quædam, in pœnam fiſco vindicantur, fiſci incrementa naſcuntur ex mulctis & bonorum confiſcatione. Mulctæ enim conſiſtunt in ſolutione pecuniæ, vel rerum ei æquiparandarum (§.

590. *P. VIII. Jur. nat*); & confiscatio bona seu omnia seu nonnulla malefico in pœnam adimit, & fisco infert (§ 593. *ibid.*). Vtroque igitur casu fiscum & in eo thesaurum publicum augeri ex multis & confiscatis bonis, controversia caret.

Vsitatior olim erat publicatio bonorum apud Romanos, quam confiscationem postea dixere, ac posteaquam Justinianus eam *Novella Constitutione 134. c. 14.* sustulit, præterquam in crimine læsæ majestatis; & apud Germanos imperator Carolus V. in *ordinat. crimin. art. 218.* Visa illa est durior & in hæredes iniqua. Enimvero si delicta ingravescunt, nec pœnis mitioribus cohiberi possunt, duriores sunt illis dictandæ pœnæ. Neque dici potest, hæredes sectione bonorum puniri, cum tantum sentiant calamitatem ex crimine maleficorum in civitate æque necessariam, ac in civitate Dei, quæ communis boni ratio requirit (§. 594. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ absterrere facinorosos debet, ne eam hæredibus suis per crimina pariant. Vnde illa dici iniqua nequit, quando eam salutis publicæ cura injungit: quemadmodum & mitigari vel remitti gravibus de causis potest, admisso crimine læsæ majestatis, ob quod bona alias in ærarium publicum rediguntur vel publicantur.

§. 206.

Vbi lucrum commercii externi fisco cedat?

Sicubi fructuosissimum commercium externum ærario publico exercetur, ibi quoque ingens illa vis lucri, ex eo oriunda, thesauro publico accedit. Cujus nempe sumtu commercium illud geritur, ejus quoque esse debet lucrum, quod inde percipitur (§ 439. *P. I. Polit.*). Quare si privatis sumtibus exercetur, privatis quoque mercatoribus, eorumque consortibus in conferendis sumtibus, cedit lucrum ex eo redundans; excepto vectigali, portorio & aliis pro indultu commercii ejusque defensione solvendis (§. 440. *ibid.*). Pariter ergo si publici ærarii sumtibus id commercium instituitur & exercetur, eidem quoque & thesauro publico lucrum debebitur, quod alias magnariis mercatura hæc magnifica seu maxima præstat (§. 441. *seq. ibid.*).

Nihil

Nihil eſt naturalius, quam ut, cujus eſt negotii & rei incommodum, ejus quoque ſit commodum, & cujus eſt periculum & damnum, ejus quoque ſit lucrum (§. 432-434. *P. VII. Jur. nat.*). Dantur utique rationes, ob quas mercatura illa magna ſocietatibus mercatorum, lucri cauſa ſua ſponte & opes & operas ſuas ad eam faciendam conferentibus conceditur (§. 443. *P. I. Polit.*). Non deſunt tamen exempla civitatum, ubi publicis regum vel rectorum civitatis ſumtibus mercatura illa eſt facta & fit hodieque. Habet tunc ea hoc commodum, ut illa lucri abundantia ſaluti publicæ cedat, minori civium onere fortius defendi commercium & ampliari poſſit, & theſaurus publicus longe major eſſe poſſit in omnes uſus publicos, quam in contrario caſu. Neque eo minus poteſt mercatoribus mercatura interna, & minutatim diſtrahendas merces exigens ita concedi, ut & ipſi florere in rep. pro modulo ſuo poſſint (§. 440. *ibid.*). Olim reges Aegyptiorum tale exercuerunt commercium, exercent adhuc Magnus Mogul, Sinenſes, Siamenſes inprimis, &c.

§. 207.

Quid huc faciant conjugia & ſucceſſoria pacta?

Itidem conjugiis pactisque ſucceſſoriis ditionum & theſauri publici incrementum inſigne citra ullius injuriam obtineri poteſt, ac debet, quando eorum copia & opportunitas datur. Si conjugium ineatur cum femina, quæ vel jam ſub initium matrimonii ſeu unica eſt hæres, ſeu cohæres ditionum amplarum, vel dein ſucceſſu temporis extinctis hæredibus reliquis, tali ſuccedendi jure potitur: tum utique jure hæreditario in ipſius ſobolem procreatam inſigne id incrementum devolvitur (§. 648. *P. I. Polit.*), tantoque auctior evadit ejus hæredum fiſcus & patrimonium, quanto majus eſt id incrementum ditionum, quod ejus hæreditas marito affert (§. 204.).

Par eſt ratio pactorum ſucceſſoriorum, quocunque nomine compellentur, quibus mutua recipitur ſucceſſio in ditionibus patrimonialibus, extincta familia regnante. Quia, ſi legiti-

gitime ineantur, valida ſunt, & omnino ſervanda (§. 1072. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*), non opus erit, ut plura de illis addamus. Vid. §. 716. *P. I. Polit.*

Quoniam, quod melius eſt, præferendum eſt (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*); atque melius eſt, ut commoda opportunitate & copia conjugiis & pactis ſucceſſoriis augeatur potentia & fiſcus reip. quam ut negligatur hujusmodi occaſio: manifeſtum eſt, operam dandam eſſe, ut huic officio ſatisfiat, & tam conjugia hujusmodi, cæteris paribus, præferantur aliis, tum & ſucceſſio in aliena familia regnante obtineatur (§. 360. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 716. *ſeq. P. I. Polit.*).

Plenæ ſunt hiſtoriæ exemplis ſucceſſionum hujusmodi in hæreditariis ditionibus, provinciis, ducatibus, principatibus, regnis, imperiisque, ut fere, ubicunque quisquam degit, domeſticis vix ſit carituus exemplis, in hiſtoria ſeu antiqua, ſeu recentiori, inprimis ex conjugiis, nuperis aut vetuſtioribus, ſæpe orta ſunt multis ſuccedendi jura in hujusmodi ditiones, quas absque tali matrimonio nunquam adquiſiviſſent. Vnde ſimul ampliata eſt imperii magnitudo, & patrimonium fiſci, ejusque redituum, theſaurique ſcaturigo.

§. 208.

Quid electiones variorum?

Sicubi eliguntur vel reges vel optimates, nobilitandi, magiſtratusve; ibi, cæteris paribus, præferri aut admitti & illi poſſunt, qui fiſcum locupletant augentque patrimonium civitatis. Etenim ſi cætera ſunt paria, pares eſſe debent illæ virtutes animorum regiæ cæteræque, quibus potiſſimum opus eſt in regenda rep. ejusque perficienda ſalute. Quibus revera ita ſe habentibus, ratio præferendi unum vel plures aliis candidatis quærenda erit in bonis ſecundariis, ad remp. ex electione redituris, propter præmiſſa haud vana. Præſcribi ergo aut uſu recipi poſſunt leges electionis, ad quas ſi facta fuerit electio, *legitima* dicatur (§. 309. P. VIII.

VIII. Jur. nat.). Quod pari jure tum fit, ac in aliis ſimilibus cauſis electio ſorti eſt commiſſa, & committitur paſſim hodieque in eligendo magiſtratu (§. 721. *ſeq.* & 732. *P. I. Polit.*). Jam obſcurum eſſe nequit, ejusmodi ſecundarium bonum quoque dari in augendo reip. theſauro patrimonioque, ut, cæteris paribus, præferri is poſſit, qui plurimum ei eſt profuturus (§. 891. *P. VIII. Jur. nat.*).

Diximus alibi de legibus novos creandi nobiles venetos, ac de ſorte apoſtolica, clerica & civili, de dignitatibus & titulis conferendis. Hic tantum reſtat, ut moneamus, de electionibus imperatorum & regum recentioribus conſulendas eſſe hiſtorias imperii romano-germanici, & regni poloni, in quibus ſatis exemplorum habebitur, ad ea, quæ hic præcepimus, illuſtranda confirmandaque. Vix opus eſt, ut addamus, ſi neglectis primariis electionum requiſitis, virtutibus, ſecundariorum duntaxat publicorum privatorumque commodorum ratio habeatur, male conſuli publicæ ſaluti.

SECTIONIS I.
CAPVT III.
DE
Prudentia per ſe exercendi Jura Majeſtatis ſeu Irenarchiæ.

§. 209.

Quid inferat prudentia exercendi jura majeſtatis.

Quia jura majeſtatis ſunt jura exercendi ſummum imperium, vel quæ pertinent ad ſummi imperii exercitium (§. 207. *P. VIII. Jur. nat.*), & per ſe illa exercet, qui ſuopte ingenio probe in habitus exculto omnia facit, quæ eorum exercitium quam optimum requirit (§. 25.): manifeſtum eſt, *prudentiam per ſe exercendi jura majeſtatis, requirere habitum*

quam optime exercendi summum imperium suomet marte; itaque *sapienter de illo decreta per leges naturæ, quam optime exsequendi* (§. 1), *quatenus fieri propriis viribus potest.* Potest autem illud fieri in rebus majoris momenti, universamque remp. afficientibus in præcipuis partibus salutis ejusdem (§. 883 *P. VIII. Jur. nat.*), quatenus non obstant officia potiora, viriumque defectus.

§. 210.

Quid in simplicibus rerump. formis?

Eo quod summum imperium in monarchia est penes monarcham; in aristocratia penes optimates; & in democratia penes universum populum (131, 133 & 135 *P. VIII. Jur. nat.*): liquet, *in democratia per omnem populum; in aristocratia per optimates; & in monarchia per ipsummet monarcham jura majestatis proprio marte quam optime esse exsecutioni danda, si prudenter illa per se exercere velint* (§. 209). Liquet porro indidem, *omnia majestatis jura propriis eorum viribus quam optime esse exsequenda, quibus in summo imperio physice non obest virium defectus, nec moraliter gravioris officii necessitas.*

§. 211.

Contraria optimi exercitii.

Nequit quam optime exerceri latius dictum summum imperium, si vel partes ejus quædam negliguntur, aut perduntur, vel in eorum exercitio id deterius fit, quod melius fieri poterat debebatque. Si enim quædam jura majestatis negliguntur, non omnia quam optime exercentur (§. 5), dum quædam plane non exercentur, quæ exerceri debebant vi officii (§. 224 *P. I. Phil. pract. univ.*), e quo nascuntur (§. 156-159. *ibid.*). Qui jus officii peragendi causa perdit vel amittit, is eo deinceps caret, neque amplius par est isti officio peragendo; id quod per se patet (§. 4). Qui deterius exercet id, quod melius exercere poterat debebatque, is illud nequaquam quam optime exercet. Qua propter & summum imperium nequit quam optime exercere, quisquis vel

vel quædam jura majestatis negligit, cum uti illis deberet, vel ea prorsus amittit, vel in eorum exercitio deterius agit, quæ melius agi poterant debebantque (§. 19).

§. 212.

Cavet prudentia, quæ optimo exercitio obsunt.

Prudenter jura majestatis per se exerciturus, solicite cavere debet, ne qua perdat jura majestatis, & ne qua vel negligat, vel deterius, quam par est, exsequatur. Etenim prudenter jura majestatis per se exerciturus suo marte & habitu quam optime exercere debet summum imperium, & sapienter de illo legibus naturæ decreta quam optime exsequi (§. 209). Nequit autem illud fieri, si vel quædam summi imperii partes negliguntur, vel perduntur, vel deterius administrantur, quam fieri poterat debebatque (§. 211). Cogitur inde manifesto id, quod hic est propositum præceptumque.

Dividi possunt, quæ in prudenti exercitio jurium majestatis attendenda sunt, in evitationem damnorum, quæ circa eorum exercitium oriri possunt ac solent, & in persecutionem commodorum, quotquot possunt inde obtineri (§. 4). Illa requirit cautionem seu cautelas in eorum exercitio adhibendas, de quibus hic agimus. Cavenda nempe est jactura seu amissio jurium; cavendus non-usus tanquam usus neglectus, qui æquiparari potest amissioni ad tempus illud factæ. Qui enim non utitur suis rebus, non aliter se gerit, ac si eas non haberet, vel amisisset. Qui vero iisdem abutitur, vel male prorsus iisdem utitur, vel saltem non tam bene ac posset deberetque. De venandis commodis posthæc erit dicendi locus.

§. 213.

Quomodo jura majestatis perdantur.

Perduntur jura majestatis, dum in alium transeunt quomodocunque, itaque desinunt esse in ejus potestate, cujus ante fuerunt, & incipiunt esse in alterius potestate, cujus antea non fuerunt. Quod fieri potest partim *volente* ipsorum *possessore*, partim *nolente*, saltem invito. Priori casu per contemtum pa-

ctum aut contractum imprudenter initum, consensu sive expresso sive tacito. Posteriori, si vel vi majori ipsi eripiantur, vel dolo fraudibusque non mature occurrat, & illa sibi arrogantibus non tempestive obstet.

Affinis est perditioni *amissio*, nunc tamen utriusque discrimen patescit, quale est inter Germanorum um es kommen & verlieren. Amittitur res ab ignaro & invito, v. c. si eo, qui illam habet, non advertente in humum cadit, eoque abeunte ibidem relinquitur, vel latius, si excidit ex ejus potestate (§. 419 *P. II. Jur. nat.*). Sed perditur etiam dando, dum a volente derelinquitur, jactatur vel alienatur, aleæ committitur & sortilegio, vel dum bene gnaro vi extorquetur. Esavus perdebat jus primogenituræ, contemnendo illud & sponte vendendo fratri. Perdebat etiam præsagitionem prosperitatis paternam, sed nolens & invitus *Genes.* XXVII. 34 - 36. Perduntur res etiam alea, prodigentia, rapinis, latrociniis furtisque. Sequi potest ex amissione rei jactura, quando absque voluntate ejus, qui illam habuerat, potestati ita subducitur, ut eam nunquam recuperare possit (§. 487 *P. II. Jur. nat.*); idem quoque ex perditione contingere potest, etiamsi non sine voluntate sed consulto. Desinit & amissione & perditione esse ejus, qui illam habuit, potestas de ea pro lubitu statuendi, sed perditione transit in alium; jactura potest etiam fieri res nullius, vel interire. Proprie loquendo jura majestatis non fiunt res nullius, nec intereundo pereunt.

§. 214.

Cavenda imprudentia ea alienandi. *Prudenter per se exerciturus jura majestatis, solicite cavere debet, ne quo suo consensu seu expresso seu tacito ea in alium transire patiatur.* Solicite quippe cavere debet, ne qua perdat jura majestatis (§. 212). Perdit autem illa lubens volensque, si consensu ejus vel expresso vel tacito desinant esse in ipsius potestate, & incipiant redigi in potestatem alterius (§. 213). Solicite

licite igitur ipsi cavendum est, ne quo vilipendio aut contemtu eorum indulgeat aut conniveat illis, qui ea sibi arrogant & usurpant, & ne quo pacto vel contractu imprudenti ea aliis cedat & alienet.

§. 215.

In eadem hypothesi cavendum quoque est, quantum fieri potest, ne qua vi, aut fraude, neque metu, dolo, autarchæ jura majestatis eripiantur. Evincitur illud eodem modo, ac in §. 214 factum est, accedente autarchæ consensu. Hic enim ejus dissensus adest seu expressus, seu tacitus. Licet vero sic per injuriam ipsi quædam jura majestatis subducantur; quatenus tamen resistere & occurrere vi & fraudibus potest, eatenus ad præstandum, quidquid in viribus est, obligatur. Ideoque prudenter non ageret, si vim vi arcere & repellere negligeret; vel imprudenter metu dolove se induci patiatur ad cedenda aliis illa jura, quæ ipsis non debentur, quamvis id faciat invitus.

Magna opus est prudentia, ad prævidendas, detegendas, prævertendasque eorum machinationes, qui vi, dolis, conspirationibus conjurationibusque id moliuntur, ut jura majestatis vel quædam vel omnia eripiant justis possessoribus, eaque sibi arrogent, & usurpent, quamdiu possunt, more Cromvelli similiumque aliorum usurpatorum & invasorum.

§. 216.

Negligit jura majestatis, qui illis socorditer non utitur, cum uti deberet salutis publicæ causa. Vti enim diligentia est commissio, vel habitus committendi omnes eas actiones, quæ consequendi finis causa edendæ sunt: ita negligentia est defectus diligentiæ, vel habitus omittendi actiones propter certum finem edendas. Vnde fluit neglectus, seu ipsa omissio frequens earum actionum, non usui facultatum cognoscendi & agendi imputanda (§. 750 *P. I. Philos. pract. univ.*). Duplici

Quomodo jura majestatis negligantur.

igitur modo negliguntur jura majeſtatis, nempe non uſu facultatum intellectus, ſeu inſcitia vel ignorantia, ſeu oblivione; & non uſu facultatum agendi, ſeu ignavia, otio, deliciis & libidinibus indulgente.

§. 217.

Non eſt negligendus in illis uſus intellectus.

Prudenter exerciturus jura majeſtatis per ſeſe, nec ignorare illa debet, nec eorum oblivisci, dum eorum uſus eſt conſultus. Nimirum prudenter exerciturus ſuopte marte jura majeſtatis, nequaquam ille debet negligere (§. 212). Negligit vero illa, dum ſocorditer iis non utitur, quando ſalus publica eorum uſum requirit; quod toties fit, quoties non utitur facultatibus cognoſcendi & intelligendi, itaque vel laborat ignorantia & inſcitia, qua non didicit nec novit, quid ad illa pertineat, & quomodo ſint tractanda; vel oblivione, qua quæ didicit quidem, paſſus eſt e memoria elabi, ut eorum jam ſit immemor (§. 216). Nihil ergo horum eſt admittendum, quando eorum uſus eſt neceſſarius atque conſultus, ab eo, qui illa prudenter exercere cupit.

Scilicet non eſt expers culpæ autarcha, quando vel ignorat jura & officia majeſtatis, vel eorum immemor eſt, cum ſalus publica eorum uſum requirit. Poterat enim & ignorantia liberari & oblivione, modo ſuis non defuiſſet partibus. Prudentia igitur autarchæ, ſolicite culpam omnem evitare ſtudet, & ignorantia inſcitiaque jurium majeſtatis ſe liberando, & eorum oblivione, circumſpecte cavens, ne quid ſalutare omittatur in rep. gubernanda (§. 5). Non eſt igitur ad neglectum jurium majeſtatis referendum, quando ſapientiæ ratio habenda dictat, ſaluti publicæ convenientius fore, ſi nunc uſu quodam jurium majeſtatis abſtineatur. V. g. ſi nunc non ſumatur ultimum ſupplicium, ab eo, qui id ſubire propter ſcelus admiſſum deberet, ſed meritorum priſtinorum cauſa, vel & futurorum, quæ ſperari ab alio nequeunt, ſeu differatur ſeu remittatur.

§. 218.

§. 218.

Neque autarchæ est otio, ignaviæ, deliciis, libidinibus vel in debitis aliis vacandum, cum jura majestatis publicæ salutis ergo sunt exercenda. Negligendum enim non est eorum exercitium, cum id saluti publicæ debetur (§. 212). Sed negligitur illud non usu facultatum agendi & liberæ voluntatis, dum indulgetur ignaviæ, otio, deliciis libidinibusque (§. 216). Autarchæ igitur nunquam vacandum est ignaviæ socordiæque cuicunque, dum salus publica exercere jubet jura majestatis. Neque ob eandem rationem postponenda sunt exercitia jurium majestatis gravioris momenti, cæteris minoris momenti, præsertim si periculum sit in mora. *Neque usus voluntatis.*

Prostant exempla eorum, qui suis indulgendo conviviis, dedendo se crapulæ, ludis, ludicrisque spectaculis, nimiis venationibus, actionibusque effeminatis, seria in crastinum distulere, vel vix unquam attigere exercenda jura majestatis, socorditer eorum permittendo suis libertis, familiaribus, ministris primiceriis, concubinis, pellicibus, reginis, variisque modis sæpe omnia perdidere suæ majestatis jura ipsamque interdum vitam & libertatem. Qui sic periere, vel miseri facti sunt, aut deterioris longe conditionis, ac aliis fuissent, & famam quoque seu malam meruere seu infamiam: illi merito eatenus considerandi sunt, ut ea diligenter caveantur evitenturque, quibus ipsi incidere in hujusmodi labyrinthum lernamque malorum. Constat simul inde momentum regulæ, quam hic suppeditamus.

§. 219.

Vti usus jurium majestatis deliberato animo in salute publica procuranda, tuenda & augenda est conspicuus (§. 809 P. VIII. Jur. Nat.): ita *abusus eorum consulto plerumque in salutis publicæ detrimentum vel eversionem prorsus comparatur* (§. 646 P. I. Theol. nat.). Repugnat igitur abusus jurium majestatis saluti publicæ vel universæ, vel cuidam ejus parti. Dum abusus con- *Quid sit abusus jurium majestatis, & quotuplex.*

trarius

trarius eſt ſaluti publicæ, is vel tendit *ad autarchæ*, vel *ad aliorum*, nil tate merentium, *commoda privata*, *cum* detrimento ſalutis publicæ unice provehenda.

Abuſus ſemper procreat malum, illi bono oppoſitum, quod uſus debebat curare & præſtare. Iam imperium publicum ita exerceri debet, ut bonum publicum, vel ſalus publica, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809. *P. VIII. Jur. nat.*), & lex naturæ dat jus ad omnia ea, ſine quibus ſatisfieri nequit obligationi naturali (§. 159 *P. I. Phil. pract. univ.*), inde imperium civile vel ſummum imperium exerceri nequit ſine uſu jurium majeſtatis (810 *P. VIII. Jur. nat.*). Quisquis ergo contra ſalutem publicam adhibet jura majeſtatis, is iis abutitur, ſive ex parte tantum iis deroget, quæ ad illam pertinent, ſive omnem & totam eat everſum. Quod fit, ſi loco publici boni, & in illius detrimentum, privata tantum quærat bona, vel ſua vel aliorum, quibus nimium favet.

§. 220.

Non ſunt jura majeſtatis vertenda contra ſalutem publicam.

Prudenter exerciturus jura majeſtatis autarcha, ne ex parte quidem ſeu quadam tenus, multo minus omnino exercere debet jura majeſtatis contra publicam ſalutem. Vtroque enim caſu abutitur juribus majeſtatis, ibi quibusdam, hic omnibus (§. 219), & male imperium exercet (§. 85 *P. VIII. Iur. nat.*). Sed utrumque jam eſt nefas, ſi tantum quidquam deterius in eorum exercitio fiat, quod melius fieri poterat atque debebat (§. 211 *ſeq.*). Multo majus ergo eſt nefas, ſi plane contra ſalutem publicam vel quandam vel omnem exerceantur.

Quomodo id contingat, non indiget operoſa explicatione. Ecquis enim non intelligit, contra ſalutem publicam adhiberi jus vitæ & necis, ſi pro libidine innocentes ad ſupplicium trahantur, ad inſtar Ioannis Baptiſtæ; multo magis ſi contra multorum vitam injuria graſſetur ad inſtar latronum, vel truculenta vox audiatur, utinam omnium una cervix? Omnium maxime

me id contingit, quando nec fama, nec bona, nec vita civium ulla gaudent ſecuritate, ſed potius quotidie periclitantur, aut ſummo potius diſcrimini continenter ſubſunt. Conſulantur, quæ de recto & malo regimine habetur §. 84. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*

§. 221.

Nec privata ſalus præferenda publicæ ſaluti.

Idem nec ſuam ſuorumque tantum, nec aliorum privatam ſalutem curare debet cum diſpendio publicæ ſalutis, ſi prudenter exercere vult jura majeſtatis. Si enim privatam rem ſuam aliorumve colit cum diſpendio ſalutis publicæ, abutitur juribus majeſtatis (§. 219), nec eſt niſi pſeudopoliticus (§. 24 *P. I. Polit.*). Sed juribus majeſtatis nullo modo eſt abutendum (§. 212), neque in univerſam illam evertendam, neque in eam duntaxat diminuendam (§. 220). Nunquam igitur jura majeſtatis ad ſalutis publicæ vel everſionem vel diminutionem applicanda ſunt, ad provehendam cum illius diſpendio rem privatam ſuam aliorumve.

§. 222.

Jura majeſtatis quam optime ſunt exercenda.

Quia prudenter exerciturus jura majeſtatis cavere debet, ne qua deterius exerceat, quæ melius exerceri poterant debebantque (§. 211 *ſeq.*): *autarchæ omnis danda eſt opera, ut jura majeſtatis ſingula quam optime exerceat;* ideoque in eorum exercitio laudatiſſimos autarchas, æmuletur, ipſumque imitetur Deum, autarcham ſummum, quantum datur (737 *P. I. Polit.*).

§. 223.

Difficultas quam optime regnandi.

Admodum difficile eſt, ſummum imperium, omniaque majeſtatis jura, vel tantum eatenus quam optime exercere, quatenus ab hominibus fieri poteſt. Etenim ſi, quam optime fieri ab homine poteſt, omnia majeſtatis jura ſunt exercenda, omnis navanda

eſt opera autarchæ, ut quam laudatiſſimos autarchas æmuletur, ipſumque ſummum autarcham imitetur, quantum datur (§. 222). Cavendumque eſt ſolicite, non ſolum ne qua perdat jura majeſtatis, vel negligat, & in abuſum vertat, verum quoque ne qua deterius exſequatur, quam fieri poterat debebatque (§. 211 *ſeq.*). Enim vero quot quantæque virtutes & theoreticæ & practicæ, eæque regiæ & ſummæ ad hoc requirantur, ut unumquodque jus majeſtatis ita exerceatur, intelligi ex antecedentibus ſatis ſuperque poteſt. Quamque difficile ſit, ut ſingulæ ſummæ virtutes & poſſideantur, & ſemper quam optime exerceantur, id vel ex ea difficultate quilibet quadamtenus æſtimare valet, qua quisque res ſuas privatas, ſive ſuæ familiæ, ſive ſuæ unius perſonæ, quam optime curare, omnesque cavere culpas in actionibus ſuis debet. Iam quanto difficilius ſit, curare res civitatis, quantacunque illa ſit, omniumque, qui in illa degunt, ſalutem in omnibus ita ob oculos habere, ne ab ullo aberretur, quam res unius tantum hominis, id vel rudiſſimo cuique non poteſt eſſe omnino impervium. Dubitare igitur de aſſerti hujus evidentia nemo poterit, quantumvis fuerit rudis, multoque minus quisquam eruditus mentis compos.

§. 224.

De gradibus abuſus jurium majeſtatis.

Abuſus ſummi imperii vel poteſt eſſe modicus; vel extremus & cum interitu ſalutis publicæ conjunctus. Omnis enim abuſus jurium majeſtatis contrarius eſt publicæ ſaluti, vergitque conſulto & aperte vel ad illius detrimentum duntaxat, vel prorſus ad illius everſionem, (§. 219). Si abuſus tantum tendit ad ſalutis publicæ detrimentum, is dici poteſt modicus. Si vero tendit plane & aperte ad illius everſionem, h. e. omnis ſaltem præcipuæ ſalutis interitum perniciemque, is dicetur extremus.

Conſtat

Conſtat igitur, abuſum ſummi imperii vel modicum eſſe vel extremum.

Salutem publicam diverſis admodum gradibus gaudere, oſtenſum eſt *P. I. Polit. cap. I.* (§. 57 *ſeqq.*). Sive reſpicias bona civium interna, ſive externa, quorum illa ſunt primaria, hæc ſecundaria (§. 37 *ibid.*), item bonorum multitudinem & magnitudinem, eorumque conſenſum (§. 58 *ibid.*). Primaria conſiſtebat in vera civium felicitate, nonniſi virtutibus omnis generis conſequenda (§. 39 *ſeq. ibid.*). In ſecundaria præcipua ſunt quoad corpus vita & ſanitas, quoad fortunam vitæ neceſſitas, tranquillitas ſecuritasque. His corruentibus labefactatur & evertitur ſalus publica civitatis.

§. 225.

Extremus ſummi imperii abuſus conſulto tendit in primaria ſalute ad everſionem vel oppreſſionem veræ pietatis & religionis, & introductionem omnis impietatis & irreligionis, tandem & ſummæ, ſeu atheiſmi, contra officia erga Deum; & in quamlibet vel atrociſſimam injuriam, erga cives & exteros, contra officia erga alios homines. Etenim extremus imperii ſummi abuſus tendit aperte ad ſalutis publicæ everſionem (§. 224). Sed ſalus publica primaria abſolvitur civium felicitate & beatitudine, quanta cadere in cives conjunctis viribus eam quærentes poteſt (§. 39 *P. I. Polit.*), quæ non niſi virtutibus quibuscunque præcipuis maxime obtineri poteſt (§. 40 *ibid.*). Præcipuæ erga Deum virtutes ſunt ſcientia ejus & pietas, & erga alios homines juſtitia (§. 9. *ſeq.* & 164 *P. III. Polit.*). Proinde quoad officia erga Deum extremus imperii abuſus everſionem veræ pietatis & religionis, & inductionem omnis impietatis & irreligionis; quoad officia autem erga alios injuſtitiam crudelem & injuriam vel atrociſſimam in cives pariter atque exteros parit, tueturque. E quibus ſimul everſionem officiorum erga animum ſuum ſequi, experientia atteſtatur.

Extremus abuſus quis ſit in primaria ſalute.

Licet extremus dicatur hic abuſus, id tamen non rigoroſe pro ſolo ſummo gradu, qui dari poteſt, ſed ſimul pro omnibus illi vicinioribus, e quibus vel ultimus ſequi poteſt & interitus civitatis. Habet igitur & hic ſuum campum vel ambitum, in quo plus & majus minusve malorum creſcit, in diverſis partibus & ſpeciebus pietatis juſtitiæque vel injuriæ non tam verbalis, quam realis. Notum eſt, quid ſecutum ſit Tarquinii ſtuprum Lucretiæ illatum, quid facinora Antonini Heliogabuli, Macrini, Didii Iuliani, Galieni, Galli, Maximini aliorumque. Nec ignorantur in Hiſtoria biblica exempla Pharaonis, Iſraëlitas deleturi, idololatriæ regum Iſraëliticorum, Manaſſis regis Iudæorum, perfidiæ erga Chaldæos Iojakimi, 2 Reg. XXIV. 1-4. Zedekiæ *ib. v.* 20 & *cap.* 25. Antiochi Epiphanis, Herodis &c. Recentiorum exemplorum, ipſorumque Chriſtianorum commemoratio poſſet ſupervacua cenſeri.

§. 226.

Quis in ſalute ſecundaria?

Extremus imperii ſummi abuſus in ſalute ſecundaria data opera, vergit ad innocentiam complurium, ſi non plerorumque, vitæ, ſanitatis, libertatis, famæ, bonorum, in primis magnorum & ad vitæ præſidia requiſitorum, privilegiorum communium, tranquillitatis ſecuritatisque civilis ereptionem, vi dolisque conſequendam. Oſtenditur hoc ſimili modo, ac in §. 225: cum hæc ſint præcipua mala externa, quorum conjunctis viribus avertendorum cauſa civitates conduntur incolunturque (§. 44 *P. I. Polit.*), & quæ his contraria ſunt, præcipua ſiſtunt bona, in civitate obtinenda (§. 42. 43. 45 *ibid.*).

Similis eſt conditio & natura ſocietatum minorum ſimplicium & compoſitarum, cujuscunque ſint generis, ut diſſolvantur & intereant, ſi præcipui fines per actiones illi e diametro contrarias evertantur. Nonne diſſolvendum eſt ſanctiſſima ſocietas conjugalis, ſi alter conjux alterius vitæ inſidietur, aut adulterio indulgeat? Num ſubſiſtere poteſt ſocietas mercatoria, ſi in ea dentur, qui lucrum in ſe, damnum in alios devolvunt, cum

ſocii

ſocii ex æquo lucri damnique participes eſſe debeant? Leonina talis ſocietas ipſo jure vel per ſe nulla eſt (§. 1329 *P. IV. Jur. nat.*). Quia ſocietates ſunt contractus (§. 1318. *P. IV. Jur. nat.*), atque pacta (§. 788 *P. III. Jur. nat.*), quæ utique ſervanda ſunt (§. 789 *ibid.*), & qui non ſervat, fidem datam fallit, qui autem contra pactum agit, perfidus eſt (§. 790 *ibid.*). Si pactum mutuas præſtationes continet, alter vero præſtare nolit, quod debet, nec alter ad ſua promiſſa præſtanda obligatur, itaque alterutro a pacto recedente, & alter ab eodem recedere poteſt (§. 827 *ibid.*), nec fidem fallit, aut perfidus fit, qui ideo a pacto diſcedit, quia alter ab eo prior diſceſſit (§. 828 *ibid.*)

§. 227.

In quo modicus imperii ſummi abuſus ſe exſerat?

Modicus ſummi imperii abuſus cum extremus non ſit, & quædam tantum detrimenta ſalutis publicæ pariat (§. 224): præcipua & in primaria & in ſecundaria ſalute publica ſalva relinquit, ſaltem rariſſime ibi delinquit; unde ſi quid contra ſalutem publicam admittit, id vel inconſulto fit, vel in rebus levioris momenti, nec niſi raro, & paucos tantum quadamtenus offendet. V. g. ſi rector civitatis adverſus æquitatem potius & jura imperfecta quidquam deſignet, aut vitiis erga ſe potius, quam erga alios indulgeat; ſi errores & præjudicia foveat quidem, ſed aliis non prodat, nec obtrudat. Si onera quidem ſat gravia imponat, ut vix locupletari cives poſſint, ſed neceſſaria tamen vitæ præſidia relinquat, & tranquillitatem, ſecuritatemque ſervet, vel ubi id fieri non potuit, eam tamen quam primum reſtituere contendit, nec extraordinaria facile injungit.

Cemella contingunt quoque in privati imperii abuſu. V. c. ſi herus ſervum, hera ancillam, maritus uxorem, magiſter tironem, parentes liberos ſuos juſto durius excipiant in caſtigatione promerita, quod nimium eſt, locum ſeparationi ſocietatis

dare poteſt, ſed ſi modicus fuerit abuſus, reprehenſio verbalis, aut pœna ad corrigendum abuſum adhibetur.

§. 228.

Præſtat malum imperium quam nullum.

Præſtat ſub malo regimine vivere, quam in ſtatu naturali depravato. Poſt depravationem generis humani, ſtatus naturalis hominum quoque eſt depravatus, ut in eo ſingulis momentis vel optimorum inter cæteros conditio innumeris deteriorum injuriis; res furtis, ſpoliis, rapinis, dolis; corpus cruciatibus, libidini, ſtupris, adulteriis; libertas raptui diriſſimæque ſervituti; vita denique periculis & cædi truculentæ aut fraudulentæ exponerentur, & virtutes vitiis ſuffocarentur (§. 1. *ſeqq.* P. *VIII. Jur. nat.*). Licet igitur malum regimen ſummum imperium non exerceat ſic, ut faciat, quæ ad ſalutem publicam promovendam requiruntur, ſed quæ eidem adverſantur (§. 85. *ibid.*): impediet tamen alios, vel in civitate vel extra civitatem, eadem cum detrimento ſalutis publicæ quæſituros, quæ ſibi reſervata cupit. Et cum vel unus vel pauci ſint rectores civitatis actu regimen exercentes in quacunque reip. forma, minor tamen erit eorum abuſus imperii vel injuria in alios, quam ſi in ſtatu naturali corrupto, cuicunque libeat, ſimiliter graſſari in quoscunque in promtu foret. Pauciores facilius ſatiari & corrigi, in eodem periculo poſiti arctius inter ſe uniri & ſibi ſuccurrere, itaque illi ſaltem deterreri & repelli melius poſſunt, quam multo plures, validique nefariorum innumeri globi. Quare cum minus mali metuendum ſit in civitate, quam extra eam degentibus; negari nequit, ſatius multo eſſe ſub malo civitatis regimine vivere, quam in depravato, qui nunc eſt, hominum ſtatu naturali.

Subſtitimus tantum in illis malis, quæ ab aliis hominibus proficiſci poſſunt, quia vel hæc ſola ſufficiunt ad id evincendum, quod hic inculcatur. Præter quæ tamen & aliorum habenda eſt

ratio

ratio malorum, quæ ab aliis imminent rebus ſive viventibus, ſive vita deſtitutis. *V.* c. quæ a beſtiis hominibus imminent aut creari poſſunt, calamitates, damna. interitus, in civitate junctis viribus facilius arceantur, quam in ſolitario ſtatu naturali. Quod Moſes quoque Judæis ſuggeſſit *Exod.* XXIII, 28. *ſeq.* Sic multa alia dantur mala, incendia, inundationes, terræ motus, venena, peſtes, morbi, quibus facilius unitis viribus, mutuisque adjumentis in civitate obviam itur quam extra illam.

§. 229.

Tolerandus eſt modicus imperii abuſus.

Modicus imperii ſummi abuſus tolerabilis eſt, & tolerandus. Etenim admodum difficile eſt, ſummum imperium vel tantum eatenus quam optime exercere, quatenus ab hominibus fieri poteſt (§. 223.).Præterea præſtat ſub malo regimine vivere, quam ſub nullo (§.228.). Jam ſummi imperii abuſus modicus tendit tantum ad quædam ſalutis publicæ detrimenta, non autem ad illius interitum (§. 224.); & præcipua ſalutis primariæ & ſecundaria capita ſalva relinquit (§. 227.). Quare cum moraliter tolerabile ſit, quod patienter ferri poteſt, & omnino expelli ex civitate nequit (§. 54. *P. III. Polit.*), & tolerandum civiliter, quod præſtat patienter admittere, quam violenter expellere (*ibid.*): manifeſtum eſt, modicum ſummi imperii abuſum non tantum tolerabilem eſſe, ſed & tolerandum (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*), & (§. 756. *P. I. Jur. nat.*); & (§. 1043. *P. VIII. Jur. nat.*).

Abſentia mali bonum eſt, uti abſentia boni malum (§. 755. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Sed mala fortunæ patienter ferenda ſunt quæ vel averti nequeunt, vel quæ præſtat ſubire quam cum majori periculo averruncare (§. 593. *ibid.*). Patienter igitur ferendæ ſunt res adverſæ vel publicæ ethice, cujusmodi eſt abuſus imperii publici, quando is vel plane averti humanis viribus nequit, ideoque Deus, ut illum pro ſua ſapientia avertat, humillimis precibus eſt compellandus; vel politice, quando pejora ſunt metuenda, ſi vi eſſet retundendus. Quod quando modicus eſt, plane

plane intelligitur non licere; præſertim quando vix datur ulla imperii & reip. fortuna, in qua non ſimilia quandoque emergant, aut uſitentur.

§. 230.

Extremus abuſus eſt intolerandus.

Extremus imperii ſummi abuſus, cæteris paribus, eſt intolerabilis in ſe & intolerandus. Etenim extremus ille abuſus eſt cum interitu ſalutis publicæ conjunctus (§ 224.), tollitque & primariam & ſecundariam ſalutem præcipuam data opera (§. 225. *ſeqq.*). Quare quia cujusque civis eſt, conferre ad eam ſalutem, quidquid poteſt, & impedire ei adverſa, nec pati, ut ab aliis fiant, quæ eidem adverſantur (§ 20. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*): multo magis curæ omnibus & ſingulis civibus eſſe debet, ne patiantur, quæ ei interitum ſunt allatura. Quod vero cives pati non debent, id nec patienter ipſis eſſe ferendum, per ſe patet. Ergo extremus ſummi imperii abuſus hoſtili animo in exitium populi tendens, cæteris non obſtantibus, eſt intolerabilis & intolerandus in ſe (§. 1060. *P. VIII. Jur. nat.*); & quo manifeſtior is eſt abuſus extremus & certior interitus ſalutis publicæ, eo minus ille tolerabilis ac tolerandus (§. 229.).

Forte non ſine quadam ſpecie veritatis dicatur, interitum civitatis pendere a Deo, qui ſi velit, ut intereat resp., interitum utique eſſe tolerandum & ſubeundum. Enim vero non agitur hic de Deo, qui ſummo ſuo imperio non abutitur unquam, nec abuti poteſt; ſed de hominibus, qui rectores ſunt civitatum, ſummo imperio malo regimine abuti poſſunt & interdum ſolent. Is abuſum imperii humani, vel ſummi, lege naturali prohibuit (§. 35. 84. *ſeqq.* & 995. *P. VIII. Jur. nat.*). Hinc & abſurdum eſſet præſumere, populum ideo tranſtuliſſe imperium in alium, ut is eodem in detrimentum ſalutis publicæ abutatur (§. 88. *ibid.*). Quia ſalus publica ſuprema lex eſſe debet omnium civitatis rectorum (§. 86. *ibid.*), iisdem Deo ratio reddenda erit regiminis ſui (*not. ibid.*). Neque is poterit non punire eos,

qui

qui male regendo ipsius vices in civitate dehonestarunt (§. 330. & 337. *P. I. Polit.*). Sunt & hæ pœnæ ejus, quæ interitui dant civitates, & manifesto extremum imperii abusum coërcent. Permittit quidem Deus interdum vel extremum dati a se juris abusum, permittit, ut nihil fiat, quo is inhiberi sapienter potuisset; sed punit utrumque, & punit eo luculentius & severius, quo magis id meruit abusus & neglecti officii magnitudo, ut specimini sint aliis & exemplo.

§. 231.

Etsi modicus imperii summi abusus, quando mutari nequit, tolerandus est (§. 229.); *hoc tamen non officit, quo minus ad illum abrogandum præstantissimis, quæ licent, remediis sit utendum.* Est enim abusus ille per se illicitus (§. 440. *P. I. Philos. pract. univ.*), ut omnis vel rerum suarum abusus obligationi naturali repugnat, ideoque prohibitus est (§. 99. & 170. *P. II. Jur. nat.*). Jam quidem in statu naturali nulli jus est, abusum rerum impediendi, quamdiu, qui rebus suis abutitur, nil facit contra jus alterius (§. 169. *ibid.*). Enimvero in statu civili hoc fit contra jus civitatis ejusque salutem procurandam a rectoribus civitatum (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*), & puniri possunt illi actus vitiosi, unde malum quoddam derivatur in civitatem, etsi iisdem alius non lædatur (§. 653. *ibid.*), propter obligationem optima quæque cæteris præferendi (§. 87. *ibid.*). Est igitur abusus imperii summi in civitate optimis modis præcavendus, & si irrepserit nihilosecius, abrogandus, præstantissimis, quibus uti licet, remediis.

Abrogandusne & modicus abusus?

Pariter civitas impar est omnibus privatorum vitiis tollendis, ideoque nonnulla, quibus alii non læduntur, tolerare potest & debet, uti delicta cogitata quidem, sed quæ non eruperunt in facinora, negligentiam rerum suarum, cultus divini externi &c. attamen ideo non minus obligatur, ad illis, quantum fieri potest, occurrendum remediis moralibus, doctrina solida, argumentis,

exhortationibus e ſuggeſtu ſacro, a judicio cenſorio, bono exemplo &c. Neque Deus negligit peccatis, etſi permiſſis ſapienter, efficaciſſima opponere antidota, ubicunque ſupereſt ſpes nonnullius emendationis, ſaltem aliorum, aut damnandis omnis excuſatio adimenda eſt.

§. 232.

Quibus remediis?

Præſtantiſſima adverſus modicum imperii ſummi abuſum remedia petenda ſunt ex argumentis moralibus, quibus animus rectorum civitatis plane convincatur de turpitudine & noxa illius abuſus. Licet enim a civibus tolerandus ſit, nihilo tamen minus abrogandus eſt, quam optime fieri poteſt (§. 231.). Enimvero ad hoc obtinendum meliora non ſuppetunt remedia, quam quæ animum convincunt de peccato, quod abuſui ineſt, quod & peccanti nocet variis modis, & iis, qui ipſi parent, & quod non tantum in ſe turpe eſt, ſed & exemplo nocet, promeritamque numinis juſtiſſimi pœnam non effugiet, etiamſi impune inter homines admittatur. Ita enim animus de ſuo officio convictus, ſponte ab abuſu ulteriori abſtinebit non ſine inſigni laude & emolumento civili.

Intelligitur inde momentum moralis ſcientiæ, Juris naturæ, Ethicæ, Politicæ, ipſiusque Theologiæ naturalis & religionis, conſcientiæ tribunal inſtaurantis, & ad abuſum ſponte & conſtanter fugiendum impellentis. Conf. *nota* §. 40.

§. 233.

Gradus illius abuſus.

Habet vero & modicus & extremus jurium majeſtatis abuſus multos gradus, partim ex numero jurium, & injuriarum vel abuſuum, partim ex eorum ad ſalutem publicam momento diverſo; partim ex animi, quo admittuntur, ſeu culpæ ſeu conſilii diverſitate; & cognitionis aliorum vel probabilitate tantum vel certitudine. Superfluum videtur, hæc in aliis gradibus ante ſatis dilucidata denuo huc applicare, quod cuilibet in proclivi erit. Numerus & momen-

tum

tum jurium materiam sistunt, in qua & circa quam occupatur abusus (§. 225. *seq.*): animus vero & modus, quo exseritur, ad formam ejusdem propriam; & aliorum cognitio ad judicium de illo recte ferendum requiritur.

§. 234.

De extremo abusu in forma absoluta.

Extremus regiminis abusus in forma reip. absoluta tolerandus quidem est, etsi itidem ac diligentissime opera navanda sit, ut quemadmodum modicus quam optime abrogetur. In se quidem extremus summi imperii abusus tolerandus non est (§. 230.). Sed in forma reip. absoluta occurrit impedimentum, quo modus non tolerandi restringitur. Est enim imperium summum ibi irresistibile (§. 1041. *P. III. Jur. nat.*), ideoque populus rectoribus civitatis, quatenus summum imperium habent, eatenus vi resistere non debet (§. 1042. *ibid.*), sed eisdem potius patienter obedire, etiamsi male imperent (§. 1043. & 1045. *ibid.*) & (§. 228.). Quod uti in modico regiminis abusu non obest, quo minus ad illum abrogandum præstantissimis utendum sit remediis (§. 231.): ita quoque in extremo ejusdem abusu via precibus ad Deum patet, qui mutare potest, quæ homines mutare nequeunt; licet quoque argumentis uti validis ad animum ad meliora flectendum, & de officio convincendum; licet reverenter supplicare, & mutationem demisse expetere (§. 1051. & 1053. *ibid.*).

§. 235.

Applicatio ad formas reip. simplices.

Quia respublicæ simplices sunt formæ, absolutæ & illimitatæ (§. 287. 298. & 311. *seq. P. I. Polit.*), & per abusum summi imperii corruptio earum nascitur: tres dantur dominatus seu corruptæ simplices formæ regiminis (§. 306. *ibid.*), nempe corrupta democratia est ochlocratia (§. 300. *ibid.*); corrupta aristocratia est oligarchia (§. 301. *ibid.*); & corrupta monarchia est tyrannis (§. 302. *seqq. ibid.*). Distinguendus igitur & in his

civitatibus abuſus regiminis extremus & modicus (§. 224). Et quia admodum difficile eſt in qualibet forma regiminis evitare, ne ullus ibi detur abuſus (§. 223.): *non uno eodemque modo de omni abuſu ſummi imperii erit judicandum, nec illi aliter medendum, quam abuſui modico* (§. 231. *ſeqq.*) *& extremo in forma abſoluta* (§. 234.). Quare *innoteſcit, quid in modica vel extrema ochlocratia, oligarchia & tyrannide agere liceat ad eam abrogandam.*

Vſurpari tyrannis interdum ſolet pro quovis crudeli dominatu, vel atrocitate & ſævitia ſummi imperii; & tum eandem non in ſola monarchia, nec in ſolis formis reip. ſimplicibus, ſed & in mixtis limitatisque dari poſſe, indubium eſt. Tum non unus Phalaris tyrannidem exercet, ſed quotquot dantur libidinoſi, crudeles ſævique civitatum rectores. Tum quod tetrum, crudele, nefarium fit, *tyrannicum dicitur*, per vim, per manum opulentam factum, cum *Cicerone de inventione L. I. c. 53.* Liquet jam, quo major & deterior eſt tyrannis, oligarchia & democratia, eo illam propiorem eſſe extremæ peſſimæque. Similes corruptiones e ſimplicibus in mixtas transfundi, absque difficultate perſpici poteſt.

§. 236.

Quid inde ſequutum ſit? Etiamſi ſummo imperio reſiſtendum non eſt (§. 1041. *P. VIII. Jur. nat.*), æque ac eodem abutendum non eſt (§. 995. *ibid.*): *quemadmodum tamen Deus abuſum regiminis permittit & punit* (§. 230. *not.*), *ita quoque permiſiſſe illum & puniviſſe vim extremo abuſui imperii obverſam, ex hiſtoriis conſtat.* Quis neſcit, quid Buſyris, Phalaris, Diocles, Hippias, Archelaus, Ariſtodemus, Hipparchus, Dionyſius, de quo multa habet *Cicero Tuſc. Qu. V. Lib. c. 20-22*, aliique experti ſint vel ſuæ conſcientiæ furiis, vel aliorum odio exagitati? Multosne timere neceſſe eſt eum, a quo multi ſibi metuunt? Jam Thales interrogatus, quid rarum viderit, tyrannum reſpondit ſenem; apud *Plutarchum in Convivio 7. ſub initium.* Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci deſcen-

deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni, ſi *Juvenalem* audimus *Sat.* X, v. 112. Ita *Salluſtius in Or. I. de rep. ord.* Cuncta, inquit, imperia crudelia magis acerba arbitror, quam diuturna; neque quenquam a multis metuendum eſſe, quia ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum atque anceps gerere, quoniam neque adverſus, neque a tergo, neque a lateribus tutus ſis, ſed ſemper in periculo aut metu agites. *Tullius* vero de *Amicitia c. 15.* eam eſſe vitam tyrannorum ait, in qua nulla ſit fides, nulla caritas, nullaque ſtabilis & benevolentiæ poſſit eſſe fiducia, cum omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita ſint, nec ullus ſit amicitiæ locus. Ego, inquit *Plutarchus*, cenſeo, ſceleſtos nullo neque Deo neque homine indigere, qui ſupplicia ipſis imponat; ipſam ad hoc ſufficere ipſorum vitam, totam a pravitate corruptam atque conturbatam. Crudelitatem, ait *Seneca de clem. c. 25.* privatorum ſerviles manus ſub certo crucis periculo ultæ ſunt; tyrannorum gentes populique, & quorum erat malum, & hi, quibus imminebat, exſcindere aggreſſi ſunt. Aliquando perfidiam & impietatem, & quidquid ab illis didicerant, in ipſos exercuerunt.

Sunt, qui putant, naturalem vitæ & bonorum defenſionem ſufficere ad vim vi repellendam, etiamſi a rectoribus civitatum ſolutis proficiſcatur: quia contra ſalutem publicam talia ab ipſis ſuſcipiantur. Sed non perpendunt, poſſe aliquem ſuo juri renuntiare, quod in formis rerump. abſolutis factum eſt, ſalutis publicæ cauſa: uti & a militibus vita periculo exponitur ſalutis publicæ ergo. Nec perpendunt, injuriam tolerare ſeu pati non eſſe contra jus naturæ divinumque, ſed facere, quod eſt in abutentibus ſummo imperio, a nemine probatur, ſed improbatur tacite ſaltem. Nec perpenditur, eſſe hujusmodi abuſum inſtar caſus fortuiti & calamitatis, a Deo ſapienter vel ad pœnam, vel ad emendationem, vel ad præcautionem permiſſæ, deſtinatæque,

cui vel propterea patienter obtemperandum, ut ſcopus illius obtineatur. Non præteriit illud *Plutarchum de ſera numinis vindicta* ſciſcentem; quemadmodum fel hyenæ & phocæ aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad morbos pellendos utile, ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus Deum injicere tyranni alicujus ſævitiam, nec ante id, quod cruciabat, ſuſtuliſſe, quam vitioſos morbo laboraſſet. Tale medicamentum fuiſſe Agrigentinis Phalarin, Marium Romanis, & Sicyoniis Deum diſertis verbis prædixiſſe, flagella incutientibus urbem opus habere. - - - - Itaque Orthagoram, Myronem & Cliſthenem Sicyoniorum laſciviæ finem impoſuiſſe. Cleonæos vero, quibus ea medicina non obtigit, peſſum iviſſe. Quid ergo, ait, abſurdi eſt, ſi quo modo agricola ſpinam non exſcindit, niſi prius ſumto ex ea aſparago, & Afri ſarmentum non ante comburunt, quam Lardanum inde collegerint, ſic Deus nobilis ac regii generis radicem malam atque aſperam non prius abolet, quam debitus ex ea fructus provenerit. Quod & ſacræ literæ confirmant *Jerem.* XLVIII. & *L. 15. 16. 23. ſeqq. Jeſaiæ* XIII. & XIV. *tot.* ac *1 Sam.* VIII. 11. *ſeqq.*

§. 237.

Quando reſiſtere vi liceat?

Vbi limitatum eſt imperium ſummum, & temperata ſic regiminis forma, ut abuſus pactis pœnisque ſit coërcitus; ibi, ſi ſecundum pacta illi obſiſtitur tandem, quando mitius emendari noluit rector civitatis, id jure perfecto fieri apertum eſt. Etenim pactis cum populo initis ſi adſtricti ſunt rectores civitatis, iisdem perfecte obligantur, ad illis obtemperandum, & ſi contra ea peccant conſilio obſtinato, nec argumentis corrigi ſe patiuntur, populus iisdem ſecundum conventa reſiſtere poteſt (§. 1034. 1047. *P. VIII. Iur. nat.*). Præſertim ſi pactis inſit clauſula commiſſoria peremtoriaque (§. 129. *P. II. Polit.*). Quare ſi mitioribus correctionibus nullus relinquitur locus, ſi non deteriora ſed meliora præſto ſint, quando ſuppetunt vires jugo excutiendo pares, aut per ſe aut auxilio conſociatorum: nil oberit, quo minus ordines tandem

renun-

renuntient homagio, ejiciant rectores nescios emendari, & alium eligant vel amplectantur regem aliosve civitatis rectores, & si vi insistatur, eandem vi depellant (§. 230.).

Quid contigerit in Helvetia, Belgio & Prussia, a crucigeris contra pacta & privilegia pessime afflicta, notius est ex historia, quam ut hic esset repetendum. Pontifices maximos, Imperatores, Reges &c. passim ob pactorum officia neglecta & violata remotos memorare longum foret, nec adeo ignotum, ut hic esset enarrandum.

§. 238.

Si tamen majoris periculi evitandi ratio jubeat abstinere ab usu juris pacto quaesiti, aut illum in tempus opportunius transferre, autarchae abutenti regimine obsequi tantisper protestando licet, ut mora forsan animum sanet. Nempe si superior imperat legibus fundamentalibus adversa, subditi quidem non obligantur obedire; si tamen idoneae adsunt rationes, ne jure suo utantur, suadentes, obedire licet (§. 1046. *P. VIII. Jur. nat.*). Hujusmodi vero adsunt rationes, quando ex resistentia violenta majus periculum saluti publicae oriretur, quam si ea non adhibeatur. Quare etsi justae adessent causae regiminis injuriae resistendi, omittenda tamen prudenter esset resistentia, quamdiu verisimile admodum est, eam non fore e re civitatis, sed potius illi bellum & majus periculum creatum iri. Tunc igitur jure resistendi aut plane non utendum erit, aut protestandum, & ejus usus differendus in opportunius tempus (§ 621. *seq. Jur. Gent.*) & (§. 497. 501. & 504. *P. I. Polit.*), ut mora sanet, quod ratio nequit. *Non sine prudenti cautela.*

Receptas hujusmodi protestationes, quando prudenter cessum est violationi pactorum & privilegiorum, innumeras, publica sistunt acta regnorum.

§. 239.

§. 239.

In abutentis resipiscentiam avertenda.

Neque eo secius autarchis resipiscendum erit, & ab abusu abstinendum, ne violatio pactorum ipsis modo & tempore inopinato perniciosa evadat. Etsi enim ordines civitatis prudenter abstinent ab usu juris resistendi abusui, quo pacta violantur, quamdiu rationes idoneæ id ipsum suadent (§. 238); propterea tamen suum jus non perdunt vel abiiciunt, sed ejus usum duntaxat prudenter suspendunt, remedium vel ex mora, vel ex tempore opportuniore præstolaturi. Metuendum igitur semper est, ne, quod aperte non fit, dolo tentetur & perficiatur, aut gravius opportuniori tempore vindicetur (§. 236). Ea propter prudentis autarchæ erit, etiamsi potentia prævaleat, ob facilem rerum commutationem, vicissitudinemque fortunæ, mature resipiscere, & abusum corrigere, antequam inopinato experiatur, quid violatio fidei datæ læsis suggerere, quantamque perniciem parere possit soleatque.

Frangenti fidem fides frangetur eidem, quisquis dixit, a rei veritate & experientiæ documentis non aberravit (§. 827. P. III. Jur. nat.). Et qui in hostem omnia sibi licere statuit, is vi an dolo injuriam vindicet, juxta æstimat, ideoque tantum tutius exsequendi consilii rationes circumspicit, occasionesque venatur & captat, qua sunt capillatæ. Et quis est tantus, cui non a minimo magnum nasci periculum possit? Sufficiant hæc de damnis in exercitio jurium majestatis fugiendis.

§. 240.

Quid requirat usus jurium optimus?

Quia juribus majestatis quam optime est utendum autarchæ (§. 209), ideoque cavendum, ne quo deterius utatur, quam fieri poterat debebatque (§. 212): *discendum aut probe perspiciendum est autarchæ, quis sit optimus juris cujusque usus, & quot modis fieri possit, ut in usu ejus ab eodem aberretur*, & quidquam deterius fiat, ac fieri potuisset debuissetque? *Tum in exercitio pruden-*

prudenter occurrendum eſt cunctis modis utendi deterioribus, & inter meliores optimus ubique ardenter conſtanterque ſectandus.

Pauca hæc præcepta multa habent in receſſu ſinuque ſuo, quæ ſingula vel in iis tantum, quæ ad irenarchiam pertinent, exactius perſequi, multi res eſſet laboris, difficilesque habens explicatus. Quare in generali regula adquieſcere licebit. Qui volet ſingulorum jurium enodationem ſuſcipere, ex omnis ævi hiſtoria illorum jurium uſus abuſusve varios excerpere, in ſua loca digerere; quo gradu prudentiæ vel imprudentiæ hæc vel illa in exercitio illorum cœpta, continuata & abſoluta ſint, quoque exitu acta gaviſa ſint, & cur, tum variis aliorum exemplis diſcet, tum ſuamet meditatione diſputabit adjungetque, quæ ad hiatus ſupplendos, vel ad ſubtiliora & utiliora indaganda pertinebunt.

§. 241.

In primis exercitio jurium majeſtatis potiorum excellere ipſe autarcha ſtudebit. Potiora enim vel majora majeſtatis jura ſunt, quæ ſummum potentiæ & poteſtatis publicæ gradum oſtendunt & complectuntur (§. 77 *P. II. Polit.*); ideoque regalia, ſacra & arcana regiminis, vel & caput, vertex & pupilla majeſtatis dici poſſunt, dum primo & ſummo omnium loco ſunt ponenda. Iam prudentia autarchæ optimum facere debet jurium majeſtatis uſum (§. 240). Quam ob rem in primis optime uti debet juribus majeſtatis præcipuis & eminentioribus. Quod dum fit, quando in eorum exercitio excellit: liquida eſt veritas, autarchæ ſtudendum eſſe, ut inprimis exercitio jurium majeſtatis potiorum excellat.

Excellentiam in potiorum exercitio.

Poſſunt jura majeſtatis plena conſiderari, ut integrum majeſtatis corpus, in quo varia ſunt membra, alia ſuperiora, alia inferiora. Superiora conſtituunt veluti caput, reliqua truncum & artus. In capite præcipua vis ſe exſerit, cætera regens. Analogum datur in potioribus majeſtatis juribus, quæ itidem cæteris

teris præsunt, eaque sub se complectuntur. Nolo ista ulterius prosequi, *dum hoc negari nequit, quædam majestatis jura summam potentiam & potestatem luculenter conspicuam facere*, & quo magis utraque vel alterutra in illis est conspicua, eo illa pupillæ & vertici propiora vel similiora esse.

§. 242.

Summæ potentiæ capita in pace.

Pacis tempore summus potentiæ gradus conspicitur in vi compellendi immorigeros ad obsequium, vel ultimo supplicio, quando aliter corrigi nolunt, & in abundantia divitiarum. Omnis enim civitatis & gentis potentia posita est in vi aliorum vim repellendi, quæ in lacertis hominum multorum & nervo rerum gerendarum continetur (69 *Jur. Gent.*). Sed & pacis tempore ad ubertatem & abundantiam rerum consequendam, & ad tuendam tranquillitatem & immunitatem a læsione aliorum in civitate degentium, v. c furum & latronum, opus est sufficiente hominum copia, ad coërcendos immorigeros, & vi ad obsequium redigendos, quando aliter officio suo vacare nolunt. Quia homines, ad tuendam tranquillitatem, ad extorquendum obsequium, ad inquisitionem in flagitia & exsecutionem sententiarum necessarii, alendi sunt publico ære, æque ac cæteri saluti publicæ cum neglectu rei privatæ operam dantes (§ 904 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Quare patet, opus esse vel pacis tempore vi abundanti ad compescendos immorigeros, quando aliter emendari & cohiberi nequeunt, vel ultimo supplicio; & abundantia divitiarum.

§. 243.

Ejusdem species quædam.

Jus vitæ & necis, jus ultimi supplicii, jus gladii pertinent ad summum potentiæ civilis gradum (§. 834. *P. VIII. Jur. nat.*), æque ac jus defendendi innocentes contra vim & injuriam sceleratorum, & cogendi refractarios nefarios, seditiosque ad obsequium officiumque civile (§. 242). Autarchæ

chæ igitur opera danda eſt, ut hæc jura quam optime exerceat, æque ac in caſu neceſſitatis jus eminens, quod & dominium & imperium eminens complectitur (111. 114. 116. *P. VIII. Jur. nat.*)

Similia & majora cernimus in ſumma Dei potentia. Majora vero fluunt ex illius potentia infinita, quæ omnia ſimul ex nihilo creavit, ſimul conſervat & gubernat, nec unquam ullatenus ceſſat. Sed infinita illa capere finita potentia nequit. Ergo ſubſiſtit in illis, quæ ejus agendi modulum finitum non excedunt. Cujusmodi ſunt jus vitæ necisque, quod Deo pariter eſt, ſed in quo exercendo vices ſuas rectoribus civitatum mandavit. Par ratio eſt juris pœna capitali merentes afficiendi & e medio tollendi, quando melius ſaluti publicæ conſuli nequit. Immorigeros, erga magiſtratum ipſum refractarios, ſeditioſos & rebelles compeſcendi potentia itidem ſumma eſſe debet, cui omnis alia reſiſtentia impar ſit. Dominium eminens, & poteſtatem eminentem ſummæ potentiæ partes eſſe, per ſe liquet. In Irenarchia de vi bellica non eſſe agendum, cuivis patet.

§. 244.

Prudentia utendi jure eminenti.

Prudenter uſurus dominio & imperio eminenti autarcha eo non utetur, niſi urgente ſumma neceſſitate, quando id vel unicum eſt remedium conſulendi publicæ ſaluti, vel ſaltem optimum inter reliqua. Etenim dominium de rebus, & imperium eminens de perſonis in ſumma neceſſitate ea ſtatuit, quæ ſalutis publicæ ratio exigit (§. 111 & 114 *P. VIII. Iur. nat.*). Vtrumque igitur eſt jus extremæ neceſſitatis (§. 117 *ibid.*). Sed ne a Pſeudopoliticis extendatur ad ea, quæ ſaluti publicæ ſunt adverſa, vel ab aliis eo verti, & in fraudem rectorum civitatis prava explicatione eo detorqueri poſſit; autarcha prudenter illo uſurus id agere debet, ut peritiores intelligant, eſſe illius uſum unicum modum conſulendi reip. & promovendi eius ſalutem in caſu præſenti (§. 116 *ibid.*); quia quod optimum eſt, etiam eſt unicum

cæteris omnibus præstans; illud quoque ut unicum esse præferendum in casu necessitatis constat. Hinc efficiendum quoque est, ut in dato casu pateat, optimum hunc esse aut fuisse modum expediendæ publicæ salutis.

Quia jus eminens est jus necessitatis, antequam eo utendum est, constare debet, veram adesse eamque extremam necessitatem, quæ in summum damnum aut perniciem salutis publicæ sit exitura, nisi illi occurratur; & ad illam avertendam non dari nisi unicum modum, saltem nullum eo dari meliorem, quo ipso, quia melius quod est, præferri debet (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*), illum esse unicum, qui præferendus cæteris, relinquitur. Ne excipiatur, optimum non esse unicum, cum plura dentur itidem bona subsidia, e quibus unum eligi possit, præsertim, quia judicium posset esse fallax, quo quoddam optimum statuitur; notandum duco, non agi hic de eo casu, quo dubium est, num sit optimum, quod tale dicitur aut apparet, sed de eo, quo nullum est dubium, quin id sit revera optimum, ideoque id tale esse demonstrari potest. Plura in hoc casu esse possibilia concedo; sed plura esse optima, sic non probatur. Bona autem minora majori, & minus bonum meliori esse præferendum, præsertim in studio publici boni, nullo evincetur argumento. Quod modestiæ & αὐταρκείας ratio in casu singulari commendare potest, ad aliquam vitiositatis speciem declinandam, id hic in re multo majoris momenti & necessitatis extremæ articulo valere nequit.

§. 245.

Cur juris eminentis usus non sit vituperandus?

Accedit, quod damnum privato cuidam aut privatis pluribus ex usu dominii eminentis oriundum, deinde ab omnibus sit restituendum, ut ex æquitate illud omnes pro rata ferant (§. 119 *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ vero vel sic in usu dominii vel imperii eminentis, restitui nequeunt, ea habenda sunt instar calamitatis a Deo sapienter immissæ, quæ evitari nequit, ideoque patienter est subeunda (§. 593 *P. I. Jur. nat.*).

Præ-

Præsertim cum bonum privatum cum neglectu boni publici non sit procurandum (§. 25 *P. VIII. Jur. nat.*), & autores injuriæ irreparabilis, si qua contingit, pœnam promeritam non sint effugituri (§. 573 *ibid.*). *Quare eo minus prudens ejus usus erit negligendus, vel a quoquam vituperandus.*

§. 246.

Prudenter usurus jure vitæ necisque autarcha, bene internoscere debet casus, quando irroganda sit pœna capitalis, & quando salutis publicæ causa intendenda acrius, vel mitiganda, differenda, aut remittenda. Pœnam enim capitalem dicimus, quæ vitam homini adimit, ultimumque continet supplicium (§. 601 *P. VIII. Jur. nat.*). Sed pœnæ capitales non sunt licitæ, nisi quando crimina levioribus poenis coërceri nequeunt (§ 638 *ibid.*), & quando non adsunt rationes singulares, ob quas salutis publicæ causa vel mitigandæ sunt, vel remittendæ, aut suspendendæ (§. 656 & 706 *seqq. ibid.*). Cujusmodi rationes sunt merita præclara in remp. aut ejus rectorem, sive ab ipso, sive a majoribus consanguineisque præstita jam & præstanda in posterum vix melius a quoquam (§. 659 *seqq. ibid.*). Intenduntur & exasperantur pœnæ, quando illis demeritorum & salutis publicæ causa vel aliæ inusitatæ adduntur, vel gradus & cruciatus augentur (§. 610 *ibid.*). Hinc nec nisi prudenter intendendæ sunt pœnæ, ne crudelitati tribui cum quadam specie veritatis possit, quod non debetur nisi publicæ salutis curæ exactiori. *Prudentia circa pœnas capitales.*

Crudelitas scilicet in puniendo modum excedit (§. 1066 *P. I. Iur. nat.*), & graviorem illicite infligit, ubi minor suffecisset (§. 1065 *ibid.*). Hinc citra rem meritumque horrendo cruciatu & damno corpus afficit, ut sanitas periclitetur (§. 685. *P. VII. Jur. nat.*). Ab his igitur alienus esse debet animus autarchæ, ideoque cavere, ne quam ansam suspicionis hujusmodi præbeat.

§. 247.

Eadem ulterius dilucidata.

In exercendo jure vitæ necisque autarcha recte quidem, antequam fiant, delictis criminibusque supplicia promerita assignat, ultimamque controversiæ de supplicio decisionem sibi reservat; inquisitionem vero, applicationem sanctionum pœnalium, sententiam, ejusque confirmationem vicariam, moderationem nonnullam & exsecutionem ejus in casibus liquidis aliis prudenter injungit. Pertinet enim jus puniendi crimina & delicta ad jura majestatis (§ 833 *P. VIII. Jur. nat.*), eaque majora & potiora (§. 241); ideoque ab autarcha pœnæ legibus adiiciendæ ab ipsomet, juris tam privatorum quam reip. violatoribus decernuntur (*cit.* §. 833); & si quis se gravatum sententia pœnali arbitratur, appellatio ejus admittitur concessis modis (§. 549 *ibid.*). Enim vero quia pœnæ in casibus singularibus sunt res odiosæ, prudenter autarcha odium istud evitat, aliisque discussionem sceleris, & sententiam secundum leges ferendam injungit, & quo illi minus errent, confirmationem pœnæ capitalis vicario cuidam, cum quadam consulta mitigatione aut adjunctione, injungit, antequam rursus per alios exsecutioni dentur supplicia decreta.

Sermo hic est de illis, quæ prudentia sæpe inculcat, & usus passim recepta esse attestatur. V. c. in majoribus Prussiæ occidentalis urbibus quando dicasterium causam criminalem excussit, & secundum leges usitatas sententiam tulit, Burggrabio regio acta cum sententia mittuntur, ad confirmationem, si illam penitus approbat, aut quandam vel mitigationem vel additionem. Quia pœna capitalis locum non habet, ubi pœnæ leviores sufficiunt, illa summa religione est exercenda, ideoque diserte cuncta ita sunt determinanda, ne judices facile aberrare possint, & si cui asperior videtur pœna dicta, rector civitatis merito suæ conscientiæ rationem habens sententiam capitalem ad se delatam examinat secundum momenta adducta, num recte lata sit, quo casu eam confirmat (§. 841. *P. VIII. Jur. nat.*), sin minus, remittit

remittit, mitigatque eam, merentibus gratiam faciendo, diſpenſatione & abolitione aut amneſtia adhibita, (§. 844 *ſeqq. ibid.*). Vice verſa & aggravare pœnam poterit, ſi delictum plus mereatur, quam in ſententia habetur.

§. 248.

Compellendorum ad officia civilia refractariorum, & compeſcendorum infrunitorum ac rebellium cauſa, prudenter alendi ſunt tot homines, tot milites eorumque præfecti, quot pares ſunt iisdem capiendis, cuſtodiendis, reprimendis, & inſontibus rectoribusque tuendis. Præſtanda enim eſt civitati ſua tranquillitas, vel vacuitas a metu injuriarum, quæ vel ſingulis civibus vel eorum rectoribus fieri poſſent a ſceleratis improbisve, ut quilibet jure ſuo quiete frui, & quod ipſi ab aliis debetur, tuto conſequi poſſit (§ 3. 4. 11. 13. 15. 17. P. *VIII. Jur. nat.*). Cum univerſis ſit jus cogendi eos, ut ſatisfaciant ſuæ obligationi, ſalutem publicam pro virili provehendi, nec quidquam committendi, quod eidem adverſatur (§ 24. 29 *ibid.*); cogi autem ſine potentia & vi legitima non poſſunt, ſi ſponte parere nolunt, ſed vi obluctentur: opus igitur eſt militibus, tanquam perſonis armatis ad vim vi repellandam deſtinatis (§. 610 *Jur. Gent.*); opus eſt variis aliis hominibus, qui nefariis capiendis, cuſtodiendis, puniendis; inſontibus autem rectoribusque juvandis & tutandis operam navent. His igitur prudenter utendum eſſe liquet.

Quomodo potentia publica prudenter exerceatur?

Milites quidem potiſſimum in bello publico ſunt neceſſarii, ac propterea dicuntur perſonæ, per quas autor belli vim infert alteri, cum quo bellum gerit (§. 610 *Jur. Gent.*). Sed non tantum hoſtes ſalutis publicæ externi dantur, contra quos bellum eſt gerendum (§. 722 *ibid.*), verum etiam interni, ut, rebelles, tumultuantes (§. 1010 & 1013 *ibid.*), & quotquot magiſtratus aliorumque civium jura vi doloque evertere nituntur, & tranquillitatem internam turbant. Taceo caſus, quando re-

ctores

ctores civitatis nimis imperio abutuntur, populum nimis onerant, juribus vero & privilegiis exuere nituntur, ut intolerabili abusui resistendum, & illi rectores ad officium cogendi sint bello civili (§. 1011 *ibid.* & §. 1054 *P. VIII. Jur. nat.*). Possent quidem cives conjunctis viribus, jubente & duce magistratu ita insurgere adversus nefarios, ut ipsimet potentiam exercerent salutis publicæ causa necessariam. Sed ita non tantum sæpe a suis negotiis avocarentur, sed & periculis magnis exponerentur præter necessitatem, & odium, vindicta aliique affectus se facile immiscerent in exsecutione imperatorum. Quæ ut evitentur, satius est tales ali homines, qui extra partium studia positi, ipsorum loco ista gerant, quæ vi sunt gerenda, & his vacare semper possunt ac debent. Sufficit, si in casu necessitatis tum cives ipsis subveniant, quando illi soli impares vi avertendæ forent.

§. 249.

Quid sint satellites, cohors prætoria, & præfectus prætorio?

Satellites vocantur rectorum civitatis corporis custodes, & *satellitium* eorum functio vel munus, scilicet custodia & defensio corporis aditus & accessus ad eum muniens ne qua illi vis aut injuria inferatur. Hinc satellites rectori civitatis interdiu noctuque præsto esse, eum comitari & stipare debent, quorsumcunque se confert, & semper promti esse debent, ad eum undique tutum in sua majestate præstandum adversus vim, insidiasque. Quia *prætorium* vocari solet locus, ubi rector civitatis jus dicit, vel degit, sive palatium sit, sive tabernaculum, sive curia; & satellites ipsi perpetuo præsto esse debent, ubicunque degit: omnis satellitum numerus (copia) *cohors prætoria*, & qui illi præest, *præfectus prætorio* vocatur.

Nostratibus satellites vocantur Trabanten & Leibwächter, qui imperatoribus in bello, & consortibus imperii in forma reip. simplici & mixta itidem tribui solent. Sunt eorum alii pedites, alii equites; quorum illi quiescentem aut euntem, hi equitantem aut iter facientem circumdent, & tueantur.

§. 250.

§. 250.

Prudentia circa satellites.

Cohorte prætoria & satellitibus prudenter eligendis adhibendisque indigent reges, & quibus summa imperii est commissa, non tantum ad defensionem sui summique imperii, sed & ad subita pericula reprimenda. Satellites enim debent esse custodes corporis rectorum civitatis, ideoque omni vi & cura id agere, ut salva & tuta sit eorum vita, salus, libertas, majestas, neque a quoquam vi dolove lædatur (§. 249). Quare oportet, ut non alii eligantur satellites, quam qui valetudine, robore & vigore corporis, animi vero virtutibus necessariis, summa integritate, fide, charitate & diligentia cæteris præstant, ut tuto illis custodia corporis & majestatis credi possit. Summa igitur opus est prudentia ad hæc ante rite exploranda, quam eliguntur, & ad eos sacramento, stipendio lauto aliisque modis convenientibus obligandos, ut custodiam corporis quam optime præstent, nec facile seduci aut declinare ad perfidiam vel conjurationem possint.

Satellitum cohortem pertinere ad præsidia summæ potentiæ, constat ex §.248, quia sunt milites, sive pedites, sive equites (§.249). Docent autem historiæ, conjurasse interdum satellites in regum necem. Quod cum contingere nequeat, si semper inter eos, qui una funguntur custodia, sint, quorum fides est indubia & immota: consultum est, ne unquam tales simul adhibeantur eidem, de quorum fide non omnino constet, ut aliorum fidem revereantur.

Quo magis cavere deberent satellites, ne, quod olim *Curtius L. 9.* dixit: plures a suis, quam ab hostibus interemtos esse, & Augustus ap. *Dionem L. 55.* confirmavit, multo plures ab amicis quam ab hostibus perniciem invenisse, usu veniret: tanto horrendius est ipsorum crimen, quando ipsi a sanctissima fide descifcunt. Sic Ella a Simri 1 *Reg.* XVI. 9. occisus est, Isbozethus

thus a duobus centurionibus 2 *Sam.* IV. 2 *seqq.* Ioas fere similiter 2 *Reg.* XII. 20 *seq.* item Ammon 2 *Chron.* XXXIII. 24. *Esther* II. 21. Profana omitto.

Cæterum uti satellites præcipue ad custodiam & defensionem corporis lecti sunt (§. 249), ita eo ipso simul summum imperium tueri debent, ne qua vi detrimentum quoddam patiatur. Præterea quia interdiu noctuque præsto esse debent, ad rectoris reip. salutem majestatemque omni vi sua illæsam tutamque præstandam (§. *eod.*), omnino proni esse debent, & prudenter applicandi, ad subita quæque pericula avertenda reprimendaque. Levioris vero momenti malis arcendis citra necessitatem non erunt adhibendi, ne a proprio majoris momenti officio avocentur, multo minus illis, quibus impares forent.

§. 251.

Satellites num indigenæ an alienigenæ præstent?

Satellites alienigenæ eo minus poterunt conspirare, quo plus inter indigenas metuendum habent; indigenæ vero, cæteris paribus, eo erunt fideliores, quo minus de sua fide dubitari sentient, & quo magis exteris cupient præferri. Si alienigenæ sunt satellites prætorii, indigenæ ægre ferent, ipsis tantum haberi honoris, tantumque fidei ac emolumenti tribui, & plus quam sibi, idque ipsis invidebunt (§. 250). Id circo eo magis attenti erunt ad eorum facta, ut eos vel levissima suspicione onerare non sint omissuri. Qui vicissim tanto studiosius sibi cavebunt, ne quid causæ reperiant indigenæ eos incusandi, & tanto diligentius obstabunt, ne quo obtentu illi quidpiam novi moliantur, ad ipsos ullatenus suspectos faciendos. Alienigenæ igitur undique metu & invidia pressi, nil attentare audebunt, nisi sua gratia, spe emolumentorum &c. excidere velint, & dirissima subire fata, humanitatem exuendo.

Vicis-

Viciſſim indigenæ ſatellites, cæteris paribus, nil prius habebunt ſuo honore & commodo, ex lautiori ſtipendio, propiore ad rectorem aditu, & præmiis fidei pro ſe ſuisque ſperandis. Quapropter, quanta poterunt, fide & induſtria ſuis fungentur partibus, ne deficientes exteris poſtponantur. Taceo naturalem patriæ patrum amorem exteris deeſſe, qui potius ſuo & ſuorum amore capientur, quam peregrinorum, quorum ſtipendia merent. Vtriusque generis ſi miſceantur, & æmulatione fidei ac præſtantiæ ſe invicem juvabunt perficientque.

Quo magis rectores civitatis ſtudebunt virtutibus, quo minus indulgebunt vitiis, quo rectius omnia legibus ſunt munita, quo diligentius hæ obſervantur, eo tutiores a ſua parte erunt ab inſidiis & metu vis ſibi inferendæ. Ita & ſubditorum & ſatellitum cauſa eo minus habebunt, quod metuant, quo hi ſunt magis virtutibus dediti, & quo melius norunt ſua commoda ſub imperio juſto & æquo percipienda. Si tamen parum tuta ſit civium, conſortium imperii affectantium, fides, alienigenas ſatellites prudentius ali haud infitias ibit quisquam. At ubi prorſus nihil a civibus metuendum eſt, ibi indigenas præponi exteris nemo vituperabit.

§. 252.

Quia cohors prætoria ad corporis cuſtodiam perpetuam ſunt obſtricti (§. 249), nec ab ea deſerenda avocandi, præſertim ad ea, quibus impares eſſent (§. 250): *ad potentiam publicam in minoris momenti negotiis exercendam, aliis opus eſt militibus hominibusve.* *Ratio aliorum militum hominumque*

§. 253.

Milites præſidiarii vocantur, qui loca munita defendendaque cuſtodiunt, itaque cuſtodes & defenſores agunt tranquillitatis ſecuritatisque locorum munitorum. Quia in ſtationi- *Quid ſint milites præſidiarii.*

 bus

bus excubias agunt, dicuntur alias *ſtationarii*. Inde in urbibus vocantur cohortes urbanæ, in oppidis oppidanæ, in caſtris, arcibus & caſtellis, caſtrenſes vel caſtellanæ; uti limitaneæ, quæ in limitibus & propugnaculis collocantur, ut illis præſidio ſint. Præſidia militaria maritimorum litorum & portuum, vocantur cuſtodes oræ maritimæ (Küſtenbewarer). Ita & navibus præſidia dari poſſunt ex nauticis vel claſſiariis militibus.

§. 254.

Quibus uſibus illi ſint adhibendi?

Pacis quoque tempore prudenter adhibendi ſunt milites præſidiarii cum ſuis præfectis, ad arcendos peſte & contagiis infectos; ad excubias agendas diu noctuque, ne intrare aut egredi poſſint fures, latrones, ſcelerati, & quicunque non debent; ad cohibendos tumultus, ferarum impetus, facinoroſorumque globos &c. Dantur enim varia etiam pacis tempore in civitate, quibus adhiberi cohortes prætoriæ nequeunt & impares ſunt (§. 250.), & quibus tamen potentia publica eſt occurrendum, ope militum aliorum (§. 252.). Tales vero ſunt milites præſidiarii (§. 253.). Hi igitur non ſolum præparandi ſunt ad bellum arcendum, ne facile metuendum ſit, ſed & durante pace occupandi ſunt prudenter iis negotiis, in quibus civium loco potentia eſt utendum. Qua propter adhibendi ſunt præſidiis limitum & orarum maritimarum, portuum & propugnaculorum, ad arcendos peſtilentes, contagioſos, ſceleratos, ex aliis civitatibus aufugientes, ad perſequendos furum, latronum, aliorumque facinoroſorum globos, ad reprimendos tumultus, aut ferarum impetus, ad inundationum, incendiorum ſimiliumque caſuum pericula arcenda, ad coërcendam piraticam commercio nautico infeſtam, ad comprimendam aliam quamcunque vim privatam tranquilliati civium adverſam, ad introitum & exitum iis prohibendum, quibus ille eſt negatus, quique fuga pœnam promeritam eludere vellent. Taceo munitiones locorum opportunorum, earumque reparationes,

tiones, præſidia iter facientium magnatum, transportandæ pecuniæ, &c.

§. 255.

Quid ſint apparitores?

Apparitores ſunt miniſtri magiſtratus (Amtsdiener), quorum munus ſeu miniſterium apparitura, functio ejus, apparitio vocatur. Exercet ergo magiſtratus ſuam potentiam publicam in civitate ope apparitorum, & hi quidquid agunt qua tales, agere debent nomine, h. e. juſſu & autoritate, magiſtratus.

Nomen nacti ſunt ab apparendo, quia ſemper magiſtratui partibus ſuis fungenti præſto adeſſe, & ad nutum parati eſſe debent ad ea facienda, quæ ipſis imperantur. Sic *Cicero L. XIII. ad fam. Ep. 54.* Ego, inquit, cum antea ſtudioſe commendabam Marcilium, tum multo nunc ſtudioſius, quod in longa apparitione ſingularem & prope incredibilem cognovi ejus patris fidem, abſtinentiam, modeſtiamque. Et ad *fratrem Q. L. I. Ep. 1.* ſcribit, quos vero ex neceſſariis apparitoribus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte Prætoris appellari ſolent, horum non modo facta, ſed etiam dicta omnia præſtanda nobis ſunt. *De claris Grammat. Suetonius c. 7.* ait, Orbilius apparituram magiſtratibus fecit. Apparitorum princeps der Dienerhauptmann auditur.

§. 256.

Quid ſint lictores, accenſi, commentarienſes.

Qui apparitores inter Romanos faſces magiſtratui præferebant cum ſecuri, ad denotandam potentiam corpus affligendi & vita privandi, dicebantur *lictores*. Iisdem adjuncti ſed faſcibus deſtituti, *accenſi* nominabantur; uti *calatores*, qui vocabant cives ad magiſtratum & comitia; *viatores*, qui convocabant magiſtratus membra; *clavicularii*, qui carceribus includebant cuſtodiendos a cuſtodibus, ideoque & aperiebant carceres & claudebant juſſu magiſtratus; & *commentarienſes*, qui captivis præerant, vel carceris magiſtri.

De Cnejo Octavio *Cicero L. I. Ep. 1. ad fratrem* ſcribit, eum tanta lenitate præfuiſſe, ut primus lictor quieverit, accenſus

 tacue-

tacuerit, & postea, sit lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor, majoraque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quam potestatis. Nunc supplicia & cruciatus infligunt carnifices; lictores tantum vocant & rapiunt ad magistratum, qui mallent non comparere, ac manus & crura colligant, quando necesse est. Lictores nocturni vigilias simul agunt & capiunt grassatores. Ciceronis Libertus Tiro a licio dictos lictores scripsit: Licio enim transverso, quod linium appellabatur, cincti erunt, qui magistratibus præministrabant; Teste *Gellio Noct. Att. L. XII. c. 3.* Nomina germanica passim variant, & hinc omittuntur.

§. 257.

Quid sint exsecutores, præcones, exactores?

Ad extorquendam refractariis solutionem debitorum sententia injunctam, & supplicium dictatum infligendum opus est *exsecutoribus carnificibusque;* ad vendenda publice bona in auctionibus subhastationibusque *præco* requiritur; ad angarias & operas damnatorum publicas, ut par est, peragendas, & nomina præstanda publica, *exactores* sunt adhibendi, qui adigant vel nolentes ad officii sui partes (§. 159.).

Exsecutioni præesse non nusquam jubetur subjudex (**der Unterrichter**), curans, ne quid fiat, quod a sententia exsequenda aberret; carnifex autem (**der Scharfrichter**), cum suis servis pœnas capitales & actus cruciantes doloribus corpus exsequitur, cujusmodi sunt tormenta equulei, fustigatio, cauterium, abscissio membrorum, amputatio capitis, suspendium, forcipes candentes, suffocatio in culeo sub aquis, strangulatio, crurifragium, seu rotæ supplicium &c.

§. 258.

Ubi opus sit apparitoribus, lictoribus exsecutoribusque.

Ubi militibus opus non est ad potentiam publicam in minoris momenti negotiis exercendam, ibi pro diversitate causarum prudenter utendum est suffecturis apparitoribus, lictoribus, exsecutoribusque eorum, quæ magistratus officium requirit, sive ipse autarcha illud exerceat, sive aliorum ope. Nimirum ad publicam potentiam in minoris momenti

menti negotiis exercendam opus est vel militibus ordinariis, vel aliis hominibus (§. 256.). Jam ubicunque vi armata seu arte militari opus non est, ibi utendum est aliis hominibus, cujusmodi sunt apparitores (§. 255.), lictores omnis generis (§. 256.), & exsecutores decretorum (§. 257.). Sive igitur autarcha ipse sive per alios ea expediat negotia, opus erit tot exercendæ in illis potentiæ ministris, quot ratio civitatis requirit, vel quot negotiis sufficiunt; & tam prudenter illi erunt legendi, distribuendi pro numero & varietate causarum, instruendique, ut quam optime illam exerceant potentiam sibi demandatam.

Aliunde satis constat, voluntatem quidem ad internas actiones nulla potentia cogi posse; sed de eis hic non agitur, verum de actibus externis saluti publicæ attemperandis, qui utique sponte a civibus essent exercendi, & qui ad illos proni sunt, juvandi, ne ab aliis impediantur; qui autem ultro eos præstare detrectant, vi adigendi sunt, ut, si internos nolunt, minimum externos actus ad legem naturæ componant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Id quod de omnibus, ubi vi utendum est, pariter valet.

§. 259.

Prudentia augendi opes publicas.

Cum ad potentiam publicam exercendam nervus rerum gerendarum requiratur (§. 242.), qui in opibus ad sumtus publicos suffecturis continetur (§. 783. *P. VIII. Jur. nat.*): *illius causa simul prudenter gerenda est cura ærarii* (§. 129. *seqq.* & 195. *seqq.*), *exercendumque similiter jus onera tam ordinaria quam extraordinaria imponendi exigendique* (§. 925. *P. VIII. Jur. nat.*). Cujusmodi sunt tributa (§. 926. *ibid.*), annona (§. 927. *ibid.*), vectigal (§. 429. *ibid.*). Quapropter & tributa, annonæ & vectigalia prudenter temperanda sunt, ne præter & ultra necessitatem nimium gravent possessores (§. 932. *ibid.*), nec impendi aliis usibus debent, quam quibus salutis publicæ gratia destinan-

nantur (§. 934. *ibid.*). Pertinere jus tributorum imponendorum ad eminens dominium, legesis in nota ad (§. 925. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 260.

Quid de oneribus operosis habendum.

Aequiparari onera personalia possunt tributis, quatenus sine dignitate gratis, vel & non sine sumtibus subeunda sunt. Si enim absque dignitate & gratis subeunda sunt onera illa salutis publicæ ergo, perit subeunti earum merces, aut aliorum, quæ interim agere potuisset, caret illis commodis, quæ interim parere potuisset sibi suisque, quibus si frui cupit, oportet ut aliis mercedem solvat, sui loco ista perfecturis. Dum tanto minus habet, ac aliis solvere oportuit, idem est, acsi tantum tributi publici loco operarum suarum expendisset, aut alium conduxisset suo loco publicis rebus operanti. Quæ per experientiam satis evidentia ostendunt, multo magis illa onera tributis æquiparanda esse, quæ non solum gratis sunt subeunda, sed & non sine sumtibus honeste expleri possunt (§. 930. *P. VIII. Jur. nat.*). *Quam ob rem & de his non aliter statuendum est, quam de tributis &c.* (§. 259.), præsertim *ne illis alii magis alii minus graventur, & inopes premantur ab opulentis.*

Exempli loco sunto excubiæ a civibus gratis agendæ, hospitationes militum, vecturæ gratuitæ similesque aliæ angariæ. Tenendum est de potentia summa, eam vel ab autarcha, citra Simsonis miraculosas vires, non nisi aliorum hominum viribus junctis exerceri posse.

§. 261.

Autarcha excellat usu summæ potestatis.

Quoniam autarcha exercitio præsertim potiorum jurium majestatis excellere debet (§. 241.), & potiora jura summum potentiæ & potestatis publicæ gradum ostendunt (§. 77. *P. II. Polit.*): postquam de illis egimus, quæ summam arguunt & requi-

quirunt potentiam irenarchicam, *restat, ut ostendamus, quemadmodum autarchæ in usu summæ potestatis excellere queant debeantque.*

§. 262.

Summæ potentiæ & potestatis differentia & connexio.

Summa potestas dari potest sine summa potentia; tametsi præstat, utramque esse conjunctam, saltem quatenus majestatem constituere debet. Etenim summa potentia pacis tempore absolvitur vi compellendi immorigeros ad facienda salutis publicæ causa imperata, & fugienda illi adversa (§. 242). Vis illa est physica & corporea, nervis lacertisque humanis exerenda; ad quam quoque comparandam requiritur pecunia, ut nervus rerum gerendarum (§. 69. *Jur. Gent.*), vel si hoc mavis, ut nervus nervorum alendorum & roborandorum. Sed potestas est potentia & vis moralis eaque legitima in alterum, aut jus in personam alterius (§. 133. *P. I. Jur. nat.*). Latius pro sola facultate legitima usurpatur, æque in se ac in alios exserenda. Jam facile perspicitur, dari posse potentiam sine potestate, & potestatem sine potentia. Quare & summa potentia sine summa potestate, & summa potestas sine summa potentia dari potest.

Quia vero potentia sine potestate agens peccat, & potestas sine potentia sæpenumero irrita est & vana, nisi experientiæ fidem derogamus: præstat, utramque saltem eatenus conjunctam esse, ne majestas reip. detrimentum patiatur. Ideoque si divisa est utraque, ad potestatem summam tuendam potentia summa debet esse intenta, ne illa frustra adhibeatur (§. 61-65. & 88. 105. *P. VIII. Jur. nat.*).

Fur potest committere furtum, & quoties furatur, exercet suam furandi potentiam, at quia potestate furandi caret, dum furta committere nefas est, abutitur sua potentia naturali, peccat & pœnam promeretur. Aeger *Jobus* gaudebat potestate liberis & servis imperandi, sed potentia exigendi obsequium destituebatur. C. XIX, 15-18. Conf. *Genes.* XXXI, 19. Synedrium

Judaicum audebat Apostolis injungere præconii de Christo silentium, erat vero destitutum potestate id sanciendi. *Actor.* IV, 18. 19. V, 28. 29. Saul gaudebat summa potentia, postquam rex factus erat, carebat tamen potestate sacrificia faciendi, & supplicio liberandi Agagum, a Deo ad illud damnatum &c. *1 Sam.* XIII, 9. *seqq.* XV, 9. *seqq.* Potestas igitur & jus notant facultatem legitimam licitamque. Vti æger gaudet potestate edendi ferculum oblatum, sed facultate caret sufficiente per impotentiam a morbo oriundam. Aequalis non caret potentia æquali alii quidquam imperandi, sed jure imperandi caret. Sic & summa potestas imperandi esse potest pontificis maximi, exsecutio autem penes regem vel ejus vicarium.

§. 263.

Divisio summæ potestatis.

Summa potestas complectitur tum summum imperium strictius dictum, tum potiora reliqua majestatis jura, citra imperium & potentiam exercenda. Est enim summa potestas summa vis moralis in alterum (§. 262.). Quæ cum sit facultas legitima seu jus (*ibid.*); & imperium jus in actiones alterius (§. 199. *P. VII. Iur. nat.*); uti omne imperium potestas est (§. 200. *ibid.*), ita summum imperium summa est potestas, dirigendi actiones subjectorum ad salutem civitatis, & summa potestas summum continet imperium (§. 212. *seqq. ibid.*). Cujus exercitium quia est summum regimen (§. 218. *ibid.*), summa potestas quoque sub se complectitur regimen summum.

Sed non solum imperium summum exerceri potest sine potentia cogente, quando subjecti imperio ut par est eidem ultro parent; verum dantur quoque alia summi imperii jura, quæ potestate sola citra potentiam & imperium exerceri possunt, modo non nefarie resistatur (§. 77. *P. II. Polit.*). Jus legationis, v. g. sive legatos mittendi, sive admittendi & audiendi, non eget usu summæ potentiæ nec imperii, analogiam habens cum jure privatorum mandatarium mittendi vel advocatum.

Pote-

Poteſtas merito ſpectatur ut genus, complectens & poteſtatem in ſe ipſum, ſeu libertatem, qua homo ſui eſt juris, & poteſtatem in alium (§. 133. *ſeq. P. I. Jur. nat.*), qua alter ſubjectus eſt alterius poteſtati & alieni juris (§. 141. *ibid.*), ideoque facere obligatur, quod vult alter, cui eſt jus perfectum in ejus actiones (§. 142. *ibid.*). Enimvero jus recte determinandi liberas actiones alterius pro libitu ſuo vocatur *imperium* (§. 149. *P. VII. Jur. nat.*). Recta determinatio actionum non eſt niſi legitima & ſalutaris, ejusque exercitium eſt regimen (§. 218. & 661. *ibid.*). Quia ſubjectus eſt is, in quem alter imperium habet (§. 201. *ibid.*), & quia ſubjectus obligatur actiones ſuas ad voluntatem imperantis componere: obligatur ſubjectus ad parendum vel obediendum imperanti (§. 204-6. *ibid.*). Jam facile perſpicietur, ſummum quoque imperium aut exerceri in ſubjectos, aut erga alios, qui ſubjecti non ſunt. Priori caſu ſumma poteſtas rem habet cum ſubjectis, quibus eſt parendum, poſteriori caſu cum aliis, qui ſubjecti non ſunt, ſed ſui juris v. g. ſi res ſit cum aliis æqualibus, ut regi unius civitatis, cum rege alterius civitatis, ad quem legati mittuntur, vel a quo legati recipiuntur.

§. 264.

Quæ jura majeſtatis ſummo imperio inſint?

Quia ſummum imperium continet jus ſummum actiones ſubjectorum dirigendi ad publicam ſalutem (§. 263.), illud pacis tempore proxime ſe exſerit jure circa ſacra, poteſtate leges ferendi & abrogandi; erigendi ſumma tribunalia; eligendi aut confirmandi ſummos magiſtratus; conferendi & auferendi ſummas dignitates; item feuda, privilegia & immunitates magni momenti; remotius oſtenditur jure circa monetam, jure condendi academias, urbes, emporia, reſtituendi famam, & natales honeſtandi, jure concedendi moratoria, protectoria, veniam ætatis; jure ſupremo fodinarum, poſtarum, nundinarum ſolenniorum, ſtapulæ ſimiliumque. In formis temperatis per leges cardinales alia accedunt, alia his decedunt, v. c. circa re-

ligionem, circa comitia convocanda, dirigenda, dimittenda &c. (§. 77. *P. II. Polit. ibique notata*). Quæ hic nondum ſatis liquent, ea paullo poſt explanabuntur.

§. 265.

Opus eſt prudentia circa jura ſacrorum.

Jura ſacrorum eſſe e numero jurium majeſtatis, & quænam illis ſubſint vel ſubeſſe nequeant, conſtat ex *Juris naturæ P. VIII.* §. 945 - 959; & quæ ſapiens cura ſacrorum decreta requirat, intelligitur ex *P. II. Polit.* §. 11 - 101. Hic reſtat, ut de autarchæ prudenti exercitio juris & curæ ſacrorum nonnihil adjungatur. Quia prudentia eſt habitus ſapienter decreta quam optime exſequendi (§. 1.): hac in re quoque *opus eſt, ut autarchæ gaudeant habitu ſapienter de cura ſacrorum decreta quam optime exſequendi.* Quem habitum, æque ac alios habitus regios, autarchæ comparandum, conſervandum perficiendumque eſſe, ex antea dictis planum eſſe autumo. Sufficit autem, ut ipſius ſuprema ſit autoritas in illis, quæ ſacra externa poſtulant, cæterorum cura vero aliis demandetur.

§. 266.

Et perſpicientia neceſſitatis utilitatisque religionis.

Prudenter curam ſacrorum exerciturus ſemper ob oculos habere debet ſummam illius & utilitatem & neceſſitatem, ad ſalutem publicam, quantum fieri poteſt, augendam firmandamque. Prudentia ſcilicet evitantur damna, quæ agens in caſu dato eſſet contracturus, & percipiuntur commoda, quibus alioqui fuiſſet cariturus (§. 464. *P. I. Ethic.*). Quo magis igitur religionis neceſſitas utilitasque in ſalute publica adaugenda ſtabiliendaque perſpecta habetur, quo certior utriusque eſt animus autarchæ per argumenta alibi adducta (§. 27. *P. II. Polit.*): eo diligentius curam religionis ob oculos habebit, eoque prudentius illam ſemper exercebit autarcha.

§. 267.

Melius autarcha curam ſacrorum exercere non poterit, quam ſi ipſe veritatis religionis & ſinceræ pietatis ſit ſtudioſiſſimus. Nimirum prudenter exerciturus jura ſacrorum, gaudere debet habitu ſapienter de cura ſacrorum decreta quam optime exſequendi (§. 265.). Enim vero ſi ipſe ſit veræ religionis amantiſſimus, & ſtudioſiſſimus ſinceræ pietatis, & ipſe eo certior erit gratiæ propitii numinis & regiminis felicis, & ſuomet exemplo excellens plus valebit ad par ſtudium religionis in populo excitandum, quam ullis legibus cauſisque externis (§. 66. *P. III. Polit.*). Melius ergo autarcha curam ſacrorum exercere non poterit, quam ſi ipſe veritatis religionis ſit amantiſſimus, pietatisque ſinceræ quam ſtudioſiſſimus. *Summoque ſtudio veræ religionis pietatisque.*

§. 268.

Ad ſimile ſtudium exempli veræ religionis, minimeque fucatæ pietatis, prudenter quoque obligantur magiſtratus omnes & miniſtri religionis. Etenim & magiſtratuum & ſacerdotum exemplum, præ ſertim autarchæ exemplo conformatum, multum valet ad inſpirandum idem ſtudium populo univerſo (§. 66. & 67. *P. II. Polit.*). Et quo plura exempla ſapientum aliis prælucent, eo plures invitantur ad imitandum eorum exemplum, eoque efficaciora erunt dogmata religionis & pietatis, cum ſuis invitamentis vivisque exemplis. Prudenter igitur & vicarii autarchæ in imperio, magiſtratus omnis generis, & cuncti religionis præcones & miniſtri obligantur ad coniungendum cum vera religione ſolidæ pietatis exemplum. *Magiſtratuum quoque & ſacerdotum exemplo.*

Cum virtutum ſtudium ſit veræ felicitatis in civitate promovendæ fundamentum, parentes quoque, & quotquot educationis curæ participes ſunt, præceptores doctoresque in ſcholis, Gymnaſiis & academiis, obligandi civiliter ſunt, non tantum ad recte inſtituendam & docendam religionem, ſed ad eam quoque ſuo exemplo inculcandam commendandamque.

§. 269.

Puniendus est religionis contemtus. *Ex eadem causa prudentia autarchæ civili quoque obligatione obstare debet contemtui religionis, eidemque erumpenti evidenter, nec mitius emendabili, remotionem exautorantem decernet.* Prudenter enim religio bonis exemplis provehitur & commendatur (§. 267. *seq.*). Quare cum ea & salus publica irato numine malis exemplis impediatur & pessumdetur, malis exemplis simul prudenter est occurrendum (§. 930. *P. I. Jur. nat.*), ut serio causa pietatis & cura religionis agi intelligatur. Jam procul dubio ad mala exempla, religioni adversa, refertur omnis contemtus religionis, a quocunque proficiscatur, ut pote qui, quantum in se est, minuere & tollere religionem studet. Patescit ergo, prudentiam autarchæ requirere, ut & civili obligatione omni religionis contemtui obstet (§. 89. *P. III. Polit.*), & dum is in magistratu, vel ministris ecclesiæ, aut præceptoribus scholarum vel professoribus aperte fovetur, exseritur, nec mitioribus modis se reprimi & corrigi patitur, tandem ejus autores sunt exautorandi, & a sua sparta removendi (§. 472. *P. VIII. Jur. nat.*).

Variis modis exserere se potest religionis contemtus. Expresse quidem id fit verbis scriptisque contumeliosis, sarcasticis, & in opprobrium religionis manifestum adhibitis. Tacite autem impia vita & vitiis factisque in manifestum religionis despectum comparatis, spretaque omni dehortatione obstinate continuatis. Præstat quidem, si, antequam admittantur candidati ad spartam, eorum studia & mores rite explorentur, nec admittantur, a quibus non nisi dubia spes est, fore, ut bene præsint partibus demandatis. Turpius quippe ejicitur, quam non admittitur hospes. Quia tamen fieri potest, ut vel Curios simulent, qui non sunt, vel & successu temporis demum degenerent, qui ante meliores fuerant, puniendus est contemtus religionis, neglectu officii, pravoque morum exemplo, quandocunque fuerit, sese prodens, & respuens emendationis disciplinam mitiorem.

rem. Si enim exuatur autoritate ſpartæ, aut reſipiſcere poterit, aut non tantum nocere exemplo.

§. 270.

Quia contemtus religionis non eſt ferendus (§. 269), & Atheismum vel Deiſmum profitentes diſſeminantesque contra prohibitionem manifeſtum omnis religionis contemtum produnt, (§. 1644 *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), illos autarcha prudenter pœna coërcebit, & ſi moniti ac meliora edocti ab eo diſſeminando deſiſtere nolunt, e civitate diſcedere eos jubebit (§. 646 *ibid.*). Ita enim intelligetur, fieri id, quod debet, ut ſerio ſalutis publicæ adminicula, uti per ſe ſunt, ita & in animis civium ſtabilita firmiſſime maneant, nec tolerari, ut eorum veritas erroribus offuſcetur (§. 473 *P. VIII. Jur. nat.*). *Si autem ſibi tantum erret atheus vel deiſta, & quisquis ſimilis eſt illis, in religione pro nihilo habenda, neque diſſeminare errores ſuos audeat; tolerari is quidem poteſt, dum neminem ſeducit, & reſipiſcentia ſperari poteſt; quatenus tamen ejus error magiſtratui innotuit, ad jusjurandum admitti in nulla poterit cauſa* (§. 645 *ſeq. ibid.*) & (§. 873 *P. III. Jur. nat.*). *Quomodo in Atheis & Deiſtis?*

Ne dubium maneat, quinam Atheis & Deiſtis hac in re ſimiles ſint cenſendi, nonnullos nominaſſe expediet. Athei ſcilicet ſunt practici, qui non negant dari Deum, & nihilominus ita plerumque vivunt, acſi nullum crederent Deum, ideoque factis ſuis vitioſiſſimis negant dari Deum (§. 502 *ſeqq. P. II. Theol. nat.*); ignorantes dari Deum, aut de ejus exiſtentia dubitantes; irreligionarii, nullam religionem habentes; fataliſtæ, perjurii convicti; perfidi; Spinoziſtæ; epicuræi; materialiſtæ, nil niſi corpora & corporea attributa admittentes &c. Neque illi prætereundi ſunt, qui dari Deum credunt, ſed reſervationes mentales licitas eſſe arbitrantur, nec eam ſententiam diſerte profitentur.

§. 271.

§. 271.

Contemtores religionis præfracti num sint ferendi?

Negari nequit, eos contemnere religionem, qui nullum ei pretium ſtatuunt, irreverenter de ea loquuntur, vel & factis oſtendunt, ſe eam nihili facere (§. 787 *P. I. Jur. nat.*). Cum contemtus religionis apertus in civitate ferendus non ſit (§. 269): *ferendi quoque non ſunt aperti religionis empæctæ, ſive conſulto verbis eandem perſtringant, & irrideant, ſive factis contumelioſis ſuum erga illam contemtum declarent.* Si a propalando contemtu ſuo, quo alios inficiunt, argumentis & mulctis avocari ſe non patiuntur, *deportatione & exilio ſaltem intra remp. coërceri ſic poſſunt, ne ibi nocere aliis & civitati queant* (§. 270).

Loquor de contemtu conſulto dataque opera prodito, nec mitius corrigibili. Alia ergo ratio eſt inconſulti contemtus, per morbi vehementiam in mente captis, aut per ebrietatem nimiam ſe exſerentis. Prior commiſerationem & ſanandi ſtudium, poſterior, ſi in habitum abeat, extraordinariam pœnam expoſcit.

§. 272.

Num proterve negligentes & profanantes?

Ne quidem temerarius & pertinax neglectus cultus divini, & profanans citra gravem neceſſitatem feſtum labor in civitate a prudenti autarcha ferendus eſt. Poteſt enim autarcha vi adigere ſibi ſubjectos, ut conventibus publicis in templis diebus feſtis interſint, nec eos temere negligant (§. 471 *P. VIII. Jur. nat.*). Quare cum frivole & obſtinate negligentes cultum Dei publicum non tantum officio ſuo deſint, & contemtum ejusdem eo ipſo prodant, ſed & aliis exemplo noceant, & civitatis famæ labem adſpergant, præſertim ſi profanis laboribus præter neceſſitatem tribuant tempus, ſacris actibus deſtinatum & unanimiter dicandum (§. 80 *P. III. Polit.*), aut quod pejus foret, illud vitioſis moribus impendendo, etiamſi alios iisdem non lædant, ideoque pœnis coërcendi ſint (654 *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*): prudentia

dentia autarchæ tam temerarium pernitiosumque publici cultus divini neglectum (85 & 88 *P. III. Polit.*), quam profanationem feriarum sapienter institutarum ferre non debet, sed eundem potius promeritis gradatim pœnis coërcere (§. 269).

Pertinet huc quoque neglectus & contemtus, aut manifesta exagitatio & traductio ceremoniarum in sacris non abs re usitatarum (§. 480 *P. VIII. Jur. nat.*), item abusus & profanatio superstitiosa aut proterva rerum sacrarum, quæ sacris tantum usibus sunt dicatæ (§. 481 *seq. ibid.*). Ejusdem commatis est profanatio nominis divini, quod nequaquam ipsius colendi gratia adhibetur, item profanatio verbi divini, hymnorum sacrorum. Ad profanationem festorum dierum omnes illi actus pertinent, qui cultui divino tam interno quam externo aperte repugnant. In quibus coërcendis prudentia eo utetur temperamento, ne vel officio suo deesse censeatur, vel asperioribus utatur remediis, ubi mitiora suffecissent.

§. 273.

Quemadmodum viri acutiores, præsertim in auctoritate publica constituti, cavere sibi solicite debent, ne se ipsos in suspicionem Atheismi, Deismi, & contemtus religionis adducant: ita quoque ferendum non est, ut alii per invidiam aliosque pravos affectus eos temere talium arguant, & suspectos aliis ore vel scriptis reddant (§. 474 *seq. P. VIII. Jur. nat.*). *Injungendum* igitur *est illis, quibus alios docendi aut libros edendi potestas conceditur, ne opiniones veræ religioni & bonis moribus adversas disseminent, neve vita perversa corrumpant alios, & sese reddant suspectos;* nec impune ferendum, si qui secus egerint, nec correctioni locum relinquant (§. 476 *ibid.*). Nec permittendum est, ut aliunde mittantur & recipiantur imprimendi, aut impressi gratis divulgentur, saltem invehantur vendanturque libri statui vel bono publico, religioni ac bonis moribus ad- *De censoribus librorum.*

verfi (ibid.). *Conſtituendi eum in finem ſunt librorum, antequam edantur, aut divulgentur utcunque, cenſores, ſine quorum permiſſu impunis haud ſit impreſſio aut divulgatio, & qui ipſi quoque puniendi ſint, ſi ſtudioſe permiſerunt, quod non erat permittendum* (§. 477. *P. VIII. Jur. nat.*).

Temere alios arguunt ac in ſuſpicionem adducere nituntur, qui vel vanis & mendacibus aliorum rumoribus fidem habent, neglecto examine veritatis; vel ipſi rudes earum rerum aut erroribus & præjudiciis occupati, ſcripta eorum male intelligunt, aut affectibus obnoxii male interpretantur, quæ vel melius accipi poſſe ſentiunt, & errorem, quem ipſi admiſere, autori longe ab eo remoto affingunt. Quæ de cenſoribus præcipiuntur, tanti ſunt momenti, ut uſu quoque recepta ſint, ubi eduntur libri publico indultu. Perinde vero eſt, utrum libri autor ipſe ſit cenſor ſui ſcripti, an alius, modo in utroque caſu cenſor æque obligetur ad legum ſalutis publicæ cuſtodiam, aut pœnam, ſi quam meruit, ſubeundam. Si alius ſit cenſor, quam autor ignotus & imperitior, incorruptior videtur cenſura, quam ſi ipſe autor ſit cenſor. Enim vero ſi ipſe autor rem melius calleat, ac qui eam non diſcuſſit, aut vix ita excutere poteſt, præſtabit ipſius autoris cenſura, tanquam exactior & honoratior, modo profiteatur ſuum nomen, ſaltem id non diſſimulet, quando non eſt expreſſum. Quidquid enim incommodi vel culpæ admiſſum ſit, illud in verum redundabit autorem, nec alii una cum ipſo implicabuntur præter neceſſitatem.

§. 274.

Quid requirat prudentia legislatoria.

Prudentia autarchæ leges ferendi quam optime exercenda requirit, ut ipſe legum naturalium ſcientia ſit imbutus; theoriam calleat ex legibus naturalibus civiles latius dictas efficiendi; ejusque applicatione ad ſtatum ſuæ civitatis quam optime utatur. Eſt enim poteſtas legislatorum jus condendi leges civitatis, h. e. civiles latius dictas (§. 812 *P. VIII. Jur. nat.*), ad quos omnes in civitate degentes,

tes, actiones suas saltem exteriores componere obligantur (§. 965 *ibid.*). Quæ autonomia non est nisi eorum, quorum summum in civitate vel ea re est imperium (§. 814 *ibid.*). Quare cum prudentia eam exercendi consistat in habitu, sapienter de legibus civitatis decreta quam optime exsequendi (§. 1); is habitus autarchæ erit comparandus exercendusque (§. 33). Sed exerceri is nequit sine scientia legum naturalium accurata, sine theoria ex iisdem sapienter efficiendi leges civiles, & sine debita utriusque applicatione ad statum suæ civitatis per naturam prudentiæ nomotheticæ, & testimonium usus ejusdem. Quam ob rem necesse est, ut autarcha prudentia legum practica gavisurus instructus probe sit legum naturalium scientia excellenti, theoria accurata ex legibus naturalibus efficiendi civiles, & utriusque recta applicatione ad statum suæ civitatis quam optime utatur.

Et sapientia opus & prudentia leges sanciendi, si autarcha quam optime præesse suæ civitati velit. Sapientia, quod ad salutem publicam ex asse consequendam faciat, exputat & investigat, ex illis optima eligit & decernit. Prudentia in exsecutione sapienter, v. c. in legibus consiliisve, decretorum nihil eorum negligit, quæ sapienter sunt decreta, sed quam optime cuncta præstat, improvisa impedimenta arcet aut tollit, ne noceant; adjumentis vero præter opinionem ortis promte sic utitur, ut melius nemo possit.

§. 275.

Petenda est scientia legum naturalium autarchis ex genuino systemate Juris naturæ; theoria legum civilium condendarum indidem, illa ubi habetur; applicatio utriusque ex similium civitatum præstantissimis legum exemplis, & penitiori exploratione status suæ civitatis. *Quomodo comparetur?*

Cum autarchæ imbuti esse debeant scientia legum naturalium (§. 274), constare utique debet, unde eos haurire pos-

 sint,

ſint, ſive primum addiſcendæ ſint, ſive requirendum aliquid ſit, fere oblivioni datum, aut non niſi confuſe perceptum. Sed in genuino Juris naturæ ſyſtemate leges naturales non tantum diſtincte explicantur, ſed & demonſtrantur, ut animus de illarum veritate convincatur. Ex eo igitur vel oretenus inculcato, & memoria comprehenſo, vel in libris, v. c. ſyſtema Juris naturæ & Gentium Wolfianum complexis, legendo haurienda eſt legum naturalium ſcientia.

In ejusdem ſyſtematis *Tomo VIII. cap. 5.* exhibetur theoria legum civilium, vix alibi obvia. Qua propter ea inde addiſci, & ibi evolvi poteſt, aut quod nondum ibi habetur, ex principiis ibi ſtabilitis, meditando poterit erui & demonſtrari.

Denique quia leges civitatum ſimilium longo uſu jam comprobatæ, ejusque ſaluti bene conſulentes, exempla viva ſunt juſtæ applicationis legum naturalium ad civiles, quod nemo diffitetur; prudentia autarchæ illarum ſubſidio haud incongrue ſic utetur, ut ſtatui ſuæ civitatis apprime conſentanea imitetur, quæ vero eidem minus reſpondent, aut melius inſtitui poſſunt, ea emendet, haud neglecta acutiorum conſiliariorum & ejusmodi rerum peritiſſimorum ſententia, antequam ferantur aperienda expendendaque ad rationis obruſſam.

§. 276.

Ratio diverſitatis legum civilium. *Quam diverſa ſunt actionum civilium genera, quæ saluti publicæ vel inſignite prodeſſe queunt, vel obeſſe; tam diverſæ quoque dari debent leges civitatis, uſitatioribus, ſaltem actionibus externis regundis ſuffecturæ.* Legibus enim civilibus regendæ ſunt civium actiones exteriores ad publicam ſalutem (§. 965 & 969 P. VIII. Jur. nat.), & cives ad earum legum cuſtodiam ſunt obligandi

(§. 396

(§. 396 *ibid.*). Quapropter ut omnibus salutis publicæ partibus leges civiles prospiciant, quam diversa dantur actionum externarum genera, quibus salus publica vel multum juvari potest vel impediri; tam diversa quoque ferri debent legum civitatis genera, ut saltem usitatioribus externis civium actionibus regundis sufficiant.

§. 277.

Quid sit jus publicum & privatum.

Generatim aliæ leges civitatis sunt publicæ, aliæ privatæ. Leges enim civiles præscribunt modum actiones externas saluti publicæ attemperandi (§ 969 *P. VIII. Jur. nat.*). Sed illæ actiones vel sunt imperantium omnium nomine, sive summo imperio gaudentium, ideoque publicæ cum erga suam, tum erga aliam civitatem, vel eorum, quibus sola obsequii gloria est ideoque privatæ relicta. Leges modum imperandi rectoribus civitatum, itaque eorum officia & jura præscribentes, sunt leges publicæ; sed leges privatorum vel singulorum subditorum erga se invicem actionibus regundis præscriptæ, sunt privatæ. Illarum systema & scientia appellatur jus publicum; harum vero jus privatum (§ 23 *ibid.*). Leges publicæ dum universæ civitatis regundæ norma sunt, dicuntur quoque leges fundamentales (§. 77 *ibid.*).

Non ignoramus jus privatum ab illustri *Wolfio Tomis VII. Juris Naturæ* esse exhibitum, quod ipse in dedicatione hujus tomi septimi fatetur, in quo simplicium societatum, conjugalis, parentalis & herilis officia pandit. Et in præfatione finienda infit: absoluto jure privatorum, restat Jus publicum universale, quod & jus civitatis dicitur, nobis quoque nomini imperii publici venit. Hæc pluribus dilucidat in *Præfatione Tomi VIII. Jur. nat.* ubi jam præmonet imperium publicum non esse nisi jus, quod universis in civitate est in singulos, quatenus eorum actiones ad finem civitates sunt dirigendæ. Quod & §. 60 ibidem definit per jus determinandi ea, quæ ad bonum publicum

promovendum requiruntur. Sed hoc jus universale commune est omnibus civitatibus; strictiori autem sensu ut plurimum jus publicum pro particulari illo, & civitatibus nonnullis proprio usurpatur, quod leges fundamentales regiminis exercendi præscribit, ideoque præsertim imperantium actiones ad salutem publicam dirigit, ne quid contra illam moliantur. Obligat igitur primario rectores civitatum, & secundario tantum subditos, quatenus secundum leges fundamentales imperata facere, prohibita omnium causa omittere debent. Hujus specialis juris publici principia hic perpaucis sunt delibanda.

§. 278.

Vbi opus sit jure publico? *Leges publicæ requiruntur in civitate mixta, ut constet, quorum summi imperii jurium exercitium his vel illis consortibus ejusdem debeatur?* Etenim in civitate mixta diversæ reip. formæ conjunguntur, & summum imperium eo ipso dividitur limitaturque (§. 138 *P. VIII. Jur. nat.*). Quo ipso nascitur forma reip. temperata (§. 3 *P. II. Polit.*). Quia dum dividitur summum imperium, non omnia majestatis jura uni formæ simplici conceduntur, sed alia alii: ideo quæ cuidam formæ sunt ademta & denegata, ea alii sunt tributa & exercenda, & quælibet est limitata (§. 66 & 74 *P. VIII. Jur. nat.*). Vt igitur constet, quænam summa imperii publici jura & cui formæ sint relicta, & quo modo sint exercenda ab ejus participibus, leges publicæ in qualibet civitate mixta requiruntur, quibus exercitium summi imperii ejus consortibus præscribatur (§. 277).

Dum jus publicum est scientia legum publicarum (§. 277): liquet, jam illud quoque dici posse scientiam regendi certam remp. temperatam, seu exercendi summum imperium in data rep. mixta, item scientiam temperamenti regiminis in quadam rep. mixta determinati receptique. Ita præstat jus publicum imperii romano-germanici; jus publicum Poloniæ &c. Quæ & officia & jura regnandi exponunt.

§. 279.

Leges publicæ oriuntur ex pacto inter publici imperii consortes vel & cum exteris civitatibus inito. Præscribunt enim modum regiminis domi seu intus & extus (277) in rep. temperata (§. 278), ideoque mixta. Sed quando diversæ reip. formæ nondum sunt unitæ, nulla earum alteri est subjecta, sed unaquæque earum habilis est imperii summi, & alteri par est censenda. Dum pari in parem nullum est imperium, ob libertatem naturalem (§. 146 *P. I. Jur. nat.*), nemini invito auferendam (§. 64 *ibid.*), non nisi pacto inter eas in eadem vel diversa civitate ineundo lex publica sanciri potest, quomodo & a quibus hæc vel illa summi imperii jura invicem sint exercenda. Certum igitur est, non nisi pacto cum exteris, vel quo constituitur resp. mixta eoque vel expresso vel tacito (§. 731. *P. III. Jur. nat.*), leges publicas in ea recipi, mutari & augeri posse. *Quomodo oriatur jus publicum?*

Hinc leges publicæ alibi pacta conventa appellantur, ut in Polonia; alibi capitulationes, propter articulos seu capitula pactorum, ut in imperio germanico; alibi forma regiminis, ut in Suecia, item constitutiones imperii vel regni &c. Pacta pacis, fœderum, commercii quis ignorat?

§. 280.

Leges publicæ æque sunt exacte observandæ ac leges privatæ, & prudentes autarchæ eas lubenter observant. Oriuntur enim leges fundamentales seu publicæ ex legitimo pacto (279). Sed pacta legitima obligant ad iis satisfaciendum, & sunt servanda (§. 789 *P. III. Jur. nat.*), & quando imperium limitatur, ejus exercitium certis legibus adstringitur (§. 74 *P. VIII. Jur. nat.*), ad quas observandas rectores civitatis adstringuntur (§. 75 & 77 *ibid.*). Quare uti privati obligantur ad exacte observandas *Quomodo sint observandæ leges publicæ?*

das leges privatas (§. 967 *seqq. ibid.*), ita & imperantes obligantur ad accurate observandas leges fundamentales.

Quia pacta non servans fidem datam fallit (§. 790 *P. III. Jur. nat.*), & si in pactis alter paciscentium præstare nolit, quod debet, nec alter ad id præstandum tenetur, quod ipse vicissim debet, sed ei a pacto recedere licet (§. 827 *ibid.*): autarcha non observans leges fundamentales periculo se exponit perdendi sua imperii jura. Quam ob rem prudentes civitatis rectores leges fundamentales lubenter observant, etiamsi illis adjecta non sit clausula imperii per violationem pactorum amittendi.

Quo rectius observant leges cardinales rectores civitatum, eo stabilius erit ipsum jus regnandi, eo tutior salus publica & ipsorummet privata, eoque promtius erit civium obsequium in officiis, quæcunque rectoribus civitatum debentur.

§. 281.

De improprie dictis imperii cynosuris.

Tametsi rector civitatis, absoluto imperio gaudens, si quas ipse constituit leges, juxta quas imperium exercere velit, vel si certum concilium constituit, sine cujus approbatione graviora negotia tractare nolit, illas leges semper necessario sequi non tenetur, sed eas abrogare potest, & improbante concilio facere, quod sibi visum fuerit (§. 79 *seq. P. VIII. Jur. nat.*): *prudentiæ nihilominus erit, a promissis non facile recedere, sed tum demum, quum gravis ratio salutis publicæ ergo id ipsum requirit* (§. 102). Præsertim si norma regiminis surrogata sit in locum legum fundamentalium, velut perpetuum palladium publicæ salutis, metuendumque sit, ne denuo abrogetur absoluta potestas, si aperte extremus invalescat ejus abusus (§. 230-236). Similia consulta erunt, si populus voluntatem suam declaravit de nonnullis, quæ rector civitatis facere vel omittere

omittere debeat, licet non addiderit, se ejus judicio stare nolle, si secus fecerit; aut si concilium ipse dedit, sine cujus consensu nihil arduum decernere valeat (§. 81 *ibid.*).

§. 282.

Ratio interpretandi & mutandi leges publicas.

Quia leges fundamentales non subsunt potestati leges pro lubitu ferendi (§. 816 *P. VIII. Iur. nat.*), easdem quoque nec rector civitatis nec populus oborta controversia in fraudem alterius interpretari potest (§. 820 & *seq. ibid.*). Sed facienda est interpretatio secundum regulas hermenevticas ab omnibus admissas, & si ne sic quidem conveniant, necesse est, ut vel amica compositione, vel transactione, vel arbitrorum ope lis finiatur (§. 822 *ibid.*). Prout & mutatio earundem non nisi mutuo consensu eorum, quorum interest, vel a quibus conditæ sunt, fieri debet (§. 75 *ibid.*). *Non secus igitur ac pacta leges fundamentales prudenter interpretandæ sunt, mutandæ vel tollendæ* (§. 279).

§. 283.

Pacta cum exteris civitatibus inserviunt juri publico.

Referuntur quoque ad leges cardinales publicas pacta inter civitates separatas a se invicem inita, quibus mutua earum officia & jura sanciuntur. Nam & secundum hæc pacta, tanquam leges publicas, regimen civitatis ratione exteriorum civitatum a rectoribus earum est instituendum (§. 277), ut salus civitatis tanta obtineatur, quanta dari potest; & cavendum, ne quid contra ea designetur, unde multa & gravissima incommoda atque pericula nasci queant soleantque (§. 480 *P. I. Polit.*). Quo lucidius igitur & cautius mutua civitatum officia & jura pactis sunt definita, quo magis interest civitatis, pacta & ab alia civitate illæsa servari; eo solicitius in exercitio summi imperii cavendum est, ne quid iis contrarium impune fiat, vel fieri permittatur (§. 280).

Hujusmodi pacta sunt instrumenta pacis induciarum, fœdera, pacta matrimonialia, successoria, limitanea, nec non pacta omnis generis commerciorum. Prætermitto consuetudines, quæ in nonnullis tam internis, quam externis summi imperii exercitiis quandam vim legum tacitarum, vel non scriptarum obtinuerunt. V. c. in ceremoniis legatos mittendi, admittendi & dimittendi &c.

§. 284.

Divisio legum privatarum.

Reliquæ leges pacatæ civitatis sunt privatæ (§. 277), eæque vel *communes* cunctis, certe plerisque, vel peculiares seu *propriæ* quibusdam civibus. Communes versantur vel circa actiones sacras, in cultu Dei externo obeundas, vel circa externas profanas & vulgares in communi vita. Illarum *leges* appellantur *ecclesiasticæ*, harum *sæculares*, vel strictius dictæ *civiles* (§. 276). Systema legum communium dat jus commune, tum ecclesiasticum, tum civile.

§. 285.

Quid sanciendum legibus ecclesiasticis.

Leges ecclesiasticæ præter officia & jura personarum in cultu Dei externo occupatarum, rerum quoque ecclesiasticarum jura sic explanare debent, ne ignoretur, quid ibi faciendum sit, quid fugiendum, & quomodo id saluti publicæ maxime expediat? Regendæ enim sunt legibus ecclesiasticis actiones externæ cultus divini gratia edendæ (§. 284). Sed hæ actiones vel sunt tantum officia personarum, vel in officiis simul rerum sacrarum & bonorum ecclesiæ a personis habenda est ratio (§. 481. & 485. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter leges ecclesiasticæ tum definire debent officia & jura personarum, tum jura rerum sacrarum & ecclesiasticarum, & officia eas recte curandi. Ne quid igitur obscurum aut dubium relinquatur eorum, quæ in his fieri aut omitti debent, leges ecclesiasticæ prudenter tam perspicue sunt proponendæ, ut inde cuique constare possit, quid fieri ab ipso

debe-

debeat, & quomodo id quam optime, sive ita, ut saluti publicæ maxime expediat, facere & exsequi possit (§. 1.).

Leges Ecclesiasticæ variis temporibus & locis alias atque alias sortitæ sunt denominationes. Mosaicæ leges Judæis præscriptæ propter multos ritus praescriptos, *ceremoniales* dici consueverunt. Apud Romanos Numa *jus pontificium* condidit, teste *Livio l. 19.* Inter Christianos canones seu regulæ conciliorum in hunc finem condebantur, unde nata est appellatio *juris canonici*, in romana Ecclesia recepti auctique pontificum decretis &c. Continent leges ecclesiasticæ officia & jura sacerdotii omnis generis, curatorum rerum sacrarum & eccles. præcentorum, cantorum, organœdorum, æditUorum, *cæt.* Continent leges disciplinæ & jurisdictionis ecclesiasticæ prudenter exercendæ. Continent ordinationes festorum dierum, agendorumque in singulis, & liturgiarum. Continent leges eligendi, vocandi, suspendendi, transferendi, abdicandi & removendi personas functionibus ecclesiasticis destinatas. Continent quoque leges circa adquisitionem, conservationem, usum & alienationem rerum sacrarum & ecclesiasticarum observandas. Continent leges sacramentales, matrimoniales & annexas, leges de jurejurando, excommunicatione & sepulturis. Peti possunt prudenter leges ecclesiasticæ partim ex iis, quæ ratio sapientiaque dictat, partim quæ experientia dudum in similibus rebus vel nobis vel aliis dudum optima factu, aut fugienda esse ostendit.

§. 286.

Commune jus civile versatur circa externas privatorum actiones quotidianas ad salutem publicam prudenter attemperandas (§. 284.). Hæ actiones vel sunt licitæ, vel illicitæ, prout salutem publicam vel adjuvant & promovent, vel impediunt & evertunt. Priores sunt præcipiendæ legibus, præmiis ornandæ & commendandæ, interdum & vi extorquendæ aut mulctis. Posteriores iisdem sunt prohibendæ & graviter puniendæ. Inde patescit, cur jus civile, circa contractus vel *Quid sanciat jus civile & criminale.*

 quasi

quasi & actus beneficos præcipue occupatum, sibi adjunctum habeat *jus criminale*, circa delictorum & criminum inquisitionem & punitionem optima factu præscribens, & quam optime exsequi docens; & *cur in utroque exercendo summa opus sit prudentia, ut omnia quam optime expediantur.*

Supra egimus de perficiendis ad salutem publicam civium actionibus *P. III. Polit.* quæ præsertim quoad actiones externas erga alios, & jura perfecta, legibus communibus sunt regendæ, ut quam optime expediantur. Quibus actionibus prudentia rectorum civitatis ita præerit, ut earum exsecutionem quam optimam, quantum fieri potest, promoveat stabiliatque. Prudentia & in his se exserit in selectu eorum, quæ sapientia aliorum dudum & propria esse optima factu deprehendit, & in exsecutione atque applicatione ad casus emergentes solicite circumspecteque observat, & ab aliis quoque observari curat.

§. 287.

Legum peculiarium divisio.

Leges peculiares & propriæ vel certum locorum & vitæ genus non paucorum, vel paucorum tantum, aut singularium propriam indolem pro objecto habent. Illæ locorum & vitæ generis nominibus insigniuntur. Hæ *privilegia* appellantur (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ varia admodum sunt. Si loca sint provinciæ, *leges* appellantur *provinciales*; si urbes sint & oppida, *leges urbanæ, municipales*, vel *oppidanæ*, vel brevius *statuta*, ubi & mercatorum & cunctorum fere opificum & tribuum statuta dantur; si agri sint & pagi, *leges rusticæ* vel *rurales* dicuntur. His accedunt leges nobilitatis, quæ conficiunt *jus feudale* & *terrestre* (§. 340. *P. III. Polit.*); item leges scholasticæ, academicæ (§. 319. *seqq. P. II. Polit.*) & similes, eruditorum jura & officia docentes, quæ exhibent *jus literarium*. Vid. *Cap. VII. P. VI. Jur. nat.*

Hujusmodi sunt leges Bajoariorum, Ripuariorum, Alemannorum, Frisiorum, Salicæ, Saxonicæ, Magdeburgicæ, Lubecenses, Culmenses &c. Pariter huc quoque pertinent leges mari-

timæ

timæ & navales, leges rerum metallicarum, & fodinarum cujuscunque generis, quæ noſtratibus Bergordnungen dicuntur. Leges nauticæ pro locorum diverſitate quadamtenus differre ſolent, uti Leges Rhodiæ, Wisbyenſes, Hanſeaticæ &c. Neque minus leges mercatoriæ aliæ alibi habentur, item cambiales variorum locorum. Sic & ſtatuta opificum, artificum & tribuum alia aliis locis dantur. Differunt jura feudalia Italiæ, Germaniæ, Poloniæ &c. Notum eſt Jus terreſtre nobilitatis Pruſſiæ, item generatim nobilitatis jura & *privilegia*, paſſim in nonnullis diverſa. Differunt jura & privilegia academiarum in quibusdam alibi non receptis, uti Profeſſores Cracovienſes Sigismundus I. equeſtri dignitate omnes ornavit, ut iisdem, quibus nobiles indigenæ, juribus fruerentur, huncque honorem & ad legitimam ſobolem transmitterent, qui per 20 annos continentes lectionibus publicis operam navaverint. Vid. *Zalaſzovii Jus regni Polon. L. I. p. 560. ſeqq.* Taceo jura *& privilegia feminina, hoſpitum* & *peregrinorum* &c. Ita dantur quoque *privilegia* familiæ aut *perſonalia*, quæ hæreditaria non ſunt.

§. 288.

Prudentia autarchæ circa has leges peculiares ea, quæ recepta uſu ſunt, examinabit, utrum ſaluti publicæ ſatis reſpondeant, nec ne; priora ut recte obſerventur operam dabit, poſteriora emendaturus aut priſtinæ reſtituet integritati, abuſu & impedimentis remotis, aut dubiis authentica interpretatione ſublatis, & ſi quid melius vel ratio ſuggeret vel aliarum ſimilium praxis, ea ipſarum loco ſurrogabit. Leges enim peculiares quibusdam civibus ſunt propriæ, non vero omnibus communes (§. 284.), eæque velut privilegia quorundam locorum, vitæ generum, familiarum & perſonarum conſiderantur (§ 287). Quia tamen indirecte his legibus omnes obligantur, ad relinquendum liberum privilegiorum & jurium peculiarium uſum his, qui illis gaudent, & ad omittendum, quidquid illis adverſatur (§ 854. *P. VIII. Jur. nat.*), ac eorum conceſſio & conſervatio pertinet ad jura majeſtatis (§. 855. *ibid.*) au-

Prudentia circa leges peculiares quæ requirat?

 tarchæ

tarchæ non tantum prudenter dispiciendum est, cuinam, quale & qua lege *salutis publicæ causa* concedendum sit privilegium (§. 256. *ibid.*), utrum personæ tantum uni, vel ad dies vitæ, vel ad brevius tempus; an cuidam ordini, collegio, provinciæ, urbi, familiæ id dari salutariter possit, an sub certa conditione, aut onere quocunque, vel sub pœna, ut abusu vel certo quodam facto aut non facto committatur, vel precario tantum concedendum sit vel concessum (§. 857. *ibid*); num rectius ejus usus fiat, isque sitne expeditus an impeditus & ab impedimentis liberandus, an abusus saltem extendendo irrepserit emendandus ac severe prohibendus, vel & ob maleficium, quod privilegium non attingit, auferendum sit (§. 858. *seqq. ibid.*). Id circo prudentia, quæ recte data sunt privilegia & jura peculiaria, ea tuetur contra eos, qui audent iisdem contraria attentare aut perpetrare (§ 863. *ibid.*), eaque bene merentibus sive personis (§. 864. *ibid.*), sive hæredibus ejus (§ 866. *ibid.*), sive familiæ (§. 868. *ibid.*), sive certo cuidam ordini & collegio (§. 869. *ibid.*), illæsa præstat & utilia, dubia in illis authentica interpretatione tollit (§. 828. *P. VIII. Jur. nat.*), nec temere dispensat, vel quæ revocari possunt, revocat (§. 870. *ibid.*), sed *propter merita & boni communis causa* potius auget (§. 872. *ibid.*). Quando autem illa mutata rerum facie in detrimentum multorum civium vergunt, autarcha ea prudenter tollet, aut mutabit, & duce ratione atque experientiæ suffragio, meliora illis substituet (§. 818. & 873. *seqq. ibid.*).

Quoniam privilegia sunt leges, quibus obligantur destituti illis, ad privilegiatos in usu & fructu eorum nequaquam turbandos (§. 854. *P. VIII. Jur. nat.*), habent hoc cum legibus peculiaribus commune, quod cæteri pariter nullum jus habent turbandi vel impediendi illos in usu legum suarum. Item quemadmodum privilegiis gaudentes non tantum jura sed & officia habent

habent peculiaria, quibus reliqui non adstringuntur: ita & legibus peculiaribus utentes & jura quædam habent & officia, a quibus illi sunt immunes, quorum leges alia præscribunt. Id quod in successionibus, testamentis, variisque aliis statutis manifesto apparet. Cæterum quorundam privilegiorum, præsertim oneroso titulo vel magno impendio adquisitorum & conservandorum ea est indoles, ut & alienandi potestas, cum illis conjungi possit soleatque (§. 878. *ibid.*).

§. 289.

Quando leges abrogandæ vel mutandæ sint aut non sint?

Abrogandæ mutandæque leges receptæ non sunt, quando recte consulunt publicæ saluti; nec si dubium sit, an aliæ illi melius sint consulturæ; si vero aperte officiant saluti publicæ, aut parum illi prosint, & meliores exploratæ habeantur, utique erunt abrogandæ & meliores iis sufficiendæ. Etenim si receptæ leges bene consulunt saluti publicæ, idque certum est, nulla ratio est, cur abrogarentur, iisque aliæ obrogarentur, nisi forte earum irrepserit abusus, aut varia impedimenta fraudulenta illis sint objecta, quorum utrumque tolli potest & debet (§. 288.), ut accuratius in posterum observentur. His casibus igitur prudens severitas abusui & impedimentis tollendis operam navabit diligentem.

Si incertum sit, an leges receptæ sint rejiciendæ, necne, & an aliæ illorum loco sanciendæ rectius vel deterius reip. sint prospecturæ, conscientia legislatorum erit dubia (§. 420. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed quia conscientia dubia agens peccat (§. 448. *ibid.*), ideoque potius nihil agere debet (§. 451. *ibid.*). Nihil vero agit, dum legem receptam non tollit, nec mutat, sed eam retinet, uti accepit, veluti calculo Minervæ (§. 85. *P. VII. Jur. nat.*).

Si vero certum est, receptas leges esse ex errore natas (§. 993. *P. VIII. Jur nat.*), atque omnino saluti publicæ obstare aut multum derogare, vel si ob mutatam rerum civilium faci-

em lex prior ſubſiſtere nequeat; agendum erit ſecundum conſcientiam certam (§ 610. *P. II. Phil. pract. univ.*). Ideoque noxiæ illæ aut præſenti rerum faciei adverſæ leges aut omnino erunt abrogandæ, aut eatenus mutandæ, quatenus veritati vel præſenti repugnant civitatis ſtatui indolique. Simul meliores erunt condendæ & faciei præſenti conformandæ, quam optime fieri poteſt (§. 288.).

§. 290.

Quid ſit tribunal idque ſummum?

Tribunal dicimus locum ſive ſedem, unde ſuperior judex jus dicit, vel forum ſublime. Noſtratibus dici poteſt das Obergericht. *Summum* igitur *tribunal* erit locus, unde ipſe rector civitatis jura reddit; ſive ſit baſilica, palatium, aut prætorium (die Höchſte vel oberſte Gerichtsſtäte). Cujus in deciſione adquieſcendum eſt.

§. 291.

Dari debet in civitate tribunal etiam ſummum, & quid in eo agendum?

Quia appellatio eſt provocatio & devolutio cauſæ ad ſuperiorem judicem ob ſententiam vel aliud factum, quod iniquum exiſtimatur, ut ipſe cauſſam decidat (§. 548 *P. VIII. Jur. nat.*); & appellationes in rep. ſunt admittendæ (§. 549. *ibid.*): *pateſcit, in civitate conſtituenda eſſe tribunalia, ipſumque tribunal ſummum in quavis civitate dari debere* (§. 290), a quo ultima graviorum controverſiarum deciſio petatur, in qua ſit adquieſcendum (§ 964. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod prudentia fieri jubet vel ita, ut decidatur lis necdum ſecundum leges excuſſa & deciſa; vel ut quæ jam deciſa eſt ſecundum leges, ſi recte ſe habet, confirmetur, & appellans pro caſuum diverſitate aut condemnetur ad ferendos appellationis ſumtus, & luendam temeritatis mulctam, aut ex æquitate ſumtus ſuos uterque ferat; ſin minus, ut legibus adverſa ſententia damnetur meliore ſubſtituta, ſaltem mitigetur, & ad æquitatem naturalem revocetur (§. 290.) & (§. 543. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 293.

§. 293.

Victus aut ſententiæ definitivæ ſe ſubmittit, & lis erit finita (§. 545. *P. VIII. Jur. nat.*), aut ambiguorum vel obſcuriorum interpretationem expetit; aut exiſtimat, ſe ea eſſe gravatum, & rationes ſuas exponit (§ 546. *ſeq. ibid.*), in *ſupplicatione*, quæ ipſi eſt *permittenda* (§. 551. *ibid.*). Sed *rationibus probe expenſis, ſi nil valeant, ſententiæ latæ ut ſatisfiat, injungendum; ſi quid lucis vel moderationis mereantur, illa mitiganda eſt, & lucidius declaranda* (§. 552. *ſeqq. ibid.*), ut ſciat, quomodo illi ſit ſatisfaciendum.

Quid ſupplicatione admiſſa ſtatuendum.

§. 294.

Quia rectorum civitatis eſt regimen ejusdem (§. 881. *P. VIII. Jur. nat.*), ipſi vero per ſe omnia regere nequeunt, ſed multa aliis ſunt committenda (§. 883. *ibid.*); itaque ſufficit, ſi res majoris momenti & remp. univerſam propius attingentes, & quæ in loco, ubi reſident, expediri poſſunt, ſibi reſervent (*ibid.*): *magiſtratus præſertim in tribunali maxime ſummo a rectore civitatis prudenter ſunt conſtituendi* (§. 162. & 884. *ibid.*), quorum conſilio & miniſterio utatur in cauſis gravioris momenti, & quo minus fallatur (§. 163. *ibid.*). Qui ut recte ſuis partibus præſint, obligandi ſunt & adigendi, interdum & adjunctis levandi (§. 919. *P. VIII. Jur. nat.*).

Conſtituendi ſunt in tribunali magiſtratus.

Ita dari poteſt Præſes ſummi tribunalis, ſi ipſe civitatis rector legitimo impedimento diſtineatur; dari in eodem poſſunt & ſolent aſſeſſores tribunalis, ut alius cujuscunque, ita & ſummi. Tribunalia pro cauſarum diverſitate variare ſolent, ut tribunal Eccleſiaſticum ſummum, feudale, criminale, ſanctius appellationum civilium tribunal (Oberappellationsgericht) &c. Conf. §. 896. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*

§. 295.

Cum Rectores civitatis res majoris momenti univerſam civitatem afficientes per ſe curare debeant (§. 26. & §. 883. *P. VIII.*

Prudentia circa digni-

tates civiles eximias. P. VIII. *Jur. nat.*), cujusmodi est cura, ut, qui bene de eadem merentur, a cæteris honorentur (§. 761. *ibid.*), per quam definiendi sunt actus externi, quibus is honor exhibeatur (§. 762. *ibid.*), quales sunt tituli & præcedentia (§. 764. *ibid.*), & generatim dignitates civiles cum juribus annexis, & officiis aliorum (§. 765. *ibid.*): *dignitates quoque civiles majoris momenti non sunt conferendæ nisi ab ipsismet civitatis rectoribus, nec nisi paucis eas merentibus* (§. 766. *ibid.*). Non vero debent esse venales, sed præmia insignium meritorum (§. 767. *seq. ibid.*), & gravius puniendi sunt, qui illis dignitatibus conspicuos ignominia afficiunt (§. 770. *ibid.*), ut eo ipso plures alii ad præclara in remp. merita incitentur (§. 771. *ibid.*).

Quia dignitates civiles, in primis majores, certa complectuntur jura, quæ aliis non conceduntur (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*), & majestati subsunt tanquam dignitati ejus, penes quem summum imperium est indivisum (§. 206.): sunt illæ privilegia seu jura peculiaria, earumque ideo collatio ad jura majestatis majora recte refertur, quatenus ipsæ dignitates majoris sunt in rep. momenti, & ad imperium summum exercendum pertinent, uti officia publica, quæ haud raro conjungi cum illis solent (§. 884. *ibid.*). Exposuimus supra dignitates diversas, quæ in civitate occurrunt, & quæ inter illas eminent præ cæteris, sive in ecclesiasticis & sacris, sive in profanis, sæcularibusque, ad quæ hic amandamus ista inspecturos.

§. 296.

Prudentia circa feuda in genere. *Pertinet quoque ad jura majestatis exercenda prudens constitutio, gubernatio & ademtio feudorum, inprimis majorum, quæ non subsunt nisi ipsimet Rectori civitatis.* Sunt enim jura majestatis omnia illa jura, sine quibus imperium publicum ita exerceri nequit, ut salus publica, quantum fieri potest, promoveatur (§. 810 *P. VIII. Jur. nat.*). Jam salutis publicæ ratio toties flagitat, ut imperium vel dominium, aut quædam ejus pars, in feudum detur, uti

dari

dari poteſt (§. 98. *ibid.*) & (§. 156. *P. VI. Jur. nat.*), quoties illa aliter vel plane, vel melius nequit promoveri, ſaltem conſervari (§ 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Præterea feuda quoque propter peculiaria & ſæpe ſingularia jura & officia ad privilegia referri poſſunt (§. 287.). Conſtat igitur, feuda quoque in primis majora & ſublimiora, quæ non ſubſunt niſi ipſimet civitatis Rectori, ad jura majeſtatis pertinere.

Vtendum hic nobis eſt hoc lemmate inter jura majeſtatis non obvio, itaque fuit hic evincendum, ſed reſtricte, cum dentur quoque ſubfeuda, quæ in re jam feudali alicui conceduntur a vaſallo (§. 300. *P. VI. Jur. nat.*). Subfeuda igitur ſubdito Vaſalloque, non vero proxime ſubſunt civitatis rectori, etiamſi ab hoc conſtituantur lege ſubfeudi.

Quoniam in imperio publico & juribus majeſtatis omnia referenda ſunt ad ſalutem communem ſeu publicam, ut ea, quantum fieri poteſt, ſalva maneat, & capiat ſubinde incrementa (§. 810. *P. VIII. Jur. nat.*), feuda quoque, quæ ad jura majeſtatis pertinere modo oſtendimus, prudenter in rep. ſunt tractanda (§. 209. *ſeqq.*). Prudens igitur eſſe debet feudorum inſtitutio, prudens exercitium gubernationis eorum, prudens ademtio, & translatio in alios, confiſcatiove.

Tria ſcilicet in feudo momenta potiora ſunt, origo ſeu initium, duratio continuatioque, & finis, quo deſinit eſſe feudum, aut omnino, in confiſcatione, aut ratione prioris vaſalli. In ſingulis hiſce ſapienter decreta ope prudentiæ quam optime ſunt exſequenda. Qua de re quædam erunt breviter excutienda.

§. 297.

Tum circa data, tum oblata.

Quia feuda prudenter ſalutis publicæ cauſa ſunt inſtituenda (§. 296.); inſtituuntur autem, vel dum aliis ſponte dantur a Rectore civitatis, vel dum oblata accipiuntur (§. 166. & 168. *ſeq. P. VI. Jur. nat.*): *& in dandis & in recipiendis feudis oblatis ineundoque contractu feudali* (§. 171. *ibid*), *prudenter circumſpiciendum*

& sectandum erit id, quod saluti publicæ præ cæteris est consentaneum, sive optimum factu (§. 296.) & (§. 622. *seqq. P. III. Polit.*).

§. 298.

Quid in dandis spectandum. *In feudis prudenter dandis habenda est ratio meritorum diversi gradus, præmiorum iisdem debitorum, dignitatum & honorum decore ex reditibus tuendorum, & præstantioris feudorum culturæ provehendæ.* In feudis enim prudenter dandis sequendum est id, quod saluti publicæ præ cæteris est consentaneum, optimumque factu (§. 297.). Sed saluti publicæ apprime consentaneum est, si publicorum meritorum diversi gradus ea ratio habeatur, ut condignis eorum autores cumulentur præmiis, quo & ipsi & alii ad majora subinde merita excitentur (§ 179. 183 *seqq.* & 590-610. *P. III. Poli.*). Feuda cum dent pinguius dominium, usu fructuque suo reditus annuos præstans (§. 155. *P. VI. Jur. nat.*), manifestum est, feuda gradu suo diverso insigniorum meritorum & præmia esse & incitamenta, eoque ipso saluti publicæ egregie servire, dum tuendis simul decore virtutum insignibus adhibentur (§. 208. *P. III. Polit.*).

Præterea cum feuda prædia plerumque, saltem status reditus complectantur (§. 259. *seq. P. VI. Jur. nat.*), quorum usus fructusque reddendus est, quam amplissimus perpetuusque (§. 297.); sed conductores, qui dominio rei carent, id potissimum curant, ut suis utilitatibus commodisque potiantur utcunque, parum de futuro prædii statu soliciti, experientia teste. Quare consultum haud est, ut rector civitatis gaudeat omnium agrorum bonorumque immobilium proprietate; sed sufficit, si quorundam dominio pleno gaudet, & in his vicariis fidelissimis utatur suo simul exemplo alios recturis (§. 152. *seq.*); cæterorum plerorumque vero dominium seu plenum seu utile in alios conferat, qui illa tanquam res suas quam optime curent & colant, ad fructus constantes & quam plurimos inde

capi

capiendos, quemadmodum fieri consuevit in prædiis rusticis, urbanis & feudis (§. 165. *not.* & *seqq.*). Proinde & feudorum culturæ quam optimæ in dandis illis est prospiciendum.

§. 299.

Prudentes conditiones feudorum dandorum sanciendæ.

Quia ex contractu feudali metiendum est jus, & officium tam domini feudi quam vasalli (§. 171. *P. VI. Jur. nat.*); *si feudum dandum sit, domino feudi prudenter dispiciendum est pro re nata, qua lege feudum optime detur in re feudali.* Constanter quidem feudum transfert dominium utile in eum, cui datur sub lege eximiæ fidelitatis a vasallo Domino feudi præstandæ; Dominus vero retinet dominium directum, & officium eum defendendi ac tuendi ut subditum suum adversus injurias tum pravorum civium tum exterorum (§ 161. *b. l.*). Sed præterea dari feudum potest, qua placet domino, lege & conditione; v. g. ut aut gratis detur in præmium meritorum ad dies vitæ, uni vel pluribus conjunctim, vel & simul liberis legitimis, vel ad aliud tempus definitum; aut ut aliquid pro eo detur & fiat, transmittique in legitimos descendentes possit, masculini, aut utriusque sexus. Item ut vasallus obligetur ad præstanda domino servitia militaria, ad certum canonem annuum præstandum loco servitiorum, vel ad continuam quandam præstationem in gratiam tertii cujusquam (§ 174. *seqq. ibid.*). Constitui feudum potest ita, ut revocari ob violatam officiorum fidelitatem possit, ut dominus ad quædam vasallo præstanda obligetur (§. 179. *seq. ibid.*); ut vasallus alienare id & mutare nequeat sine domini directi & successorum ejus consensu (§. 197. *ibid.*); ut jusjurandum fidelitatis cuique novo domino præstetur &c.

Moris olim erat ut feuda darentur ob servitia militaria, vel & ob alia merita, sub lege servitiorum militarium in bello oborto Domino feudi superiori præstandorum. Ratio procul dubio fuit, ut & alii ad similia merita excitarentur, & qui jam in illis

illis excellebant, eo majori fide fimul more veterum Romanorum pro fuismet aris focisque dimicarent. Sed partim tot capitum diverfa ftudia, diffidiaque, partim difficultas fuis fumtibus illa fervitia præftandi, & liberior agendi ratio, nec tam ftricte imperata faciendi promtitudo, ac fi milites alantur ad nutum imperatoris intenti, partim neglectus debiti exercitii in armis, & otiandi libido, effecit, ut præftatio tributorum ad alendos exercitus in armis fubactos, quocunque demum titulo fiat, præferatur, & qui apti proniquе funt ad munera bellica exercenda, eadem fubeant, ftipendiis alantur, & pro meritis fuis adquifitis ad altiora & lautiora evehantur. Ita enim ad merita confequenda velut nolentes volentes invitantur, qui alias otio torperent, excitata æmulatione & præmiorum cupiditate, obedientia quoque & concordia exactiore.

§. 300.

Item feudorum oblatorum.

In feudis oblatis examinandæ funt conditiones, quæ iisdem infunt, num bellum creare cum alia civitate poffint, tantine fint, & an e rep. fit, ut admittantur, vel aliæ æquiores earum loco requirantur mutuo confenfu ftabiliendæ? Feudum enim conftituitur pacto (§. 170. *P. VI. Jur. nat.*), & offerens feudum conditiones quidem offerre poteft, fub quibus dominium directum transferre in alterum velit (§. 169. *ibid.*), fed pendet a voluntate ejus, cui offertur, num acceptare illas, an repudiare potius, faltem quidquam in iis mutari velit, quod e re fua & civitatis non effe futurum animadvertit, fi contractus feudalis eft ineundus (§. 171. *ibid.*). Antequam enim utrinque de conditionibus conveniatur, contractus feudalis fieri nequit, & fi offerentis intereft, ut fuperioris tutela & clientela potiatur, in eas leges confentire debebit, fine quibus fecuritas & protectio haberi nequit. Quam ob rem confultandum erit, num plus mali an boni feudo oblato fit civitati oriturum, & num conditiones tanti fint, ut accipi mereantur, nec ne, an potius mutandæ fint fic, ut faluti publicæ refpondeant (§. 173. & 195. *ibid.*).

Huc

Huc in primis pertinet feudi jus hereditarium in utrumque ſexum extenſum aliosve ex pacto confraternitatis ſucceſſorio, item jus alienandi & oppignorandi feudum, non tamen in fraudem domini directi, ſed potius cum ejusdem conſenſu, quoties dubium eſt, num id ipſi ſit placiturum. Si vero jus alienandi & oppignorandi habet, manendum ipſi tamen eſt intra terminos præſcriptos. De jure immutandi item pacto eſt conveniendum, ut quidem ſalva relinquatur vaſallo mutatio in melius, non vero in deterius, v. c. ut illi ſervitutem adquirat, aut illud ab eadem liberet, non vero moleſtam ipſi imponat aut imponi patiatur. Pariter contractu feudali definienda ſunt jura, quæ domino, & quæ vaſallo eſſe debeant v. c. in venatione, piſcatione, in conſtituendo ſubfeudo, & quæ ſunt alia hujusce modi; quæ ſine conſenſu domini vaſallus contrahere poſſit, v. c. locare feudum, & quæ non niſi eodem impetrato; & vice verſa, quæ dominus facere nequeat ſine vaſalli conſenſu, v. g. ne dominium directum alienet &c.

§. 301.

Nec minus & cætera prudentiæ feudalis capita, quam optime ad ſalutem publicam ſunt adminiſtranda per ſe regnanti, & quæ controverſa in his occurrunt, partim legibus & tribunali feudalibus, partim ab ipſo Rectore civitatis ex æquitate naturali ſunt decidenda, ni ipſe judex in appellatione expetatur. Eſt enim circa feuda in genere ſectandum id, quod eſt ſaluti publicæ præ cæteris conforme & optimum factu (§ 297). Quapropter & in ſingulis partibus feudorum prudenter regundorum quæque optima factu cæteris ſunt præferenda, itaque & legibus inculcanda feudalibus, & obſervanda debite, & quæ ſecus fiunt, aut dubia ſunt, in curia feudali, quoties opus eſt, ab ipſomet rectore civitatis animadvertenda, conſultanda & decidenda (§. 290). Talia vero occurrunt modo in eligenda & definienda clientela, modo in ſpe feudorum & jure ea exſpectandi; modo in petitione

Prudentia circa reliqua feudorum momenta.

ipſa inveſtiendi ſolemnitate ejusque renovatione & homagio feudali; modo in laudemio, cenſu aut ſervitio; modo in matrimonio æquali & inæquali, quod ignobilius & ad morganaticam vulgus dixit; modo in dote & dotalitio, atque alimonio (apanagio) ultra legitime natorum liberorum & poſtumorum; modo in tutela liberorum & cura parentum vicaria; modo in ſucceſſione ab inteſtato ſecundum leges feudales, vel ex teſtamento, quatenus id licet legibus pactisve feudalibus, vel ex pacto hæreditariæ conſociationis; modo in jure primogenituræ & majoratu; modo in venia ætatis indulgenda & quærenda; modo in allodiis ſive non feudalibus bonis; modo in feudi reſtitutione, ceſſione, præſcriptione, apertura & conſolidatione; modo in felonia & perfidia feudali, criminibusque (§. 296). Conf. *cap. 2. P. VI. Iur. nat.* in quo natura feudorum, & quæ hic nominamus, fuſius explanantur.

Non opus eſt, ut hic de ſingulis feudorum generibus diviſionibusque agamus, cujusmodi ſunt feuda eccleſiaſtica & ſæcularia, franca h. e. libera & immunia ab omnibus ſervitiis & oneribus, & oneroſa, ſive militaria, eaque ligia vel non ligia, ſive cenſualia, laudemialia, quaternata, ſive emtitia ſint aut pignoratitia, ſive nobilia aut ignobilia; ſive guardiæ & guaſtaldiæ, vel advocatiæ, aut cancellariæ, ſive de camera & cavena, ſive ſoldatæ & habitationis, ſive armandiæ, & alia quæcunque. Neque de variis feloniæ modis hic exponendum eſt, de quibus in jure feudali agitur. Sufficit, hic commendaſſe prudentiam in omnibus illis accurandis, gubernandis, & ad ſalutem publicam attemperandis.

§. 302.

Academiæ & Gymnaſia a quo condi debeant.

Dudum Gymnaſia & academiæ ſeminaria reip. dici conſueverunt, in quibus adoleſcentes juvenesque inſtituuntur, ut habiles evadant ad officia publica recte exercenda (§. 436 P. VIII. *Jur. nat. in not.*). Cum interſit reip. bonos habere cives, habi-

habilesque ad officia publica recte subeunda, haud postrema esse debet cura rectoris civitatis, ut in Gymnasiis & Academiis juvenes rite erudiantur, ac ad munia publica præparentur. *Condi igitur debent a Rectore civitatis ipso Academiæ, quæ soli ipsi subsunt, cæteræ cum Gymnasiis, tamen ipsius indultu & autoritate* (§. 1019 *ibid.*). *Sic utroque casu condi debent ejus autoritate, qui gaudet juribus majestatis.*

Locis allegatis cæterarum quoque scholarum mentio fit, quæ huc non pertinent, ubi de iis, quæ per se agenda sunt rectori civitatis, sermo est. Illæ enim facile vel a privatis domi instituuntur, ut a parentibus erudiendæ suæ sobolis causa; vel ab inferiori magistratu, cui subsunt. Sed majoris momenti sunt, quæ in Academiis & Gymnasiis traduntur, ut propterea quædam ab ipsismet rectoribus civitatis personali majestate gaudentibus condi soleant, nec aliis subesse. Quæ non tantum de academiis heuristicis scientiarum artiumque, sed & de docentibus ostensum est *P. II. Polit.* Similia & olim fuere Gymnasia regia, & ex parte hodieque dantur præsertim academica. *V. not. ad.* §. 329 *P. II. Polit.*

§. 303.

Academiis & Gymnasiis prudentia non alios præficere jubet Professores, quam qui probe callent ea, quæ docere debent, dono docendi instructi sunt, omnem in institutione diligentiam & fidem adhibent, moribusque probis auditoribus se commendent (§. 436 *P. VIII. Iur. nat.*). *Magna igitur opus est circumspectione, ne munus Professoris conferatur in indignos*, cum omnia in pejus ruant, si professores munere suo non recte fungantur, experientia magistra. *Circumspectio circa Professores.*

§. 304.

Hæc circumspectio requirit 1) explorationem habilitatis naturalis & artificialis h. e. eruditionis solidæ & doni dida- *Partes hujus circumspectionis.*

ctici, documentis quam optimis obtinendam (§. 390 *P. II. Polit.*), 2) ſcrutinium vitæ ante actæ & morum decentium ac profuturorum, non vero nociturorum juventæ, per ſe ad prava pronæ (§. 397 *ibid.*). Quod ſcrutinium ſi omittatur, plus deficiet juventus, quam proficiet, aut erumpente pravitate & ſeductione, removendi turpius erunt, quam ab initio non admittendi. 3) Obligandi civiliter incitandique ſunt profeſſores ad fidem & diligentiam in doctrinæ & vitæ puritate, tum præmiis honorum & honorariorum, atque ſperandæ promotionis ulterioris; tum comminatione pœnarum promeritarum, ſi officio ſuo deſint (§. 395 *ibid.*); obligandi vero quoque ſunt ſtudioſi ad diligentiam ſimili modo (*ibid.*). 4) Opus eſt inſpectione, partim ſtato examinum tempore, partim quandoque improviſa, ſi quæ occurrant querelæ, in quarum veritatem eſt inquirendum (§. 396 *ibid.*). 5) Opus eſt denique præmiorum in merentes collatione, & irrogatione pœnarum, ſpreta admonitione & comminatione neceſſaria in aliorum exemplum.

Mirum non eſt, ſi neglectis his prudentiæ partibus Academiæ & Gymnaſia in deterius ruant, & juventuti ſtudioſæ, ipſique reip. & poſteritati male conſulatur, invaleſcente & docentium & diſcentium libidine ſuis indulgendi affectibus, & pro lubitu agendi & omittendi, quæ voluerint. Eſſet quidem optandum, ut nullis indigerent hæc ſcientiarum, artium & virtutum ſeminaria civilibus illecebris terriculamentisque, ſed ſponte ſua omnes agerent, quæ ſuarum ſunt partium, quæque felicitatis cujusque & publicæ ſalutis ratio requirit. At non vivitur cum tam perfectis hominibus, qui nullo indigerent vel invitamento externo ad bonas actiones, & avocamento a malis: ideoque & hæc prudenter ſunt adhibenda, ut cynoſura adſit haud diffitenda, ad quam in obeundo munere reſpiciendum ſit cuique, & verendum, ne ſecus agendo ſibimet pariat ignominiam miſeriamque

riamque intolerandam. Quanquam enim mitiora experiunda ſunt, antequam ad aſperiora remedia procedatur; hæc tamen emendari neſciam perverſitatem tandem non poſſunt non ſequi & exterminare.

§. 305.

Earum ulterior explanatio & ſumma.

Eundem in finem ipſe rector civitatis magnam curam intendere debet Academiis Gymnaſiisque (§. 1019 *P. VIII. Jur. nat.*), ipſe ſcientias & artes callere & amare, eos, qui iis excellunt, præmiis & honoribus decorare, ad easque quam optime propagandas & amplificandas, quanta poteſt, ſubſidia ſubminiſtrare (§. 1020 *ibid.*); nec tolerare ſordidos eruditorum aliorumve mores, qui aliorum laudi ac famæ, utcunque poſſunt, detrahere ſtudent, & per contemtum aliorum ad gloriam nituntur (§. 1021 *ibid.*); multo minus ferre, ut Profeſſores convitiis inter ſe certent, alii aliorum famæ inſidias ſtruant, & in cenſendis vel præclare meritis viris effrena libidine ingenii ſui vires oſtentent (§. 1022 *ibid.*). Potius artes & ſcientiæ ipſis ſunt tuendæ, protegendæ, amplificandæ (§. 1024 *ibid.*), ſarta ſalvaque ſervanda genuina philoſophandi libertas (§. 1025 *ibid.*), exteri quoque præmiis ornandi, conciliandi & alliciendi, qui in aliquo artium & ſcientiarum genere excellunt, ut præclare de eadem mereri pergant, aliosque ipſos æmulandi cupiditate incendant (§. 1026 *ibid.*). Aeſtimantur quippe dona regia haud immerito ex dignitate dantis, magnumque pondus ſortiuntur pretio affectionis, magnamque vim exercent in omnium animos, qui gloria ducuntur incitanturque ad majora ſubinde præſtanda & merenda. Generatim ex allatis eluceſcit, *Rectorem civitatis per ſe regentem plurimum conferre poſſe, modo velit, ad florem Academiarum, Gymnaſiorum, docendarum, emendandarum augendarumque novis inventis ſcientiarum & artium, quam optimum & maximum efficiendum in ſua civitate, & ad eundem*

 quam

quam utilissimum reddendum & suo sæculo & futuris, ad privatam pariter atque publicam salutem & gloriam civitatis, ad omne, quod capere potest, fastigium evehendam; & ad impedienda tollendaque hic adversa.

Multa his complectimur, quæ majorem lucem ex iis fœnerantur, quæ *Polit. P. II. Sect. III. cap. I. & II.* dilucidata sunt. Patescit facile ex Historia literaria omnis ævi, multo rectius ista omnia saluti publicæ consulere & servire, si ipse Rector civitatis suo exemplo doceat, quanti faciendæ sint bonæ artes atque scientiæ, earumque florem & incrementa sibi cum primis curæ cordique esse.

§. 306.

Prudentia circa emporia, urbes portusque.

Sic quoque emporia & urbes portusque præsertim, non nisi rectori civitatis subfutura, quo magis saluti publicæ expediant, eo prudentius ab ipso rectore civitatis condi, privilegiis & immunitatibus commercium utilissimum lucrosissimumque quaquaversum augentibus, nauticum maxime & cum remotioribus civitatibus peregrinis, instrui, & quam optimis legibus, brevissimisque viis & modis suum cuique tribuendi, damna vero & detrimenta præcavendi, beari gubernarique debent. Sunt emporia loca vel urbes, quæ commerciis continuis inter gentes destinantur, ideoque merces venales eis quovis tempore importare & exportare licet (§. 216 *Jur. Gent.*). Portus autem sunt loca munita ad litora maris, quæ navibus onerariis tutum præbent introitum & exitum, quæ commerciorum maritimorum causa fieri & conservari debent (§. 219 *ibid.*). Cum erigenda sint emporia perpetui cum exteris commercii promovendi causa, & portus condendi muniendique commerciorum maritimorum causa, quæ maximi esse solent momenti (§. 217 & 220 *ibid.*), ut commerciis maximi momenti omnis præsto sit securitas commoditasque, ut tutus semper mercimoniis sit accessus, transitus discessusque, tuta emtio, venditio, permutatio,

tatio, depoſitio, cuſtodia & recuperatio, ut controverſiæ mercatorum ſine mora dirimantur; cum privilegia varia ipſis ſint tribuenda ad commercia cum exteris provehenda; cum exteris ibi tuta dari debeat commoratio, rerum immobilium poſſeſſio, liberum religionis exercitium, juris patrii inter ſe uſus, immunitas quoque a vectigalibus quibusdam (§. 218 *ibid.*): non poteſt quisquam dubitare, quin illa juribus majeſtatis accenſenda, ideoque a rectoribus civitatum per ſe curanda, indulgenda, tutandaque ſint. Qua propter & legibus opus eſt mercatoriis, & judicio, & proceſſu ſummario præſcripto, quibus ea, quæ plerumque fiunt, excutiantur & decidantur, reliqua amice, quantum fieri poteſt, ex æquo & bono componantur, cunctis ambagibus reſciſſis; & quæ ſic nondum conciliari poſſunt, appellatione admiſſa decidantur.

Horum privilegiorum non poſtremum eſt *jus ſtapulæ*, vi cujus merces advectæ publice venum ſunt exponendæ, ſaltem in aliquot dies, antequam aliorſum transportari poſſint (§. 227 *Jur. Gent.*). Quod jus ne libertati commerciorum deroget, & in abuſum trahatur, probe eſt curandum. Facile quippe bona inſtituta, quæ cum lucro ſunt conjuncta, hujus aviditate depravari, & in deterius verti conſueverunt.

§. 307.

Quibus commerciis potiſſimum indulgendum?

Quia emporiorum, urbium & portuum ſecuritati, opportunitati, commoditatique proſpiciendum eſt (§. 453 *P. I. Polit.*), & vectigali opus eſt, ad vias reparandas & tutas ſervandas, & portorio ad ſumtus portuum conſervandorum, muniendorum reparandorumque cauſa (§ 453 *ibid.*): *prudentia omnem dare debet operam, ut commercia utiliora ſint quam florentiſſima, ideoque impedimenta libertatis eorum cuncta ſunt e medio tollenda.* Quapropter rerum abundantium domeſticarum confluxus ad emporia & portus omni, quo fieri poteſt, modo eſt adjuvandus,

expeditior & quam minime sumtuosus reddendus, exportatio earum itidem immunitatibus alibi vix obviis promovenda; & importatio earum, quibus vel maxime indiget civitas, vel plus, quam aliis mercimoniis, perficitur aut lucratur, oneribus diminutis, largior quam cæterarum similibus modis efficienda. In aliis vero luxui fere tantum servientibus onera vectigalium & portoriorum sunt eo magis augenda, quo minus civitati conducunt; & quæ nocent, plane interdicenda.

§. 308.

Nundinarum solenniorum commendatio.

Eadem ex ratione nundinæ quoque solemniores in emporiis prudenter sunt instituendæ, pro re nata augendæ & fovendæ. Etenim in nundinis solemnioribus copiosior solito est & importatio mercium quarumque internarum, & externarum venditio exportatioque per ipsosmet potissimum mercatores (§. 222 *Jur. Gent.*). Quare cum salva sic maneat emporiorum perpetua negotiatio seu minor mercatura, & in nundinis ea tantum stata & insolita quotannis capiat incrementa, majorque evadat ampliorque, nundinas solemniores facere insigniter ad promovenda commercia interna & externa liquet (§. 223 *ibid.*). Proinde necesse ac salutare est, ut pro rerum locorumque diversitate sapienter instituantur, & prudenter ad majorem subinde salutis publicæ stabilitionem amplificationemque insolita frequentia exerceantur, foveantur attemperenturque nundinæ statæ solemniores.

Nundinæ eximiæ a vulgaribus (Marcktagen), ad quas statis diebus rustici suas res venales comportant, sibique necessaria vicissim emunt, item ab annuis domesticis (Jarmarckten) vicorum (der Marcktflecken) & oppidorum (der kleinen Städte) differunt, licet & ipsæ quotannis statis pluribusque diebus succedaneis celebrentur. Illæ Romæ olim nono quoque die usitabantur, indeque novemdinæ vel nundinæ dicebantur. Hodie plerum-

plerumque quarto Mercurii, & septimo die Saturni vigent, & Sabbathinæ vocari possent. Ad annuas confluunt præter rusticos circumjectos oppida quoque vicina, eorumque mercatores venumdantes potius sua, quam coëmentes aliena. Sed in solemnioribus nundinis vel mercatibus (Messen) quasi messes mercatorum existunt largæ, magno cum quæstu multa simul vendendi & coëmendi. De his capienda sunt illa *Tullii de Offic. L. I. c. 42.* Quibus artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, hæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Mercatura si tenuis est, sordida putanda est, sin magna & copiosa multa undique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda, atque etiam si satiata quæstu vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari. „Quid per vanitatem innuat, constat ex his antecedentibus verbis: *Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nibil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam turpius est vanitate.*„ Prope igitur accedunt mercatus solemniores ad mercaturam magnariam, & cum ea arctius conjunguntur, ostenduntque velut magnificentiam mercaturæ, quæstuosissimam simul ceterisque laudabiliorem.

§. 309.

Quando propolia sint concedenda, vel non sint?

Propolia civibus præ peregrinis prudenter reservantur; inter ipsos tamen cives æque ac monopolia non sunt concedenda, nisi civibus salvum sit jus protimiseos in rebus ad vitæ necessitatem facientibus, & ceteroquin summa æquitas observetur. Civium enim est onera ferre & incommoda cum emporiis, portubus struendis, purgandis, defendendis cæt. conjuncta. Iniquum ergo foret, peregrinis relinqui commoda commercii externi, nec aliud inde sequi posset, quam civium interitus. Quare in emporiis, portubus, mercatibusque præsertim & solemnioribus & quæstuosiori-

ſtuoſioribus propolia civibus ſunt reſervanda, ut illi vel ſoli a peregrinis advectas merces emant, & peregrinis earum cupidis æquo lucro vendant, & peregrini nequaquam a peregrinis emere, ipſisque vendere ſua poſſint; vel in rebus minoris quæſtus, ea demum a peregrinis emere, ipſisque vendere poſſint, quæ cives emere aut vendere illis pariter noluerunt (§. 225 *Jur. Gent.*). Interdum & in his id promiſcue licet & civibus & peregrinis.

Ita v. g. Poloni in Pruſſia utraque dudum id impetratum ivere, ut ipſis Gedani, Regiomonti &c. liberum eſſet peregrinis ſua vendere frumenta, & ut viciſſim ab ipſis emere poſſent aromata aliaque mercimonia. Quod ipſis recte negari allatæ rationes oſtendunt. Neque enim ipſi in Polonia peregrinis talia concederent, quæ non poſſent non vergere in emporiorum ruinam.

Sed ſi inter cives propolia temere concederentur, id cum gravi eorum injuria conjunctum foret; cum omnium præſertim quoad neceſſaria vitæ præſidia par ſit jus, nec ideo quibusdam permittendum ſit, ut, antequam alii, res emant minoris, quas cæteris pluris vendant (§. 225 *cit. in not.*). Quam ob rem nec propolia nec monopolia civibus inter ſe in aliorum fraudem ſunt concedenda, multo minus connivendum illis, qui talia ſibi arrogare & uſurpare clanculum & ſubdole audent. Nequidem permitti debet, ut in contractu ineundo occupatos alius plus licitaturus interpellet, donec illi re infecta diſcedant. Neque enim mercatura & auctio easdem habent leges, ob diſparem plane rationem.

Diſparitatem rationis oſtendit neceſſitas multa minoris vendendi ac ſunt, inde conceditur, ſi quis plura dare velit, ut damnum quadamtenus compenſet. Quod in mercatura ordinaria non uſitatur, ubi potius quisque pluris vendere ſua ſolet, quam emit. Nec quisquam vult in ſua emtione ab alio turbari, utut plus offerente, ideo nec alios turbare ita debet.

Enim-

Enimvero si civibus salvum manet jus protimiseos tempore sufficiente, & quando illi satiati sunt, vel plus emere nolunt, tum demum illis permittitur residua emere, qui levi propolio utuntur, ut scilicet pro opera, qua circumferunt emta ad ædes civium aliorum, aliquid lucelli habeant, ab iis, qui dare id ipsis volent: tantum abest, ut hoc in civium injuriam fiat, ut potius ipsis, qui non habent, quos in forum mittant, aut per alia impedimenta eo mittere noluerunt, vel domi emere minoris possint, acsi alii majori mercede aut sublesta fide mittendi fuissent; vel & ita certiores fiant, esse id verum pretium, quo ipsorum famulitium talia alimenta emere solet. His ergo & similibus casibus propter bonum publicum concedi potest propolium restrictum ad æquitatem in eo observandam (§. 226. *Jur. Gent.*).

Huic privilegio propolii affine monopolium, pariter non nisi raro & ita concedendum, ne in aliorum injuriam verti possit (§. 875. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Item affine illi est jus protimiseos, ut, si v. g. civis idem dare velit, quod peregrinus est revera daturus, illi potius quam huic merx sit vendenda; vel si inter cives cognatus intra fixum tempus v. c. annum & diem, pro emta re immobili idem offerat, quod dedit civis non cognatus, illi sit res cedenda; vel si vicinus aut consors civitatis vel pagi idem dare velit, quod alius, qui vicinus aut consors ejusdem loci non est, illi sit cedendum, sive res ea jam emta sit, sive ab emturo tantum licitatio facta; item si certis personis permissum sit res suas vendere, antequam idem liceat aliis seu civibus, seu peregrinis. Quo modo Crucigeri olim in Prussia sibi arrogabant jus emendi & vendendi, quæcunque vellent, antequam emere aut vendere sua Prussis liceret.

§. 310.

Commercii externi amplificandi causa prudenter exploranda sunt fodinæ scatebræque omnis generis, & fœcundiores in primis excolendæ & ideo sunt & quam fructuosissimi *Detegendi*

(Wolfii Politicæ P. IV. S. I. C. III.) Ii

efficiendi rerum abundantium fontes. *quam fructuosissimæ reddendæ.* Dantur enim in fodinis fontibusque sive aquis & terris loci natales variarum rerum pretiosarum, (uti sunt metalla, semimetalla, salia, sulphura, gemmæ, lapides, margaritæ, succina, corallia, bitumina, lithantraces, terræ, resinæ, petrificata &c. præter regna vegetantium, animalium & arte factorum), quæ insigni cum emolumento exteris vendi, aut cum illorum rebus abundantibus permutari possunt. Ergo ad talia detegenda, augenda, perpetuanda, amplificanda, & quanto par est lucro exteris mature venumdanda prudentia rectorum civitatis est intendenda. Quo circa fodinæ & latebræ hujusmodi rerum naturales omni studio sunt detegendæ, & detectæ, quam optime fieri potest, elocandæ, colendæ & exercendæ, ac civitati quam fructuosissimæ efficiendæ.

Solet ideo jus metalli, fodinarum, salinarum, hydrargyri, gemmarum, succinorum, margaritarum cæt. ad jura majestatis referri, licet aliis exercendum credatur, qua convenit, fructuaria lege. Quemadmodum & jus ferarum capiendarum, venationis, aucupii, piscationis, in primis marinæ, cetorum, halecum, &c. eisdem accensetur. Idem dicendum est de auriferis &c. arenis, fontibus, fluviis, aquis, iisque, quæ ferrum in cuprum mutant.

§. 311.

Pertinet ad jura majestatis prudens usus juris honestandi natales & famam. Natales enim illegitimi sunt, qui non proficiscuntur ex matrimonio, sed ex illegitimo concubitu, uti stupro, adulterio, incestu, fornicatione (§. 537. *P. VII Jur. nat.*). Jam quidem liberis illegitimis parentum concubitus illicitus imputari nequit (§. 545. *ibid.*), ideoque nativitas illegitima famæ ipsorum nullam aspergit maculam, sed qui eam ipsis exprobrat, illis injuriam facit (§. 547. & 550. *ibid.*). Quia tamen civilis obligatio parentum ad vitandos concubitus illicitos, con-

conditionem ejusmodi liberorum deteriorem facere potest, ac legitimorum, non ut liberi propter parentes, sed parentes in liberis puniantur (§ 667. *P. VIII. Jur. nat.*): vulgus credit, ipsorum natales, ipsosque liberos macula famæ laborare, quasi una cum parentibus illicito concubitu peccassent, ad quem ipsi tamen nihil conferre potuerunt. Quare rector civitatis & hunc errorem removere & punire potest, si in actus illicitos erumpat, & jure dispensandi, quod majestatis est (§ 823. *ibid.*), tollere deteriorem illegitimi statum, ob merita singularia, eique gratiam facere (§. 843. *seq. ibid.*), ut legitime natis æquiparandus sit, quomodo civiliter ejus natales honestantur, vel honesta nativitas ejus declaratur, seu censeri jubetur ad instar honestæ.

Si cujus famæ ab ipso aut aliis labes vel macula adspersa sit, ob quoddam ejus factum, quo vel revera famam suam contaminavit, vel contaminasse videtur aut statuitur pœna civili: quando is postea se emendavit, virtutibusque & præclaris factis meruit, ut vel pœna civilis, vel error vulgi, vel delicti aut vitii mentio cesset, potest rector civitatis majestate sua & in eo prudenter uti, ob rationes modo memoratas, ut ipsum declaret liberum a metu exprobrationis ejusmodi facti, & honestatem ejus famæ reddat propter merita publicæ salutis causa præmiis afficienda & a pœnis liberanda.

Vera labes vel macula famæ consistit in facto illicito, & officiis adverso; aut & vitio, quod ætatis minoris, imbecillitatis humanæ, ignorantiæ, erroris, affectus irritati, morbi & aliam hujusmodi excusationem habet, per quam culpæ potius quam malitiæ imputandum reperitur. Falsa labes ex aliorum opinione erronea ortum ducit, uti in ficta natalium labe, quoad infantem natum, vel in carnificis conditione, quam famæ macula laborare ideo putant, quia sceleratos infames supplicio afficit, ipsis per judices dictato. Taceo alias opiniones his nihilo meliores.

Ad veras quodammodo referri meretur abolitio inquisitionis, in re dubia, aut ultra rem exaggerata ab inimicitia adversariorum (§. 846. *P. VIII. Jur. nat.*). Quando fama cujusquam purgatur seu honestatur, restitui ipsi perhibetur. Quibusdam brephotrophiis id privilegium est concessum, ut expositi in eoque recepti & educati infantes pro legitimis habendi sint.

§. 312.

Prudentia definit ætatem minorem & majorem. Lege civili definitur ætas, qua puberes, suique juris plerique evadunt, qui adhuc fuere impuberes & minores, idque ob lites præveniendas certo annorum v. c. 25. 21. 18. annorum numero; cum lex naturalis ad judicii habitum respicere jubeat, quo jam negotia sua per se recte tractare valent (§. 767. 768. *P. VII. Jur. nat.*). Cum vero præcocia ingenia aliquid eximium habeant, & a communi regula excipiendi sint: Rector civitatis dispensare circa illam ætatem plerisque statutam potest, & citius sui juris declarare eum, qui revera super ætatem sapit, & ea judicii maturitate jam gaudet, qua sui juris (majorennis) esse & censeri meretur.

§. 313.

Quid sit venia ætatis? *Venia ætatis dari* illi dicitur, qui dum supra ætatem solitam sapit, jam sui esse juris jubetur. Desinit ita esse juris alieni, v. c. sub curatoribus, tutoribus, patria potestate, & saltem suis in rebus æquiparandus est majoribus, res suas per se maturo judicio & probitate debita curantibus. Inde bona sua ipse administrare, a tutore aut curatore rationes administrationis bonorum suorum poscere, & res suas ab ipsis jure repetere potest hac venia impetrata.

§. 314.

Prudens datio veniæ ætatis quæ sit? Dum venia ætatis dari dicitur his, qui supra ætatem sapientes rebus suis ipsimet per se præesse valent (§. 313.), & Rector civitatis sui juris facere potest eos, qui ita supra ætatem

tem ſapiunt, ut perfecta judicii maturitate jam regere ſe ipſos, & majoribus æquiparari mereantur (§. 312.): intelligitur omnino, *rectores civitatis dare veniam ætatis eam merentibus poſſe.*

§. 315.

Quid protectorium vel tutamentum?

Protectorium vel tutamentum dicitur privilegium, quo cuipiam indulgetur peculiaris clientela & ſecuritas contra adverſarios ipſosque magiſtratus, quando id mereri animadvertitur, ut ab injuria immunis ſit. Noſtratibus vocatur Schirmbrief. Dari autem poteſt hujusmodi munimentum, qua licet & convenit lege; v. g. in certa tantum cauſa, ad certum tempus & locum, vel in genere & ſemper, ne quisquam vi adverſus utatur, ne magiſtratus quidem, ſub gravi aut & denominata pœna vel mulcta, a quovis toties luenda, quoties illi ulla vis inferatur.

§. 316.

Quomodo prudenter detur?

Quia Rectoris civitatis eſt privilegia dare vi majeſtatis (§. 855. *P. VIII. Jur. nat.*); & privilegia non niſi prudenter ad ſalutem publicam accuranda ſunt (§. 288.): *tutamenta quoque non niſi prudenter indulgenda ſunt merentibus contra vim defendi*, nequaquam vero nocentibus contra innocentes, aut illis ad illicita abuſuris. Proinde revocanda, & irrita vel invalida declaranda ſunt, quam primum innoteſcit, obreptitie per falſas delationes illa eſſe impetrata, aut tamen in abuſum verſa. Ejusmodi tabulæ libertatis obærati varias quoque admittunt conditiones, pro re nata variantes, fere ut protegentes literæ (§. 315.). Videlicet ne rigor juris adverſus ipſum debeat adhiberi v. g. intra annum, annos 5. &c. ſed indulta mora uti poſſit ad placandos bonis modis creditores forſitan verſura, & ad transigendum cum illis. Quorſum potiſſimum facit, ſi documentis idoneis evincere queat, ſe non ſua, ſed aliorum culpa aut malitia, aut adverſitate fortunæ, in eum ſtatum eſſe reda-

ctum, ut non ſit ſolvendo, ſed ad novas tabulas vel σεισαχθειαν compellatur. Brevius dicetur immunitas a rigore juſtitiæ contra debitores.

§. 317.

Quid ſint moratoria?

Moratorium (Anſtands oder ein eiſerner Brief) vocatur privilegium induciarum debitori id merenti conceſſum, contra creditores ejus, ut immunis ſit a rigore juris contra alios recepto, libere inter eos verſari, & amice cum ipſis transigere poſſit.

§. 318.

Quomodo prudenter dentur?

Mora quoque ſolvendi & libertatis moratorium debitoribus concedi nequit niſi jure majeſtatis (§. 855. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 317.). Ea propter *prudentia rectoris civitatis non indulgebit moratoria, niſi debitoribus malitia vacuis*, & vel adverſa fortuna, vel non tam ſua quam aliorum culpa aut dolo in labyrinthum ejusmodi deductis, ut ſolvendo impares ſint facti, itaque miſericordiam mereantur, quanta ipſis transactione concedi poterit a creditorum æquitate (§. 316.).

§. 319.

Quid ſint exemtiones civiles?

Exemtiones civiles dicuntur immunitates ab iis, ad quæ alii cives obligantur, vel a communibus civium officiis. Sunt illæ admodum variæ pro diverſitate onerum a civibus ferendorum. Dantur propter rationes idoneas ab oneribus tam perſonalibus, quam realibus nonnullis exemti quidam in omni vitæ genere. Ita dantur, qui jurisdictioni ordinariæ non ſunt obnoxii ſed exemti, & non niſi ſuperiori magiſtratui, vel ſoli civitatis rectori ſubſunt. Quis neſcit, clerum pontificium e ſeculari jurisdictione callide eſſe exemtum?

§. 320.

§. 320.

Quia exemtiones sunt immunitates a communibus civium officiis (§. 319.), ideoque inter privilegia numerari debent (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ e juribus majestatis ortum ducunt (§. 855. *ibid.*): *rectores civitatis exemtiones quoque non nisi prudenter concedere debent*, ita scilicet, ut, quod sic communi officio decedit, per alia officia compensetur & accedat, vel cæteroqui salutis publicæ causa meritis dignitati aut egestatis & impotentiæ necessitati exlegi datum esse & dandum intelligatur. *Quomodo prudenter concedantur?*

Patet igitur eximium aliquid illis inesse debere, qui jure eximendi sint a communi onere aut officio, quo mereantur ipsius salutis publicæ causa exemtionem concedendam & concessam. Salva igitur salute publica exemtio non nisi rara esse potest, & justa ratione suffulta, sive detur in perpetuum, sive ad tempus tantum, sive quacunque alia licita lege & conditione.

§. 321.

Angariæ dicuntur exactæ vecturæ publicæ (Notfuren) in viis publicis, ut & vehicula comprehendant, & jumenta & naves, quibus res urgente necessitate deducantur ad destinata loca. *Parangariæ* (Nothhülfen, Vorspann), notant exactiones earum in viis privatis & extraordinariis. Perspicitur inde, angarias & parangarias esse onera publica, sive ordinaria, sive extraordinaria. Astandæ erant tabellari regii, suis stationibus dispositi, qui jus angariandi habebant, quibus Græcorum hemerodromi fere similes erant, & Romanorum cursores publici. Quibus accensentur & homines viarum duces comitesque inviti. *Matth.* V, 41. *Quid sint angariæ & parangariæ?*

§. 322.

Jam jura necessitatis publicæ subsunt juribus majestatis, æque ac dominium & imperium eminens (§. 960. *P. VIII. Jur. nat.*). *Angariæ autem & parangariæ sunt onera publica* (§. 321.), *Prudentia circa angarias & parangarias.*

non nisi salutis publicæ causa imponenda (§. 778. *ibid.*). Quomodocunque ergo illæ spectentur, pertinent ad usum jurium majestatis, *neque præter necessitatem salutis publicæ ergo sunt exigendæ.*

De angariis belli tempore ab hoste exactis in irenarchia, quam hic tractamus, non esse sermonem, sua radiat luce. Tum enim militiæ præfecti, & belli duces, eas hostibus imponunt & extorquent pro lubitu. Sed pacis tempore nemo eas exigere potest, nisi Rector civitatis, aut illi, quibus exercitium hujus juris pro re nata demandat.

§. 323.

Quid sit posta cum attributis.

Cursus publicus, (vulgo posta, die Post) est institutum celeriter & tuto quaquaversum transferendi, quidquid libet. *Res corsoria* autem est, quidquid ad cursum publicum pertinet (das Postwesen). Est is vel terrestris vel nauticus. Quorum hic absolvitur celoce tanquam navi brevi & veloci (Jagdschiff), sive celete (ein Packetboot); ad oram autem propero remulco. Ille veredo h. e. vel equo tantum utitur vel manno celeri; aut vehiculo, ut cisio, rheda, clabulari, carpento, pilento. Qui præest rei veredariæ aut cursoriæ, appellatur ejus magister; qui exercent illam, sunt veredarii, celeres, cursores (Postboten, Postreuter, Postilione).

In *Codice Theodosiano L. 2. de Curiosis* (Postmeistern) legitur: Habens unius copiam rhedæ, flagitet mulas duas, aut rhedam usurpet, cui birotum (eine Karre, Cariol), vel veredum, (ein Reitpferd), postulare, vel clabulare (eine Landkutsche), permissum est. Hinc dicitur cursus clabularis *l. 22. Cod. de cursu publ.* qui militibus concedebatur. Quid intersit inter rhedam & clabulare, discitur ex verbis *l. 28. C. Theod. de curs. publ.* Non amplius rheda, quam mille pondo subvectet, & angariæ (clabulari) mille & quingenta sufficiant; & *l. 4. ibid.* ne quis post hanc legem amplius quam duas angarias, & hoc eorum, si qui ægri sunt, causa usurpare conetur, cum ad destinata proficiscitur, ita tamen,

tamen, ut pro singulis angariis bina tantum boum paria consequatur.

§. 324.

Quatenus cursus publicus non subest nisi rectori civitatis, eatenus & ipse & summus ejus magister prudenter est eligendus; summa autoritate tutus præstandus; quaquaversum opus est itinere brevissimo dirigendus; legibus denique ad ordinem stationum & dierum convenientissimum, & æquam vecturam, vel mercedem pro vectura solvendam, efficaciter redigendus adstringendusque. Quatenus cursus publici non subsunt nisi civitatis rectori, eatenus nec ortum nec modum habere nisi ab eodem possunt, qui juribus majestatis præest (§. 810 *seq. P. VIII. Jur. nat.*), & privilegiis accenseri potest non nisi a majestate concedendis (§. 855 *ibid.*). Est ergo Rectorum civitatis instituere & tueri sua autoritate cursum publicum, eligere summum ejus magistrum; eum quaqua versum consultum est brevissimo itinere dirigere, legibusque salubribus & ordinem mansionum dierumque convenientissimum præscribere, & feretrii naulique æquitatem haud violandam, sive homines, sive res, sive literæ celeritate, quanta dari constanter potest, aliorsum intra & extra civitatem perferri debeant. Quanquam extra civitatem non prioris, sed hujus rector ibi continuari jubet, quæ ad ejus confinia perferuntur: dum naturaliter omnes civitates earumque rectores se invicem spectare debent ut æquales (§ 250 *Jur. Gent.*), quorum jura ab altero non sunt usurpanda nec lædenda (§. 252. 256 *ibid.*

Prudentia regendi cursus publicos.

§. 325.

Ne jus monetæ cudendæ ad civitatem defraudandam exerceatur, pertinet illud merito ad jura majestatis (§. 938. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamobrem rectoribus civitatis diligenter curandum est, 1) ne desit civitati moneta omnis generis

Prudentia circa numos cudendos &c

ad res operasque comparandas sufficiens (§. 801 *seq. ibid.*); 2) ut proba sit moneta, & valor externus conveniat interno (§. 803 *ibid.*), idcirco præstantior vel ex puro auro & argento constet, vel ex signato sumtibus tantum detractis; 3) ideoque præscribatur, quantum vilioris metalli propter sumtus nobiliori addi in fabrica liceat, nec permittatur, ut ab illa lege recedatur sive a fabris monetariis sive ab aurificibus (§. 804 *ibid.*). 4) Multo minus ferendum est, ut vel moneta adulteretur, sed ut adulteratores investigentur, gravibusque pœnis & suppliciis coërceantur (§. 806); vel proba exportetur, & reproba illius loco utcunque a trapezitis & turpis lucri avidis &c. importetur; item ne proba quidem cudatur, nisi autoritate publica (§. 807 & 939 *seq. ibid.*); 5) ut valor externus monetæ tam propriæ quam peregrinæ definiatur, augeatur & minuatur, prout e re civitatis visum fuerit (§. 940 *ibid.*); & 6) si ob temporum calamitates monetæ ex materia exigui vel nullius fere pretii formatæ immodicus valor externus tribuendus, ut cessantibus illis cum proba moneta vilior illa permutetur. *Quem in finem opus esse intelligitur accurata indagine, num detur in civitate pecuniæ seu copia, seu inopia, & quanta ad ejus florem requiratur; prudenti præcautione, ne proba a quoquam minuatur, vel plane confletur, vel cum improba & adulterata permutetur; opus est ut depravatio manifestetur, depravata prohibeatur, & autores, si reperiri possint, pro meritis puniantur; opus idcirco est legibus, & officinis, item monetariis, monetalibusque præfectis & exploratoribus juratis & gravi pœna absterrendis, ne a fungendis partibus suis recedant.*

Si ad eum necessitatis articulum deveniendum fuit, quod & rarius contingit & fere tantum in obsidionibus, ut vilior materia pecuniæ & monetæ loco adhibenda fuerit: remedio opus est, ut pro viliori solita illa nobilior & carior adhibeatur restituaturque. Neque enim consultum est, ut vilior perpetua maneat, & si in nonnullis civitatibus nihilo melior aut deterior usitetur,

usitetur. Spartæ olim Lycurgus omnem auri argentique usum in numis removit, ac solo ferreo uti jussit, ac definivit, quantum ejus æquare uniuscujusque facultates deberet. Ita & æs alienum extinxit, & obtinuit, ne quis facile furari aut rapere, muneribus corrumpi, defraudere alterum posset, cum nec occultare injuste partam, liceret, neque possidere id magnum haberetur, neque usus periculo careret, neque in commerciis apud exteros locum haberet. Præterea omnibus supervacaneis rebus interdixit. Quare nullus mercator, rhetor, ariolus, agyrta aut supellectilis supervacuæ opifex Spartam veniebat, cum numisma utile abolitum esset, & solum ferreum usurparetur, cuius mina Aeginensis, 4 asses æreos seu æreolos valeret. Quæ *Plutarcho* debemus in *Lacon. apophth. Lycurgi.* Idem in Lycurgo refert, ipsum aurea & argentea moneta abrogata, solum ferrum ejus loco surrogasse; cujus præterea magno ponderi exiguum assignavit pretium, ut occuparet decem minarum summa amplum in ædibus armarium & plaustrum duorum boum advehendum. Quo instituto multa scelerum genera Lacedæmone sunt ejecta. „Mina habuit 100 drachmas argenti, Aeginensis drachma vero decem obolos Atticos, quorum Atheniensis drachma non nisi 6 complectebatur. Ideo Aeginensis mina habuit drachmas Atticas $166\frac{2}{3}$. Cum teste Plinio obolo inessent 10 æreoli, mina Aegin. continuit $16666\frac{2}{3}$ æreolos = 21 unciis 1 drachmæ & 13 granis Parisinis. Si drachma Attica valuit 4 sestertios romanos, Aeginensis valuit $6\frac{2}{3}$ sestertios, quorum $\frac{4}{100}$ seu 4 æreoli erunt $\frac{166\frac{2}{3}}{300}$ h. e. circiter dimidium sestertii. Achivis Homerus meminit rude æs & ferrum loco pecuniæ fuisse. Indi quoque fuso æro aut aurichalco usi sunt, & Lusitani olim; Byzantii vero & Romani primitus ferro mercabantur, bovem centussibus, ovem decussibus. Numa ex corio bubalo signatos scorteos asses congarium populo dedit, quos & Spartæ usitatos fuisse testatur *Seneca de Benef. L. V. c. 13.* his verbis: æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui

corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat. Dionysius vero Syracusanos perpulit stanneo numo uti. Peguani plumbo utuntur pro pecunia, Siamenses quidam stanno, Guineenses aliique conchis &c. Restitutio autem fieri potest paulatim, singulis parumper conferentibus, ut vilis numus tamdiu valeat, quantum debet, donec pro eo melior reddi possit numus, qui revera tantum valet. Notavimus supra chartam quoque & literas cambiales loco pecuniæ commode adhiberi, modo tantundem pro ea charta haberi in contractu possit, quantum pro æquali summa paratæ pecuniæ.

§. 326.

Non est nimium pecuniæ cudendum, aut aliud remedium adhibendum.

Quoniam cavendum est, ne nimium pecuniæ sit in civitate, ut pote quo pretium ejus privatorum ausu evilescit, & rerum cæterarum pretia augescunt, animi quoque plerorumque insolescunt & vitiis se dedunt (§. 429 *seq. P. I. Polit.*): *cavendum quoque est, ne nimium monetæ seu pecuniæ cudatur* (§. 325); *& si plus cuditur, quam expediret publicis usibus, illa abundans in thesauro cohibenda* (§. 194), *vel peregrinis debitis solvendis, & commerciis peregrinis fovendis impendenda est.* His enim modis liquet & in pace caveri, ne intra civitatem abundet, eique noxia evadat quomodocunque.

Hæc remedia contra nimiam monetam propriam tam prudenter sunt adhibenda, ut in quovis dato casu prospiciatur, quodnam ibi optime adhibeatur & cæteris præstet. Bellum quidem in eundem finem, minuendam scilicet pecuniam, facere potest & solet. Sed præterea, quod de illius usibus hic non agitur, nec de eo, quod ibi prudentia suadeat, sufficit hic notasse, hanc pecuniæ abundantiam justam belli causam esse non posse. Ne moneta peregrina, pecunia nimium augeatur, facile cavetur, si ea vel ita prohibetur, ut plane non sit accipienda; vel ut infra pretium, quod pro bonitate sua valere posset, tantum accipiatur, ut scilicet sumtus officinæ monetariæ ad minimum detrahantur

trahantur ejus domestico valori. Ita enim cum damno nemo eam expendere volet. Quod ubi commode fieri nequit, tanto pluris merces vendentur, ut nesciis & invitis peregrinis id tamen detrahatur, & dein officinæ domesticæ resignanda tradatur, ne præter necessitatem usus pretii externi recipiatur.

§. 327.

Medela diminuti pecuniæ usus per pretia rerum privatim aucta.

Si privata civium autoritate evilescat bonæ monetæ pretium, ut res carius emantur vendanturque quam antea, *neque id commode inhiberi malum possit*, *occurrendum illi prudenter est aliis modis, scilicet, ut vel ponderi vel notæ monetæ tantum detrahatur quanti pretium rerum est auctum.* Etenim si privati audent pluris vendere res suas, ac sunt, arrogant illi sibi aliquod jus pretia rerum pro suo arbitrio definiendi & constituendi, quod tamen non est, nisi rectorum civitatis, qui & laborum & rerum pretia ita statuere debent, ut quilibet ea sibi adquirere possit, quibus omnino indiget (§. 424 *P. VIII. Jur. nat.*). Quod quia cavendum est, ne in detrimentum jurium majestatis fiat (§. 212), utique non est permittendum, sed vel cavendum in antecessum, ne quis tentare audeat, nisi præfixam gravem pœnam, aut pro re nata graviorem & arbitrariam incurrere suo periculo velit, & irritum reddendum præterea attentatum facinus, quatenus fieri potest; vel quatenus id permitti potest, alia opus est medela. Hæc vero medela haberi potest bifariam, scilicet aut minuendo ejus pondus, manente nota bonitatis eadem; aut manente pondere, mutata, quantum opus est, bonitatis nota per additum aliud vilius metallum. Si utraque conjungatur, ex parte bonitati, ex altera parte & ponderi nonnihil detrahendo, mixta seu composita erit medela; neque dici poterit injusta, sed prudenter facta, si subsistatur intra compensationem ejus, quo pretiis auctis detractum est usui &

valori pecuniæ, derogatumque juri majeſtatis pretia rerum determinandi.

Quæ hic proponuntur, ea tam in forma regiminis illimitata & abſoluta quacunque, quam in limitate & temperata contingere poſſunt. Ideo hic nondum ſermo eſt, niſi de remediis generalibus, quæ in utroque caſu vel prohibere & punire poſſunt, quod committitur contra jura majeſtatis, vel permittere, ſi hoc melius videtur, & reſarcire damna juri illata alio modo, quo alias non fuiſſet opus. Quadamtenus naturalis ratio permiſſioni lenocinatur, per quam tum cultura metalli fodinarum, tum commercio externo copia auri & argenti augetur. Quoad & hujus & illius diminutio vel ceſſatio nec neceſſaria nec conſulta videtur, permiſſioni nonnihil indulgendum erit.

§. 328.

Quando pretia rerum jure augeantur vel privatim.

Si moneta deterioris conditionis ratione ſeu notæ, ſeu ponderis, ſeu utriusque excuſa eſt, nec exteris, nec indigenis vitio dari poteſt, ſi tanto pluris nunc res ſuas vendant, quanto moneta eſt minoris valoris. Sive enim pretium rerum a ſuperiore ſit expreſſe ſtatutum, ſive tacita approbatione uſu receptum intuitu melioris monetæ, civibus pro eodem numero numorum vendituris res ſuas tantum decederet, quanto minoris valoris ſunt numi. Denegaretur ergo ipſis, quod jure ſuum dicunt, ideoque læderentur damno, & injuria afficerentur. Quam vero pati non debent (§. 1057 *P. I. Jur. nat.*), ſed potius avertere (§ 973 *ibid.*) & (§. 493 *P. II. Jur. nat.*), nec ipſi tantum ſed & alii, qui poſſunt (§. 988 *ſeqq. ibid.*). Quare & civibus & exteris huic læſioni reſiſtere licet, ac tanto pluris vendere res ſuas, quanto deteriores prioribus offerunt pro illis numos emtores. Neque igitur exteris, neque civibus vitio verti poteſt, ſi ad avertendum ſuum damnum eo pluris faciunt & vendant res ſuas, quo deteriores ſunt numi in valore facti ſeu ratione ponderis, ſeu ad obruſſam.

Et

Et hoc naturale & æquum remedium adverſus diminutum numorum valorem per depravationem monetæ undecunque ortam. Quod exteris denegari non poſſe, omni dubio caret. Quanquam vero cives vel in forma regiminis abſoluta pati debeant, quæ mutare non licet; vix tamen, ac ne vix quidem, ob mutabile rerum pretium, per cauſas & naturales & civiles, fieri poterit, ut nihil ipſis liceat in augendo rerum ſuarum pretio ob dictas præſertim rationes.

§. 329.

Quomodo ſupplendi defectus reddituum publ. ob aucta pretia.

Quia aucto rerum pretio ſalaria quoque & ſtipendia ſunt augenda (§. 908 *P. VIII. Jur. nat.*); *ſi ſpes reducendi rerum pretii in priſtinum ſtatum non ſit propinqua, vel aperte augenda eo usque ſint tributa civium, ut ſuppleatur id, quod ipſis propter aucta rerum pretia deeſt; vel alio tectiori idoneo remedio erit utendum.* Dum enim omnes venditores locupletiores ob aucta rerum pretia fiunt cum damno eorum, qui publicæ rei inſerviendo ſalariis & ſcientiis ſunt indemnes præſtandi: æquiſſimum eſt, ut his damnum datum reſtituatur (§. 508 *P. II. Jur. nat.*). Prudentiæ igitur eſt, eum eligere modum, qui præſenti rerum faciei accommodatior cæteris deprehenditur (§. 10. 19). Illorum vero modorum alii ſunt apertiores, qui vel ad imponenda quædam nova tributa omnibus civibus, aut venditoribus tantum rerum ſuarum, vel ad augenda priſtina tributa ſeu omnium ſeu venditorum redeunt; alii tectiores, quibus tributa priſtina non augentur, & tamen ſcopus quæſitæ indemnitatis obtinetur, v. g. *auctis juribus ſtolæ ſeu reddituum accidentium* (§ 309 *P. VIII. Jur. nat.*), quæ militum ſervitio vel demenſo cedunt.

Videlicet quia accidentia recte in partem ſalarii imputantur, ſtipendiique, ſi commodius fieri poteſt, ut accidentia augeantur, quam ſalarium ſtipendiumque, prudentius augebuntur accidentia, quam fixæ mercedes aut honoraria. E contrario ſi hoc

hoc commode fieri nequit, aut non sufficit ad pensandum damnum, quod ex aucto rerum pretio sentitur, salaria ipsa & stipendia pristinæ conditioni erunt æquiparanda & eatenus augenda. De brevi igitur pretiorum vel incremento, ob annonæ caritatem hic sermo non est, quod compensat ubertas & copia sequens annonæ.

§. 330.

Aucta rerum pretia derogant usui pristino tributorum.

Quo magis aucta sunt & manent rerum pretia, eo minus pristina tributa haud abundantia sufficient ad ferendos publicos sumtus. Etenim si pristina tributa & vectigalia non abundant, in eum usum omnia impenduntur, cui sunt impendenda (§. 934 P. VIII. Jur. nat.). Ergo aucto rerum pretio non amplius in dictos usus, rerum & laborum publicæ saluti impendendorum pretia sufficient. Sed quo magis aucta sunt & manent rerum (quibus labores accensentur) pretia, eo minus his in posterum pristina tributa nec abundantia, nec ullatenus mutata, sunt suffectura ad sumtus publicos inde petendos præstandosque.

§. 331.

Modi detrimentum tributorum reparandi.

Quia tributa pristina haud abundantia eo minus sufficiunt publicis sumtibus, quamquam nihil mutatis, quo magis aucta sunt rerum pretia (§. 330): ne privati in dispendium boni publici locupletentur, quod nefas foret (§. 25 P. VIII. Jur. nat.), resarciendum est id damnum publicum sic, ut tributa conferenda rursus sufficiant sumtibus publicæ salutis causa necessariis (§. 580. P. II. Jur. nat.). Ideoque *si aperte restituenda sunt tributa in pristinum valorem*, quando is adhuc sufficeret, vel & in auctum illum per mutatum rerum statum, *vel quantum opus est, augenda erunt pristina tributa, vel nova imponenda; vel si neutrum est consultum, & mavult civitas, ne augeantur pristina tributa, usu alterius juris majestatis tectius illa compensatio accessioque necess-*

neceſſaria erit obtinenda, qualis habetur in numis recudendis aut renovandis, tam lucroſa & frequenti ratione, ut ſcopus obtineatur (§. 329).

Recudi dicuntur numi, quando manent priſtini numi ejusdem, cujus antea fuere, qualitatis & quantitatis, h. e. notæ ac ponderis, & ſola impreſſio utriusque faciei mutatur. Cujus cauſa priſtini numi in officina ſunt exhibendi, ut pro certo collybo aut manus pretio denuo cuſi reportentur, vel ut permutentur ſtatim cum jam recuſis. Si in numis aureis argenteisque nihil intertrimenti fieret præter manus pretium, nihil inde publica res obtineret præter officinarum monetariarum ſumtus, qui, ſi hoc omitteretur, ne quidem requirerentur. At ſi largius conſtituatur recudendi pretium, quam veri officinæ ſumtus requirunt, & valori non recuſorum tantumdem decedat, quantum recuſis additur valoris: lucrum illud cedit rectori civitatis & ærario publico vel ejus fiſco, nec exiguum erit, ſi omnes numi priſtini tradendi ſunt officinæ recudendi, paucis tantum pro memoria priorum rectorum civitatis conſervanda exceptis, nec exportandis, & in uſu minus valentibus, quam recuſi. Quod eo plus publico ærario præſtabit, ſi non tantum, quando novus rector civitati præeſſe incipit, recuduntur, ſed & ſæpius v. c. decennio exacto, ut fere tantum annus impreſſionis mutetur. In Gallia uſitatum eſſe recudendi conſuetudinem, vix quenquam lectorum præteribit. *De Vauban* ſummam pecuniæ uſitatæ ſtatuit ſuperare 400 librarum milliones. Quarum ſi centeſima tantum demtis ſumtibus in lucro reſtet, ſumma lucri conficiet 4 milliones. Qui ſi quovis vicennio iterentur, intra ſæculum 20 milliones ex hoc inſtituto prodirent, ſi ſingulis decenniis, quadraginta. *Graumanno* videtur Gallia ex auro recuſo $7\frac{7}{10}$, ex argento $7\frac{8}{10}$ qualibet vice lucrari, Italia 7, Germania 10 vel $12\frac{2}{7}$ e centenis numis. Vnde gallicos reditus $2\frac{1}{2}$ milliones facit, qui e ſumma Vaubani forent $30\frac{4}{5}$ milliones.

Renovari autem dicuntur numi, quando moneta uſu detrita non tantum ſignationem facierum fere perdidit, ſed & ponde-

ris detrimento laborat, ideoque opus eſt, ut detrita denua conflетur, & addito alio metallo nova inde moneta cudatur. Quare & hoc caſu priſca moneta officinæ eſt tradenda, & cum ob detrimentum, quod paſſa eſt, tum ob novos fabricæ & cudendi ſumtus, tum ob reſarciendum publici ærarii ſeu fiſci damnum, partim ex aucto rerum pretio, partim ex tributis non eadem proportione auctis emergens, viliori metallo addito, vel & pondere aliqua tenus deminuto, nova moneta ita ſignanda, ut redintegretur, quod publicis ſumtibus decrevit, & ob mox ſequuturum majus detrimentum ex ipſa nova moneta, eidem quoque ad certum tempus occurratur, quo novo remedio erit utendum. Vbi calculo opus eſſe apparet rite ineundo, ut impenſis detractis reſtet id, quod obtinendum eſt, vel & eo amplius, ne facile extraordinariis opus ſit tributis. Per privilegium Culmenſe ſub Crucigeris in Pruſſiæ ſtatutum fuit, ut ex marca vel ſelibra Colonienſi argenti 60 cuderentur ſolidi, intra decennium non niſi ſemel hac lege renovandi, ut 14 numi antiquati cum 12 novis permutarentur. Sic decedente $\frac{1}{7}$ intra trecentos annos $\frac{560}{300} = \frac{300}{300}$ omne argenti pretium antiquum fuiſſet abſumtum, niſi interim pretium altero tanto creviſſet ſeu auctum fuiſſet. Vid. *not. art. 43 Jur. Culm. p. 275.*

§. 332.

Augendum quoque auri argentique pretium.

Vt ergo, quantum fieri poteſt, civitas indemnis præſtetur, jure majeſtatis pretium pecuniæ, quantum ſatis eſt, ſubinde augeri debet. Rectorum enim civitatis eſt jus rerum & laborum pretia ita determinandi, ut quilibet ea ſibi comparare poſſit, quibus indiget (§. 424 *P. VIII. Jur. nat.*). Quare quum rerum cæterarum pretia ob ante dictas rationes ſenſim augeſcant, par eſt, ut & auri argentique pretium ſimiliter augeatur, ne prorſus evaneſcat, aut nimium deminuatur ejus uſus, ſed circiter talis conſervetur, qualis dudum antea ſapienter fuit ſtatutus. Vt ergo privatis pariter ac publicis reditibus ea præſtetur indemnitas, quæ haberi ope jurium majeſtatis poteſt; pretium

auri

auri argentique puri pari proportione est subinde augendum, qua rerum cæterarum pretium augescit, vel qua non signatum aut vasis ornamentisque adhibitum pluris venditur emiturque, ac olim in commercio.

Ex ultima periodo notatorum ad præcedentem §. manifesta est ratio, quod civibus intra 3 sæcula omnis pecuniæ usus dicta lege esset periturus, nisi interim altero tanto ejus pretium crevisset. Pariter & publicis reditibus nil restitisset, nisi duplum jam eorum pretium efficeret, ut adhuc simplum illud pristinum rediret. Verum tamen quia ob aucta rerum pretia simplum illud tributum non amplius sufficit, & præterea sumtus quoque & splendor majestatis, & salaria ac stipendia crescere ultra alterum tantum debent, cum & homines ipsi numero augeantur, non tantum interea duplo, sed triplo fere augeri pretium auri & argenti debet. Qua in re experientiæ suffragio utor & confirmor. Anno 1230 selibra argenti prope puri dabat 60 solidos, teste privilegio Culmensi. Auri eadem selibra duodecies plus valebat. Quare $\frac{60}{12} = 5$ solidi argentei valebant aureum solidum, sive ducatum = ʒj sive drachmæ auri prope puri. Postquam e selibra Coloniensi argenti cuduntur octo unciales, quorum puritati circiter, quod decedit, nonum fere præbeat; & pretia rerum ex eo tempore intra quinque &, quod excedit, sæcula octies propemodum aucta sunt: mirum non est, aureum nunc octo vel novem valere florenos (Gülden), quorum tum valebat unum (güldenen Pfennig). Sed hæc nomine tenus ita apparent; revera enim 5 illi solidi argentei $\frac{1}{12}$ selibræ quinque circiter tymfones Polonorum, vel thalerum vulgarem efficerent, & ideo auri pretium circiter triplo interim esset auctum.

§. 333.

Quid faciendum sit de abundanti?

Crescente interim subinde auri argentique copia, partim ex domesticis metalli fodinis, partim ex peregrinis, per commercium Indiæ utriusque &c. ne ipsa copia evilescat nimium,

mium, *concedendum est, ut non parum illius conferri possit in vasa, instrumenta & ornamenta omnis generis, & exportari ad alios, qui illis indigent, & pro illis merces lucrosas vendunt.* Eruitur scilicet teste experientia passim latens in terræ visceribus, detectisque auri & argenti fodinis, fluviis &c. utrumque metallum copia haud spernenda. Quod si omne monetis impenderetur, non tantum reliquus ejus usus inconsulte negligeretur (§. 100. *seqq.* 134.), verum quoque abundaret pecunia & evilesceret (§. 193. *seq.*). Inutile quoque foret, si infectum thesauro inferretur, cum lucrosum interim multis esse posset, dum otiosum jaceret (§. 195.). Quod & de jam signato valet, si diu ita absconditum lateat præter necessitatem (§. 161.). Quapropter non tantum rectoribus civitatis licet illud aliis dicare usibus, sive suismet ad splendorem & ornamenta majestatis (§. 160.), sive & similem usum ad vasa, instrumenta & ornamenta varii generis civibus pro sorte sua concedendo, sive & mercatoribus, ut fructuosioris commercii causa ad exteras civitates exportetur, vel & ab aliis vicissim importetur (§ 326.).

Sunt, qui intra sæculum Germaniam 170 milliones e fodinis obtinuisse autumant: societate Hafniensi, Suecica & Belgica multos milliones quotannis ad exteros exportantibus. Belgæ aurum vili pretio alibi emunt, unde aureis cusis multum lucrantur, passim diffusis per commercia simul, cum aliis infectum aurum $\frac{1}{8}$ carius esset aliunde quærendum. Quando pecunia semper augetur, nec exportatur, crescit subinde, secundum *Andr. Hookii* calculum quotannis ultra sesqui centena millia, seu 1, 64772 libras Sterl. in Anglia augetur, quod incrementum ab anno 1660 ultra 30 conficit milliones. Sed relatum quoque legimus, societates Indicas quotannis fere exportare sesqui millionem librarum Sterl. videlicet auri signati 38092 uncias & infecti 2977, argenti vero utriusque generis 2, 327329 uncias; earumque loco mercimonia referre 2, 875000 librarum Sterlingicarum. Mireris licet, si perpendis, mercimonia reportata consistere in rebus seri-

ſericeis, goſſypinis, foliis Theæ, fabis in pulpa ceraſis affini natis, in nitro, pipere, lignis tinctoriis, cœruleo Indico, aromatibus & murrhinis. Sed mirari deſines, reputando iſta vi auri argentique domi tantum lucrari non poſſe, quantum iſto commercio externo; potius inde vilitatem ejus & commercii detrimentum eſſe oriturum.

§. 334.

Cujus commatis monetæ ſint præferendæ?

Vbi auri argentique puritas ad obruſſam, quanta uſitata eſt, requiritur vel in honorem civitatis, vel commerciorum externorum cauſa, ibi caute graviterque prohibendum eſt, ne illa a quoquam minuatur, vel citra permiſſionem deſtruatur, conſletur vel exportetur; ubi vero id ſperari nequit, ibi non alia monetæ nota & gravitas adhibenda, quam quæ inter vicinos circumquaque uſu venit. Quidquid enim publicæ ſalutis ratio requirit, id in rep. curandum eſt, ut ſit & fiat (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare ſi in honorem civitatis, inque alium ejus uſum internum aut externum requiritur ſat purum aurum argentumque, uti perſæpe fit, quando vel factum & ſignatum vel infectum erogandum eſt, aut reſervandum: omnino ſine publica venia illius nihil vel exportandum erit, vel deſtruendum, vel depravandum. Numorum diminutioni commode occurritur margine literis aliisve notis inſignito.

Vbi vero conſervatio probæ monetæ, & melioris, quam vicinorum ſperari nequit; ibi neceſſum erit, ut moneta non ſit niſi ejus notæ & ponderis, quibus vicinæ gaudent monetæ. Sic enim nulla erit ratio eam exportandi, nec ulla ſpes lucri inde conſequendi, cujus cauſa tantum vel præcipue exportari ſolet. Nec tantum in hoc caſu deterioris erit commatis moneta, quam aurificum obruſſa, ſed quoque aliquanto minoris erit notæ purior moneta, ob ſumtus majores & aliquod præpondium, ne uſu detriti numi facile & brevi tempore juſtis leviores evadant.

Comma igitur ſeu typus monetarius non omnino eandem metalli obruſſam monetariam requirit aurariam & argenteam, quam aurificum, ſed paulo inferiorem, ne ſcilicet ſine damno in re argentaria conflari numi poſſint. Ita quippe validiſſime occurritur nummorum in aurificina conflationi. Vbi numi per raro cuduntur, itaque ut in tantum tempus durent, quo poſſunt, donec inopia alios vel plures cudere cogat; ibi pretiorum incremento temerario aliter occurritur, v. c. prohibitionibus & mulctis prævaricatorum, aut novis impoſitis tributis, vel veteribus auctis, & detrimento ponderis obviam itur per nonihil præpondii, ex tenui additamento vilioris metalli oriundo. Si nihilo melior ſit domeſtica quam externa vicinorum moneta, facilius conſervabitur propria, & prohibita arcebitur aliena, cum utrinque nulli fiat injuria, & ratio ſuam pecuniam conſervandi ubique ſit eadem, neminique vitio vertenda.

§. 335.

Modus optimus paciſcendi cum alia civitate.

Rector civitatis ſuo marte regnans, quando nil obſtat, prudentius paciſcitur cum alterius civitatis rectore coram, aut literis ſuis, quam adhibitis miniſtris. Cæteris enim paribus præſtat proprio marte imperium ſummum exercere, quam alieno (§. 26.). Rector civitatis quoque multo certior eſt, omnia eſſe ſecundum ſuam voluntatem facta, quam potuit fieri optime, ſi ipſemet omnia egit, quam ſi tantum ipſi credendum eſt miniſtro, quod omnia ita egerit, uti narrat (§. 26.). Quare etſi fœdera cum alia civitate ſint pangenda, cujuscunque fuerint generis, ſi pacta quæcunque præſertim pacis ineunda, brevius omnia & tutius peragentur inter ipſos rectores civitatum, ſive coram ſecum agere malint, ſive literis ad ſe invicem datis uti, niſi legitimum obſit impedimentum (§. 210. *ſeq*.).

Quot capita, tot fere eſſe ſolent diverſæ ſententiæ de eadem re præſertim haud plane manifeſta. Itaque eo diutius res extrahuntur, eo plura inter ſe colliduntur ſtudia ſibi invicem adverſa,

versa, quo plures ad res arduas conciliandas adhibentur. Ea propter si non nisi duo sint rectores civitatum inter se conciliandi, hi licet antea explorarint suorum consilia, facilius convenient, quam si ministerio plurium aliorum utantur. Idem etiam valebit, ubi plures sunt ejusdem summi imperii consortes, si prius inter se concordarint, quam cum alterius civitatis rectoribus de pactis incundis agant (§. 279.).

§. 336.

Quid in forma reip. temperata de Juribus majestatis tenendum?

In forma reip. temperata qualibet observandæ sunt leges fundamentales, ut cuivis sua jura maneant salva, & sua quisque quam optime exerceat & exsequatur. In forma enim reip. temperata jura majestatis variis modis limitata sunt & divisa (§. 278.), (§. 61. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 2. *seqq. P. II. Polit.*). Quæ leges fundamentales cum tam sancte sint observandæ ac pacta (§. 280.): utique in forma temperata majestatis jura cuique debent salva manere, cui per pactum sunt adquisita, & secundum easdem leges quam optime sunt exercenda & exsequenda ab iis, quibus sunt demandata.

Quando quidem omnes rectores civitatis bene regere debent suam remp. (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*), possent adhuc varia de arte bene regendi remp. in medium proferri, quatenus id regimen per eosdem exerceri debet. Sed de excellentia virtutum autarcharum, quibus id obtineri debet, supra jam est actum, æque ac de aliis quibusdam eodem pertinentibus. Vid. *Cap. VI. P. VIII. Jur. nat.* De rebus magni momenti probe deliberandis, antequam decernantur & suscipiantur, adhibendisque eum in finem consiliariis peritissimis earum rerum, de quibus agitur, & fidelissimis, agetur deinceps. Nec vivorum tantum consilia autarchis exploranda sunt, sed & historia arcana pristinæ suæ & celeberrimarum aliarum civitatum in simili statu acta cum suis eventibus consulenda diligenter sunt, ut, quæ felicem habuere exitum, itidem aut melius adhibeantur, quæ secus cecidere, cum suis causis evitentur, quæ ope memoriæ semper ante oculos

los obverſari debent (§. 21. & 50.). Ars vero conjectandi hominum aliorum animi receſſus & mores vel Semiotica moralis, perparum eſt exculta, & cum aliis in ſequenti ſectione attingenda. Quæpropter ſine mora ad illam ſectionem ſeu irenarchiam vicariam transibo.

POLITICAE PARTIS IV.

SECTIO II.

DE PRVDENTIA PACIFICE REGNANDI PER ALIOS.

CAPVT I.

DE Prudenti irenarchæ ſelectu vicariorum, ſeu adminiſtrorum.

§. 337.

Quibus rectores civitatis ipſi præeſſe nequeant?

Dantur multa vel in pacata civitate regenda, quibus Rectores civitatis ipſi præeſſe nequeunt. Quot enim dantur in qualibet civitate loca diverſa & admodum diſſita, quot cœtus hominum in pagis, oppidis, urbibus, ditionibus, provinciis &c. in quibus quotidie geruntur & regenda ſunt, quæcunque ad ſalutem publicam promovendam, & impedienda, quæ illi contraria ſunt, facere poſſunt? Fieri autem prorſus nequit, ut vel monarchæ, vel optimates, vel qui in democratia nomine populi ſummæ rerum præſunt, ſimul in his omnibus locis ſint, & partibus ſuis exſequendis fungantur, cum nemo eorum niſi in uno loco præſens eſſe poſſit. Vbi vero rectores civitatis

tis præſto eſſe nequeunt, ibi nec ipſi rebus illico ſubitoque regendis præeſſe & remp. regere valent (§. 881. *P. VIII. Jur. nat.*). Quemadmodum in monarchia monarcha, vel in regno rex, in ariſtocratia optimates conjunctim, & in democratia univerſus populus eam regere debet (§ 882. *ibid.*). Accedit, quod, etiamſi ab iis diſcedamus, quæ moram non patiuntur, vel & periculum in mora habent, reliqua tamen, quæ poſſent ad rectores civitatis deferri, adeo tamen vel monarcham, vel collegium optimatum aut populare obruerent ſua mole, ut illis expediendis impares forent, ſaltem officiis erga Deum, & ſuos, immo vitæ ſanitatique ſuæ conſervandæ & innocuæ commoditati vitæ deeſſent, itaque peccarent. Taceo, quod & quædam ſua exilitate majeſtatem dedecerent, quæ meliora & præſtantiora habet, quod agat. Quibus cum moraliter rectores civitatis præeſſe nequeant, diſpaleſcit, multa dari in pacata quamvis civitate regenda, quibus civitatis rectores aut phyſice aut ethice præeſſe nequeunt, niſi vitæ commoditate & jucunditate licita privandi ſint.

Egimus de prudentia regiminis pacati per ſe gerendi, quatenus id ſalvis officiis potioribus naturaliter & moraliter fieri poterat. Jam oſtendendum erit, quando alterutrum vel utrumque fieri nequeat, ideoque legitima obſint impedimenta imperio per ſe exercendo. Cum ultra vires nulla ſit obligatio, nec imperium publicum ibi per ſe exercendum erit, ubi id ſeu phyſice ſeu moraliter vires humanas excedit & dedecet, ideoque in officio eſſe nequit. Neque enim deterioris conditionis eſſe debent rectores civitatis, quam reliqui cives, vitæ præſidiis commodis, jucunditateque innocua fruentes.

§. 338.

Vbi rectores civitatis reip. regendæ ipſimet præeſſe ſalvis officiis *His per alios* *nequeunt, ibi neceſſe eſt, ut operam dent illi per alios bene regendæ.* *bene regendis* (*Wolfii Politicæ P. IV. S. II. C. I.*)

Mm Omnis *opera danda.*

Omnis enim rector civitatis bene regere debet remp. (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod cum quocunque tempore fieri debeat, pacis quoque tempore fieri debere manifestum est. Sed dantur & in pacata civitate regenda admodum multa, quibus rectores civitatis ipsi præesse salvis officiis necessitatis, decori, commoditatis innocuæ jucunditatisque nequeunt (§. 337.), quibus non nisi aliorum adminiculo & ministerio præesse possunt, ideoque & debent (§. 883. *P. VIII. Jur. nat.*), cum sufficiat, ut sibi reservent ea, quæ majoris sunt momenti, remp. universam propius attingunt, & ubi resident expediri queunt (*ibid.*). Patet inde, ubi rectores civitatum reip. regendæ ipsimet præesse nequeunt, ibi necessum esse, ut operam dent illi per alios bene regendæ.

Par fere ratio est vitæ privatæ, quanquam multo minus negotii habentis, quam reip. curatio. In privatis rebus, inquit *Cicero pro S. Roscio c. 38.* si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quæstus aut commodi causa, verum etiam negligentia, eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, non minus turpe quam furti. Credo propterea, quod *quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur.* Quam qui lædit, oppugnat commune omnium præsidium, & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. *Non enim possumus omnia per nos agere.* Alius in alia re magis utilis. Id circo amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Cætera legantur ibidem. Capite 27 urget adversarium, quomodo occidit (patrem)? Ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romæ non fuit. Si per alios fecisse dicis, quæro servosne, an liberos? &c. *Lib. III. de offic. c. 7.* Hanc, ait, partem relictam explebimus nullius adminiculis, sed, ut dicitur, marte nostro.

§. 339.

§. 339.

Adhibitis dignis regiminis vicariis.

Quemadmodum parentibus dignis utendum eſt vicariis, quando ipſi ſuis partibus fungi nequeunt (§. 417. *Oecon.*): ita *rectoribus civitatis*, quatenus opera danda eſt, ut, ubi ipſimet regendæ reip. præeſſe nequeunt, ibi per alios remp. bene regant (§. 338.), *non niſi dignis utendum eſt regiminis vicariis*, qui id præſtent, quod ipſimet præſtare debebant, niſi legitime impedirentur (§ 847. *P. VII. Jur. nat.*).

§. 340.

Nempe vicariis monarcharum, optimatum & populi totius.

Regimen in monarchia eſt penes monarcham, in ariſtocratia penes optimates, in democratia penes populum univerſum (§. 882. *P. VIII. Jur. nat.*): proinde quia dari debent regiminis vicarii in civitate (§. 339.); dabuntur *vicarii monarcharum, optimatum, totiusque populi.* In mixtis vero & temperatis reip. formis diviſa quidem ſunt inter heterogeneos imperii conſortes imperii ſummi jura; nihilo tamen ſecius ob ſupra dictas rationes (§. 337.) & ibi opus eſt *temperati regiminis vicariis.*

§. 341.

Idque vel vivis vel mortuis civitatum rectoribus.

Ceu parentum & mortuorum & vivorum opus eſt vicariis (§. 419. *Oeconom.*): ſic quoque *regiminis vicariis opus eſt in civitate, non ſolum mortuis earum rectoribus, antequam alius ſucceſſit, verum etiam iisdem vivis* (§. 339. *ſeqq.*).

Quando mortuo rectore civitatis illico alius ſuccedit, tum propter illius mortem nulli opus eſſe vicario pateſcit inde, quia qui tum illius loco præeſt, non vicario ſed ſuo jure remp. regit. Vicarius autem tantum aliquas partes rectoris civitatis ſibi demandatas accepit, quas ſubeundo alterius vicibus fungitur. Mortuorum igitur rectorum vicarii tantum requiruntur, antequam ſucceſſor defuncti adeſt, aut fungi ſuis partibus valet.

§. 342.

Quando in monarchia adeſt

Quando in monarchia hæreditaria ſaltem ſucceſſoria confeſtim

opus sit vicariis. *adest successor, gerendo imperio par, tum nullo opus est vicario; quando autem per ætatem aut aliam impotentiam impar est imperio per se exercendo, utique vicario indigebit.* Etenim quando monarcha hæreditario vel proprio jure succedit in imperio, cui gerendo par est, is suo jure imperat, suisque partibus ipse fungitur, non vero alienis, sibi duntaxat delegatis. Non est igitur ipse vicarius cujusquam, multo minus defuncti, neque quatenus ipse præest reip. vicario opus habet.

Quando autem hæreditario jure succedens legitimo impedimento impar est imperio per se exercendo: tum vel in iis, quæ remoto illo impedimento ipse regere valet, legitime impeditus per alios expedire debet (§. 338.). Hic casibus ergo defunctus civitatis rector, hæreditarius licet, indiget tamen vicario regente, qui tantisper vicibus illius præsit. Id quod contingit, quando succedens ætate minor est, quam ut maturo judicio respp. probe expendere & discutere possit; vel gravi morbo impos factus est, ut exercitio summi imperii fungi queat.

§. 343.

Quando vicarii simul sint tutores? *Quando proprio vel hæreditario jure succedens ob ætatem nondum par est regimini reip. vicarii, quibus indiget, simul esse possunt ipsius tutores, vel curatores, vel ab illis diversi.* Si succedens defuncto rectori civitatis suo vel hæreditario jure per ætatem impar est summo imperio suopte marte exercendo, gerendum illud tantisper erit per alios (§. 338.). Sed tum alii quoque educationi ipsius & patrimonii ejusdem administrationi præesse debent, quamdiu se ipsum regere & patrimonium suum curare nescit (§. 847. *P. VII. Jur. nat.*). Cujusmodi vicarii cum appellentur tutores vel curatores (§. 848. *ibid.*), indigebit quoque tutoribus curatoribusque. Itaque vicarii regiminis defuncti rectoris civitatis vel simul erunt ejus tutores & curatores, vel alii ab his diversi, prout usu est receptum, vel legibus aut testamento defini-

finitum, ob majorem pupilli ſecuritatem educationisque præſtantiam.

Sicuti rex vel princeps hæreditarius hujusmodi gaudet imperio, cujus cives vel plane non ſunt participes, vel tantum in aliis juribus, v. c. tributis imponendis, augendisve, militibus conſcribendis, & ſimilibus, nihil fieri poteſt ſine ipſorum conſenſu: ibi tutores vel curatores ſuccedentium pupillorum vel minorum, h. e. nondum adeptorum id ætatis, quibus ſui juris fiunt, itaque & ſuis & publicis rebus præeſſe valent ſecundum ſtatuta recepta, ſimul eſſe ſolent vicarii regiminis ſummi. In temperatis autem imperiorum, regnorum & principatuum formis ſtandum eſt iis, quæ legibus fundamentalibus & uſu recepta ſunt (§. 280. *ſeqq.*). Si feudale ſit ſummum imperium (§. 100. *P. VIII. Jur. nat.*), poteſt dominus directus minoribus, qui id merentur, veniam ætatis indulgere, niſi pacta obſtent (§. 313.). Si enim per pacta vicariis jus ſit quæſitum ad certum ætatis annum completum, v. c. octavum & decimum, vicibus regiminis gaudendi, nec male adminiſtrant regimen, ſalvum ipſis manere debet jus legitime partum & a domino directo confirmatum. Idem obtinet in ſenatu, cui vicarium imperium ſummum ſimiliter eſt attributum per leges cardinales vel conſtitutionem comitiorum.

§. 344.

Quomodo mortuis vicarii dentur ante novam electionem.

Vbi imperatores, reges & principes limitati eliguntur, ibi eligentes aut perpetua lege unum pluresve vicarios defuncti conſtituere poſſunt, qui ipſo jure vices ejus gerat; aut poſſunt ſtatim poſt fata quenquam conſtituere vicarium velut interregem, qui ipſis præ cæteris arridet. Etenim ſi rector civitatis electus moritur, ejus jura imperii redeunt ad populum, vel eos, quibus jus eſt ipſum eligendi, atque incipit interregnum. Eſt igitur in arbitrio populi, vel concilii eorum, quibus jus interregni & eligendi legitime partum eſt, in quem vel quos vices defuncti transferre velint, & qua lege (§. 316. *P. VIII. Jur. nat.*). Si velit igitur lege funda-

mentali unum pluresve constituere defuncti vicarios certa lege restrictos, cujus aut quorum imperium vicarium seu interregnum eodem tempore incipiat, quo defuncti imperium finitur; id ipsi licere dubitari nequit, & eorum jus æstimandum erit ex lege de vicariatu recepta, incipietque, quando sedes vacare cœpit, & finietur simul ac electus rector civitatis in exercitium summi imperii est admissus (§. 317. *ibid.*). Quod si vero maluit, demum post fata vicarium regiminis eligi ab illis, quibus id est demandatum, ut præferri possit, qui id tum præ cæteris merebitur, saltem electoribus præ cæteris arridet; ea quoque ratione vicarius vel vicarii regiminis obtinebuntur.

Sic perpetua lege mortuo imperatore romano germanico duo habentur ejus & imperii vicarii, quorum alter est Elector Bavariæ antea Palatinus, alter Elector Saxoniæ. Controversia Bavari & Palatini haud ita pridem pacto est sopita. In Polonia perpetua lege interrex est Primas regni, sed limitatæ per ordines regni potestatis, cujus mortui vel impediti vicibus haud semel functus est Episcopus Cujaviensis. Plura exempla peti possunt ex *P. II. Polit.* §. 132. *in not.* Angliæ vicarium imperium indicatur nota §. 136. Hungariæ §. 141. Lusitaniæ §. 142. Alia exempla Historia aliorum regnorum & principatuum dabit. Ordine Crucigerorum in Prussia rerum potito, post Magistri fata a Præceptoribus, qui illico adesse poterant, eligebatur magistri generalis vicarius, quicunque ipsis arridebat. Quod liquet ex Historia Prussiæ & ordinis Theutonici, uti post mortem *Conradi de Wallenrod*, a præceptoribus electus est vicarius ejus *Wilhelmus de Helfenstein;* post *Conradi de Jungingen* fata *Wernerus de Tettingen*; defuncti *Vlrici de Jungengen* vices tradebantur *Henrico de Plauen.* Interdum & moribundi magistri annulum & sigillum cuidam tradebant, cui tacite vices suas demandabant, sed si is fratribus minus arridebat, alium eligebant magistri vicarium. Hujus erat, convocare cæteros ad electionem, & consilio totius conventus Præfectum electorum eligere, & no-

& novum magiſtrum inaugurare, traditis ipſi ad altare muneris ſui inſignibus, annulo, ſigillo, cæt. Defuncti Pontificis romani vices gerunt tria collegiorum cardinalium capita, primicerius Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum.

§. 345.

Item quando vel quaſi mortui ſunt?

Si forſan Rectores civitatum in captivitatem ſunt abducti, vel regimine ſe abdicarunt, vel tempus eorum regimini præſtitutum exiit, vel amentia, vulnere & diuturno morbo impares facti ſunt imperio ſummo exercendo; eadem fere ratione, ac ſi vivere deſiiſſent, vicariis imperii erit utendum, quos vel ipſi deſignarunt, vel leges aut ordines regni. Nempe his caſibus ipſi quidem non ſunt mortui, ſed quia regimini præeſſe vel nequeunt, vel nolunt amplius, abdicatione vel derelictione regiminis, itaque præeſſe eidem æque non deprehenduntur, ac ſi eſſent mortui; vel pro civiliter mortuis ſunt habendi, & imperium redit ad eos, a quibus id accepere (§. 314. *P. VIII. Jur. nat.*). Igitur a voluntate eligendi jure præditorum dependet, utrum quaſi interregnum ſtatuere, & num vicario imperio legibus definito interim uti, an ordinum conſenſu regimini proſpicere velint, prout conſultius videtur (§. 344). Si id jus ad populum univerſum rediit, eique alia reip. forma priori præferenda videtur, poteſt & alia reip. forma introduci (§. 315. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 346.

Quando abſentiæ itinerariæ cauſa opus ſit vicariis?

Rectore civitatis peregrinante, vel in longe diſſitas ditiones ſuas abeunte, ut abſentia ejus diuturna ſit futura, vel & mors interim forte oppetenda: vicario itidem opus erit regimine quam optime inſtituendo; ob brevem autem abſentiam, nec longinquam, comitari ipſum poſſunt, quibus in exercendo imperio indiget. Longa nimirum peregrinatio, & profectio in loca valde remota etiamſi non aliena, obſtat aperte, quo minus rector civitatis ipſe ſummo imperio præeſſe poſſit. Quare in his caſibus opus eſſe regimine vicario inte-

interim quam optime instituendo, ut ipsius vices ex ejus præscripto saluti publicæ convenienter gerat (§. 339.).

Enimvero si brevis tantum nec valde remota erit absentia, causæ magni momenti vel poterunt usque in ejus reditum differri, vel peti e locis haud longinquis potest declaratio ejus voluntatis, & si quibus indiget senatoribus, quorum ope in decidendis negotiis secundum leges fundamentales utendum est, illi eum comitari, & cum ipso ibidem commorari possunt, quoties ex absentia ejus nullum in mora & distantia tantula nasci periculum potest (§. 26):

Prior casus occurrit in imperio romano germanico, imperatore in Italiam profecto, ubi vel regi romano, si is jam habetur, vel vicariis imperii supra dictis vices ejus interim creduntur. Occurrit quoque in Anglia, quando Regi in electoratum Hanoveranum & Germaniam excurrendum est. Posterior casus haud raro & hoc sæculo persæpe adfuit in Polonia, Rege Polonorum plerumque in Saxonia sua degente, & circa comitia fere tantum in Polonia commorante, quamdiu status rerum fuit pacatus.

§. 347.

Num in aristocratia vel democratia interregno locus?

Quia in Aristocratia concilium optimatum, & in democratia senatus e pluribus constat, & utrobique legibus jam provisum esse solet, quinam in locum defunctorum succedere vel eligi debeant; vix contingere potest, ut ibi mortuorum civitatis rectorum causa peculiares imperii vicarii sint constituendi, nisi forte dira omnes optimates & senatores peste subito absumente. Etenim in Aristocratia summum imperium non est nisi penes universos optimates seu integrum eorum concilium, singuli autem sunt concilio subjecti (§. 143 *P. VIII. Jur. nat.*). Item in democratia universus populus, vel ejus senatus necessario constituendus (§. 142 & 190 *ibid.*), summo gaudet imperio, quatenus id ei senatui est concessum (§. 188 *ibid.*), & singuli in illo non sunt nisi subditi. Quapropter dum sin-

ſinguli tantum moriuntur, perſtat ſummum imperium penes cæteros, & quo plures eorum ſunt, eo minus neceſſe eſt, ut in loca defunctorum illico alii ſuccedant. Multo magis ſalvum manet regimen, ſi legibus cautum ſit, quinam ipſo jure in defunctorum locum adſcendere debeant, aut brevi tempore per electionem vel ſenatus vel populi aut ordinum illis ſint ſurrogandi. Quare rariſſime ſi unquam per mortem ibi velut interregnum oriri poteſt, ut opus eſſet vicario interim regimine conſtituendo, niſi forte peculiari fato lues aut peſtis ita graſſetur, ut, antequam per leges defunctis alii ſufficiantur, cæteri ex concilio vel ſenatu jam extincti ſint (§. 340 *ſeqq.*).

Non diſceptabo cum quoquam, utrum talis caſus præſertim in democratia extiterit unquam, neque nunc excutere omnes hiſtoriæ minutias vacat. Sufficit exiſtere poſſe caſum, cæteris conditionibus huc congruentibus, ut, ſi alii e ſenatu eſſent ab hoſte capti, alii lue magno numero abrepti, alii mente capti, aut alio modo impares regundæ reip. facti. Certe vix erit quisquam negaturus, poſſe vel integrum optimatum concilium vel ſenatum ab hoſtibus capi & abduci, ut hæc ſola cauſa ſufficiat ad oſtendendum, nihil hic fingi, quod non aliquando exiſtere & dari queat.

§. 348.

Etiamſi vivant, præſto ſint & regnent rectores civitatis pro virili, reſtant tamen caſus multi, in quibus ipſis opus eſt regimine vicario licet pacato (§. 337 *ſeqq.* & 341). *Hi vicarii differunt inter ſe pro diverſitate negotiorum publicorum, in quibus eorum opera eſt adhibenda.* Alia nempe negotia regiminis publica ſunt *interna*, quæ dantur in gremio civitatis, & in eodem manent. Alia vero ſunt *externa*, quæ civitati intercedunt cum variis aliis civitatibus, conjunctim aut ſingulatim ſumtis (§. 276-283). Neque minus differunt negotia *ſacra* & *ſæcularia* (§. 284); *difficiliora* & *faciliora expeditu*; *ſuperiora* & majoris

Vicarii autarcharum uti differant?

momenti, atque *inferiora* & minoris momenti ad publicam salutem. Denique dantur negotia frequentiora & *ordinaria*, dantur quoque rariora & *extraordinaria* (§. 726 *P. II. Philos. pract. univ.*)

§. 349.

Qui sint vicarii superiores & summi?

Negotia majoris momenti vocamus, quæ ad usum jurium majestatis præcipuorum pertinent, vel cum illis tamen arctius sunt conjuncta (§. 241 *seqq.*). Inde etiam patet, quænam maximi sint momenti negotia, videlicet, quæ ad summorum vel præstantissimorum majestatis jurium exercitium requiruntur. Hinc *superiores regiminis vicarii* occupantur circa præcipuorum majestatis jurium usum quam optimum præstandum, quando & quatenus ipsi rectores civitatum eidem per legitima impedimenta impares sunt. *Summi* autem *regiminis vicarii* funguntur viribus rectorum civitatis in præstantissimis juribus majestatis exercendis, saltem in his eos sublevant, adjuvantque (§. 339).

Germanis illi dici possunt die Oberstatthaltere vel obern Reichs- (Regiments) Statthaltere; hi autem die obersten oder höchsten Statthaltere. Tales quoque extra regna in rebus publicis, quæ vocantur, dari posse, Belgium vel ipso nomine Stadthouder declarat, quanquam illud latine gubernator reddi solet (§. 189 *P. II. Polit.*). Cujus dignitas & functio quoque vocatur Stadthouderschap, die Statthalterschaft, gubernaculum reip. vel summa præfectura.

§. 350.

Divisio ordinariorum vicariorum summorum.

Vicarii summi ordinarii (§. 348) vel funguntur vicibus præcipuis præstantissimisque rectorum civitatis, ubi ipsi sunt præsentes, vel ubi præsentes esse nequeunt. Hi scilicet prorectores (sit venia verbo!) eorum loco præsunt reip. in valde dissitis regionibus & provinciis, ubi ipsi ne esse quidem & majestatis

jeſtatis jura confeſtim, ut par eſt, exercere poſſunt. Qui ſi Regum loco ibi ſint, non ſatis latine, *proreges*, ſi conſulum loco, *proconſules*, aliisque nominibus paſſim appellari ſolent. Illi vero rectoribus civitatis ibi præſto ſunt, eorumque vicibus funguntur, ubi ipſi regnant, in tractandis expediendisque illis, quibus ipſi vel impares ſunt, vel ſalvis reliquis officiis potioribus præeſſe nequeunt (337). Hujusmodi eſſe ſolent *miniſtri primarii*, adminiſtrorum principes vel intimi, vel Præſtites, vel ſecundi a rege, vel quibuscunque aliis nominibus compellentur aut ſint, licet non compellentur.

Poſſunt reges vices ſuas interdum tradere reginæ aut cognatæ gubernatrici, quia non deſunt imperia & regna, quibus feminæ ſumma cum laude præfuere. Sed ubi viri ſequiori ſexui parere indignum ſe putant; ibi viris potius vicarium credendum eſt imperium. Tales ſunt, qui jam conſortes ſunt imperii regnique, quatenus jam non ſuo tantum ſed & vicario alterius jure remp. regunt. Concipe collegas imperii (§. 678. *ſeqq. P. I. Polit.*), vel electos jam adjutores & ſucceſſores in imperio vel regno, uti Regem Romanorum, Imperatori Germaniæ adjunctum. Concipe in regno temperato optimates, ordines, vel ſenatum, ſummi imperii participes, quatenus vicibus funguntur rectorum civitatis. Jam in valde diſſitis regnis aut provinciis proreges (Schaltkönige), Proconſules (Landpflegere), propraetores &c. non ſunt inuſitati. Neque deſunt, quibus rectores civitatum velut amiciſſimis omnia propemodum credunt, traduntque arcana ſua ſummaque jura adminiſtranda, ut non niſi pauca ſibi reſervent. Qui Græcis Protoſtatæ, latinis præſtites, dici poſſunt, & plerumque primicerii vel primores miniſtri, olim majores domus, melius *intimi regum* dicuntur.

§. 351.

Ne proreges futuri in valde diſſitis regionibus ſuam facere poſſint majeſtatem, ſimili opus eſt præcautione, ac ſi in Ariſtocratia vel democratia *Cautio circa proreges.*

mocratia uni aliquando committenda sit summa rerum (§. 537 & 627 *P. I. Polit.*). Huc ergo facit proregum explorata virtus & fides, potentia & potestas restricta, & adjunctio ephororum, si quid suspectum occurrat denuntiantium, una cum temporis brevitate & rationum stata redditione.

§. 352.

Quando consultum sit vel non sit prorege uti.

Vbi & animi & virium infirmitas nullam metuendi causam affert, & personæ fideli atque idoneæ splendor fortunæ conciliandus est summo affinis: ibi vicarium vel vicariam regis prudenter adhiberi patescit; in contrario casu præstat plures præficere, juribus ita distributis, ne facile conspirare possint. Nimirum priori casu par est, ut personæ consanguineæ splendori pro dignitate prospiciatur, dum ab infirmitate animi & virium nihil metuendum est, & fides potius ac virtus quævis bona sperare jubent (§. 351). Quapropter prudenter vices regis aut reginæ ejusmodi personæ magnifico splendore dignandæ tribuentur, mutabili lege, si quid præter spem irrepat.

Enim vero extra hunc casum tutius erit, si administratio jurium ita divisa sit, ut ipsa eorum æque ac personarum diversitas in studiis suorum emolumentorum vix ac ne vix quidem conspirationem admittat. Vnusquisque enim malet sua commoda, quæ certa esse novit, sibi conservari, quam rerum novarum studio se immiscere, quarum incertus eventus & periculum haud incertum at permagnum.

Feminæ aut reginæ si gubernatrices constituantur, quæ dominandi ambitione non laborant, & a rebus novandis alienissimæ sunt, accisa præsertim potentia sic, ut, etiamsi a malignis pravi quidquam inspiraretur, impotentia tamen irritum ostendat fore omnem conatum: conditio prior manifesto se offert; quanquam & par animus statusque virilis illi suppar haud invita veritate censetur.

§. 353.

§. 353.

Vestigia majorum domus in Gallia Pipini & Capeti, docent, qua circumspectione opus sit in forma absoluta, ne ab iis exitium immineat nimium illis confidentibus otiosisque (351). Non opus est, ut hic ex historia repetamus, quæ tum contigerunt, quoniam paucis ignota erunt. Sufficit, inde elucere, quam facilis esse possit interitus rectorum civitatis, si vel officium negligant, vel ei impares evadant, quando homini ambitioso nimium sunt confisi. Confirmant id plura exempla Calippi, Agatholis cæt. etiam recentiora, nec feminis tantum, sed & viris exitiosa, ni tempestive occurratur. *Necessaria circa præstites cautio.*

§. 354.

Quando evelli ex animis populi nequit pronitas ad seditionem, dum res regiminis haud prospere cadunt; non inconsultum est, uti ministrorum principe, in quem culpa devolvatur, & cujus remotione a ministerio seditio sedetur aut præveniatur. Est quidem turpis error, quando temere culpæ ministerii tribuitur, quod eidem non debetur (§. 30 *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Multo autem deterior is est, quo propter exitum rerum votis contrarium animi fiunt seditiosi, & remotum ab imperio cupiunt illum, cujus res gestæ optatis non responderunt, quasi imputari possent, quæ non sunt in potestate (§. 527-533 *ibid.*); aut eventus negotiorum humanorum non essent incerti (§. 203 *P. II. Phil. pract. univ.*). Quamdiu tamen seu per spuriam religionem seu per præjudicium error iste populi animis eximi nequit; tamdiu utique consultum est, noxam erroris a rectore civitatis avertere. Id circo si vere admissa sit culpa vel malitia, ea recte in autorem suum, ministrum scilicet illum, qui illi rei præfectus erat, devolvetur, ut ejus pœnam luat. Si vero culpa ejus aut nulla sit, aut minime tanta, propter quam ab- *Usus primus principis ministerii.*

 dican-

dicandus esset, præstabit tamen, ipsi eam potius per errorem populi imputari, quam rectori civitatis, cum speciet enus aut ad breve tempus tantum ita dimitti possit, ut pœnam haud sentiat, & animis mitigatis aut errore interim liberatis revocari ad ministerium possit.

Cum error sit evitabilis, de quo hic agitur, patet, eum in cultioribus civitatibus, veram colentibus religionem, aut non dari, aut facile suppressum iri, si forte propullulet. Vbi autem incultior civitas præjudiciis his laborat, uti fere magnus Ottomannidarum (*Vezirius*) administer ideo adhibetur, ut seditiones ejus remotione extingui aut præcaveri possint: ibi ejus ministerio periculoso prudentia utitur, quamquam præstaret, errorem potius eximi, quam foveri hoc remedio ancipiti. Evadit tamen & propter alias rationes, & propter periculum summum, brevi tempore aut finem fastigii pæne summi imperii, aut perniciem omnisque fortunæ eversionem afferens, sic satis aptum ad scopum utcunque obtinendum in personali tantum nec hæreditario dignitatis genere.

§. 355.

Vsus num quis apud autarcham? *Autarcha aut principe ministro carebit, aut gravissimorum curam sibi reservabit, relicta ipsi tantum minoris momenti rerum discussione, cæterarum quadam præparatione, summaria recensione, & consiliorum subministratione, quando illis opus videtur.* Scilicet autarcha non indiget ministro intimo, nisi ubi ipse reip. regendæ, ut par est, præesse nequit, salvis officiis necessitatis, commoditatis, jucunditatisque licitæ (§. 338). Merito igitur omnibus, qui justam de aliis conquerendi vicariis regiminis causam habent, aditum concedit, & ne in reliqua peccet officia, uni vel pluribus intimis suis præviam explorationem & momentorum examen committit, ut id ipsi breviter enucleateque proferatur, ad illa eo citius & commodius decidenda. Idem de aliorum summæ majestatis jurium exercitio sentiendum.

Quare

Quare autarcha aut principe miniſtro caret, pluribus utens vicariis in ſuo quoque genere negotiorum, quo excellit; aut, ſi quo gaudet cæteris in præcipuis præſtantiore, illi partim minoris momenti res ex præſcripto diſcutiendas, partim gravioris momenti rerum prænotionem & enucleationem, cum ſuccincta relatione & conſiliorum ſuggeſtione, committet, deciſionem ſuæ reſervans majeſtati.

David olim utebatur Ioabo, Ahitophele, Huſaio, aliisque, præter conſultationem oraculi divini, & prophetas; Salomoni nemo legitur fuiſſe intimus miniſter; Neronis, dum bene imperabat, intimi erant Seneca & Burrhus; Tiberii potiſſimum Sejanus &c. Si quæratur, utrum præſtet, pluribus uti adminiſtris intimis, an excellente unico, ea quidem res arbitrio autarchæ prudentis eſt relinquenda. Dantur enim tempora, quibus unus cæteros in plerisque antecellens isque fidiſſimus habetur, & non habetur. Priori caſu illi vicario plurima committet, quibus ipſum parem ſentit (§. 743 *P. I. Polit.*); minori quoque ſumtu id fiet, quam ſi plures æque ſplendide ſint ſuſtentandi. Aliquid rationis hinc conſpicitur, cur in Gallia recentius purpurati quidam romani pontificis adhibiti ſint ſummo miniſterio, nec conjuge, nec liberis alendis gaudentes; quanquam illis ex conſanguineis &c. deeſſe non ſolent, in quos facile tanquam in familiam fortunandos tantumdem conferant & amplius, quam alii in uxorem liberosque conferrent; ne quid dicam de nexu cum ſede romana, quæ quid Pipino dederit, & in multis aliis valeat, quem fugit. Poſteriori caſu autem ſplendoris & ſumtuum ratio ſapientem ſuadebit moderationem, ut pluribus vix plus cedat, quam uni omnibus præponendo, quod eo minori ipſis invidiæ erit, quo eſt a diſcrimine rerum novandarum remotius.

§. 356.

Propter rectorum rectricumque civitatis in regno imperioque hæreditario ſaltem ſucceſſorio infirmitatem animi & virium *Vſus ſecundus frequentiorque.*

virium opus esse ministerio sapienti seu præstitis cujusdam, seu senatus, nemini erit obscurum (§. 338 *seqq.*). *Plus igitur tum credendum erit vel senatui, vel primicerio ministro, quam in casu §i præcedentis, sed quo id plus erit, eo & accuratius observandæ erunt cautelæ* (§. 351. 353 & 355), *& inprimis providendum erit, ut potentia & potestas summa ita sit divisa, ne quid inde periculi oriri & prævalere possit.*

Dilucidarentur hæc ulterius, si quis accuratam intimorum ac principum summi ministerii historiam concinnaret, eamque pragmaticam, qua & bene actorum rationes luculenter patescerent, & erratorum fontes haud dissimularentur. Quo propius hi summis autarcharum virtutibus accedunt, iisque excellunt, eo majori jure heroes pacis vel civitatum pacatarum, ut alii heroes bellici vel maritimi salutari mererentur, nec eorum vitæ minus utiles forent, ac vitæ excellentium imperatorum Græcorum, Romanorumque.

§. 357.

Præstetne civis peregrino præstite?

Indigena Præstes aut Præses summorum ministrorum quo est peritior civitatis & rerum gestarum patriæ, ejusque habitudinis ad exteras præsertim viciniores civitates; eo is erit, cæteris paribus, habilior alienigenæque anteferendus; qualis si in familia regnante contineatur, is merito reliquis civibus jure sanguinis iis potior præponetur. Non enim nisi dignis utendum est regiminis vicariis (§. 339). Quam ob rem cum meliora sint cæteris præferenda (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*): digniores habilioresque etiam in summo ministerio erunt aliis anteponendi. Cujusmodi si sint indigenæ cives, illi exteris merito præferentur, quando cætera sunt paria; inter cives vero, qui orti sunt e familia regnante, dum rite sunt educati, scientiis regiis & virtutibus bene regnandi imbuti, ipsarumque praxi jam initiati, primas merebuntur partes, præsertim, si vel successio in regno ad eos devolvi

devolvi poſſet aut debet. Cæterorum paritas requirit & cautelas paris fidei gerendarum, & immunitatis a metu rerum novandarum (§. 356).

Sua ſponte hinc relinquitur, quando exteris locus primicerius inter miniſtros tribuatur. Quando uidelicet pares illi inter indigenas non habentur, cum non niſi dignus vel digniſſimus inter candidatos ei ſit præficiendus. Conferri & hic poſſunt, quæ ſupra de ſatellitio monita ſunt (§. 251). Præſtites peregrini per cives eo accuratius obſervantur, quo magis ipſis iſtum invident locum, ut accuſatores non ſint defuturi, ſi quid vel in minimis peccent. Eo ipſi diligentius res ſuas curare fere coguntur. Cives patriæ ſuæ amantiores opes non exportabunt extra regnum, ſi quas peperere, nec invidæ aliorum expertes erunt. Si inter intimos non deſit peregrinus, is quo minus civium nexui eſt implicitus, eo magis detegere civis aut civium inſidias annitetur, quibus detrahi quidquam juribus rectoris poſſit, ut illis præferri mereatur. Quare intimis potiſſimum cives adhibendi ſunt, cæteris paribus, ne tamen penitus excludantur peregrini a partium illo ſtudio alieni, quo cives rectori facile eſſent nocituri, ſuis litantes commodis, ſuis confiſi opibus, aſſeclisque ambitioſis. Joſephus Patriarcha in Ægypto, Daniel in Babylonia ſecundus fuit a Rege *Geneſ.* XLI. 40 *ſeqq. Dan.* II. 48 Ambo peregrini; uti & Haman ac Mardochæus. *Eſther* III. 1 *ſeqq.* VIII. 2.

§. 358.

Uſus præſtitum in aliis reip. formis.

Regnorum temperatorum indoles per ſe jam ita circumſcripta eſt, ut ne a rectore quidem, nedum ab ejus adminiſtris vel ſummis, periculum ſit metuendum; ſi omnia rite ſunt proviſa & adminiſtrantur (§. 79. 84 *ſeqq. P. II. Polit.*). Quare & rerum publicarum temperatarum par eſt ratio, ſcilicet ut & in his tales vicarii ſatis ligatis manibus res tractent, ne quid facile ab illis ſit formidandum (§. 340). Modo igitur conſortes ſummi imperii operam navent, ut legibus ſatisfiat, & ſua cuique ſalva ma-

neant jura; a primario regis aut reip. miniſtro nil poterit labefactari, ſed cuncta manebunt ſatis tuta, ſarta tectaque.

§. 359.

De vicariis extraordinariis.

Si qui extra ordinem adhibendi ſunt ſummi vicarii, illi ab ordinariis (§. 350) non different, niſi cauſa extraordinaria, vel caſu regni extraordinario, eos flagitante. Quam ob rem *eadem & hic obſervanda erunt, quæ in ordinariis (§. 351 ſeqq.), & ipſa cauſa ad limites hujusmodi conſtituendos invitabit, qui ipſa ceſſante per ſe evaneſcunt.* Dum enim inſolita eſt & rarior cauſa, durare diu nec poteſt nec ſolet, ſed finietur breviter (§. 348), viceſque exſpirabunt.

Extraordinarii tales vicarii erant olim Romanorum *Dictatores*, tum electi, cum reſp. in magnum diſcrimen vocabatur, non tantum propter bellum, ſed & peſtem, diſſidia & factiones tollendas, vel conjurationes in rep. propter magiſtratuum electionem &c. Finiri eorum autoritas intra ſemeſtre ſpatium ſolebat, niſi adeſſent rationes graves dictaturam prorogandi. Adjungi tamen his populi magiſtris ſolebat *Magiſter equitum*, æquatum cum ipſo imperium nactus, ne & in rebus trepidis reſp. facile detrimenti quidpiam ſubire cogeretur. Similiter *Datames*, quum nuntiatum eſſet, quosdam ſibi inſidiari, qui amicorum erant numero. De quibus quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putavit, ſed experiri voluit, verum falſumne ſibi eſſet relatum. Itaque eo profectus eſt, in quo itinere futuras inſidias illi dixerant. Sed elegit corpore & ſtatura ſimillimum ſui, eique veſtitum ſuum dedit, atque eo loci ire, quo ipſe conſueverat, juſſit. Ipſe autem ornatus veſte militari inter corporis cuſtodes iter facere cœpit. At inſidiatores, poſtquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque veſtitu, in eum faciunt impetum, qui ſuppoſitus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati eſſent facere, quod ipſum vidiſſent. Ipſe ut concurrentes inſidiatores animadvertit, tela in eos conjecit.

Hoc

Hoc idem cum univerſi feciſſent, prius quam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi conciderunt. Quæ *Nepos* memoriæ prodidit *in ejus vita.* Cujusmodi exempla & alii in periculis dedere, alium ſui vicarium ſubſtituendo.

§. 360.

Summi ſacrorum regundorum vicarii.

Dari quoque in rebus ſacris poſſunt ſummi regiminis ſacrorum vicarii. Etenim & in rebus ſacris ingens eſt multitudo rerum regendarum, quibus partim in regendo cultu Dei externo, partim & potiſſimum qua perficiendam animi religionem & cultum Dei internum ſufficere nequit civitatis rector, ſive unicus ſit homo, ſive collegium optimatum, ſive ſenatus populi (§. 948 *ſeqq.* P. *VIII. Jur. nat.*) Quare & in ſacrorum jure exercendo eget vicariis, iisque ſummis in exercendo jure ſacrorum (§. 339); qui tamen dependent ab imperio civili, quatenus vel eorum exſecutio pendet a brachio civili, vel tutela opus eſt adverſus adverſarios, vel denique actus ipſam afficiunt remp. (§. 954 *ibid.*).

Summi ſacrorum antiſtites inter primos homines erant ipſi patres familias regentes familiam in ſæcularibus & ſacris, tum eorum primogeniti filii, qui bene ſe geſſerant *Geneſ* XLIX. *3. ſeqq.* Dein Aaron cum filiis ſummo ſacerdotio præficiebatur *Exod.* XXVIII. 1. Donec Eli cum filiis ſe eodem indignos redderent 1 *Sam.* II. 30 *ſeqq.* & 1 *Reg.* II. 26 *ſeqq.* 35. Ad primævum inſtitutum ipſi rectores civitatum quoque gaudent ſummo ſacrorum jure, ipſum, quatenus poſſunt, per ſe exercent (§. 265 *ſeqq.*) Quatenus vero per alia officia nequeunt omnibus partibus vacare, recte vicariis utuntur, ſi velint, quoque primicerio quodam intimo ſacrorum miniſtro (§. 677 *P. II. Polit.*). Talis dicitur Pontifex romanus. Talis quoque eſt Mahometanorum Muffti &c.

§. 361.

Superiores vicarii vel

Poſt ſummos vicarios ſequuntur proximi ab illis ſuperiores. *Hi in civitate pacata vel ſua, vel alia*, vicibus rectorum civi-

indigetes vel legati sunt. civitatis funguntur. Si civitati peculiares heroës, a rectore civitatis proximos, appellare libet indigetes; dirimi superiores regiminis vicarii possunt in *legatos* & *indigetes*, quorum illi vices autarchæ subeunt in civitate aliena; hi autem in civitate propria, cui nec secundus est, nec tertius a rege.

Nempe superiores regiminis vicarii vel manent in civitate, vel excurrunt ad alias civitates, ut ibi partes rectoris suæ civitatis mandato ipsius peragant, dum ibi hospitantur. Hi quia publici negotii causa ad aliam civitatem amandantur, legati audiunt (§. 1041 *Jur. Gent.*). Illi recepta appellatione generali non gaudent. Videtur tamen ipsis indigetum nomen haud male convenire, e *Livii L. 8. c. 9.* patet, ubi dii indigetes, ut divi invocantur, quorum est potestas Romanorum hostiumque. Indigetes autem εγχωριοι domestici, lares, & ἡμιθεοι dicebantur, quasi dii ex hominibus facti, uti Aeneas, cæt. De quibus *Ovidius in Ibia:* nos quoque, plebs superum, fauni satyrique, laresque, flaminaque & nymphæ, semideumque genus. A quibus rectores civitatum Dii dicebantur, ab his, qui eorum vices gerebant semideos, & dum domi vel intus manent, indigetes dici velut debebant. Si ergo indigetem vicarium regiminis superiorem dicimus intra civitatem, saniori sensu nomine uti videmur.

§. 362.

Indigetes vel consiliarii sunt vel magistratus. Indigetes vel versantur circa difficiliora rectorum civitatis & regiminis negotia, vel circa faciliora (§. 348). Facilior est usus legum & rerum jam notarum, quam ignotarum rerum detectio, quæ inventio vocatur. Vbi rectoribus civitatum salutis publicæ causa nova sunt invenienda, ibi opus est ingenio & arte heuristica (§. 86). Sed nemo autarcharum in omnibus peritissimus esse potest, testimonio experientiæ luculento. Quare indigetes regiminis alii esse debent inventores, qui appellantur *consiliarii* (§. 998 *seq. P. VIII. Jur. nat.*); alii

alii vero, qui inventis quam optime in regimine bene admi-niſtrando utantur, qui vocantur *magiſtratus* (§. 162 *ibid.*).

Conſtat inde, ſuperiores regiminis vicarios vel eſſe legatos, vel conſiliarios, vel magiſtratus. Cum hi domi vel intra civitatem ſemper dari debeant, & legati non ſemper requirantur, & ex his petantur: præmittenda erit prudentia circa conſiliarios magiſtratusque prudentiæ legatis utendi. Quoniam ſuperioribus illis regundæ reip. vicariis inferiores ſubſunt, commode ſuperioribus ſubiici, & in eodem capite de inferioribus agi poterit, in quo de ſuperioribus erit agendum. Quod antequam fiat, generalia vicariorum regiminis momenta erunt perluſtranda, ne eadem ſæpius ſint repetenda.

§. 363.

Quo ſuperiores ſunt vicarii, eo ſint & digniores.

Quia non niſi digni conſtituendi ſunt regiminis vicarii (§. 339): *quo gravioris momenti ſunt regiminis ſive majeſtatis partes*, in quibus vices rectorum civitatis gerendæ ſunt, eo magis curandum eſt, ne indignis committantur, ideoque *eo digniores ipſis eſſe debent vicarii.* Id circo cum gravioris momenti ſint regiminis partes, in quibus ſuperiores requiruntur vicarii (§. 349): *quo ſuperiores requiruntur vicarii, eo ipſi debent eſſe digniores.*

Digni autem non videntur, niſi qui & poſſint & velint alterius munere ita fungi, ut ipſe debet, vel qui ſimilitudine virtutum eas merentur vices. Sic *Cicero in Verrem IV. c. 37* ait: Potes domeſticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri, potes. Omnia in te ſunt, quæ aut fortuna hominibus aut natura largitur. Non præcerpo fructum officii tui, non alienam mihi laudem appeto . . . Si hoc, quod abs te poſtulo, minus ad officium tuum pertinere, arbitrabere, *ſuccedam ego vicarius tuo muneri*, ſuſcipiam partes, quas alienas eſſe arbitrabar, ne iſta præclara nobilitas deſinat queri, populum rom. hominibus novis atque induſtriis libenter honores mandare ſemperque mandaſſe. Non eſt querendum in ea civitate, quæ propter virtu-

tem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse... Est aliqua mea pars virilis, quod ejus civitatis sum, quam ille amplam, illustrem claramque reddidit, præcipue quod in his artibus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum. Quæ cognatio studiorum & artium non minus est conjuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis & nominis. Sed hæc luculentius evolvenda erunt pro instituti ratione.

§. 364.

Quid sit electio? *Electio* est actio deliberata quidpiam reliquis recte præferens, vel qua e pluribus id præfertur, quod recte magis arridet, sive merito melius censetur (§. 898 *Psychol. empir.*). Pro scopo & unum eligi potest vel unus, & plures vel plura eligi possunt ac solent. In civilibus electio est translatio juris cujuspiam in alterius personam merito præferendam. Neque ideo dat nisi jus personale. Sic eligitur rex, dum electorum suffragiis summum imperium in ipsum recte confertur; eligitur sacerdos, dum in ipsum jus sacerdotii suffragiis vel cunctis, vel pluribus, quam in ullum alium, transfertur.

Dum jus transfertur in personam, illud fieri potest vel ad tempus vitæ, vel quam diu ei administrando par erit persona, vel ad certum tempus, vel precario ad tempus indefinitum, ut revocari pro lubitu possit. Luculenter (§. 38 *P. VIII. Jur. nat.*) ostenditur, idem quoque valere de imperio ejusque partibus. Quia autem personæ causa id fit, cujus meritorum ratio habetur, & dignitas merens electionis fundamentum habetur, quæ transmitti pro lubitu possidentis in alium nequit, civilis quoque electio non confert jus imperandi ad liberos familiamve hereditario vel successorio jure transiturum, ideoque a successione penitus differt (§. 277 *seqq. ibid.*) & (§. 123 *P. VII. Jur. nat.*)

§. 365.

§. 365.

Digni Majestatis vicarii constituendi sunt ope electionis delibera- te, h. e. eligendi sunt majestatis vicarii. Non enim nisi digni con- stituendi sunt jurium summorum seu majestatis vicarii (§. 339.), & quo gravioris momenti sunt jura majestatis, eo digniores esse debent illorum vicarii (§. 363.); itaque summorum maximorumque jurium omnium dignissimi requiruntur (§. 349.). Enim vero electio e pluribus id recte præfert, quod melius censetur, & civilis jus (v. c. imperandi) consulto transfert in personam suo merito cæteris præferendam (§. 364.), ideoque reliquis digniorem. Cogitur inde, superiores summosque majestatis vicarios electione probe deliberata esse constituendos, sive eligendos esse. Quod & de inferioribus ideo valet, quia bene regenda est resp. (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*), sive per se regatur, sive per alios, h. e. vicarios quoscunque (§. 883. *ibid.*). *Vicarii majestatis sunt eligendi.*

§. 366.

Quia vicarii majestatis sunt eligendi (§. 365.); electio autem certo & potissimum suo merito cæteris præferendum consulto præfert (§. 364.): patet, electionem fieri non posse, nisi illi probe probeque noscantur, e quibus quisquam præoptandus, aut & plures eligendi sunt. *Electio igitur penitiorem candidatorum cognitionem, tamque accuratam comparationem eorum requirit, per quam constet, quis in se mereatur cæteris præferri*, vel quis sit electilis & eligendus. *Qualem candidatorum cognitionem electio requirat?*

§. 367.

Eo quod electio vicariorum regiminis instituenda penitiorem candidatorum cognitionem requirit, per quam constet, quisnam per se mereatur cæteris præferri (§. 366.): *investiganda ante electionem sunt, quantum fieri potest, criteria dignitatis, qua quis in se præferri meretur*, vel criteria justæ optionis, quæ suppeditant notas ejus proprias indubiasque. *Noscenda sunt criteria dignitatis.*

§. 368.

§. 368.

Criterium generale. *Generatim dici potest, dignos iu se fore regiminis vicarios, similitudine, quanta reperiri potest, cum autarchæ præstantia gaudentes.* Etenim vicariis regiminis sustinendæ & gerendæ recte sunt partes rectorum civitatis illæ, quæ ipsis demandantur (§. 338.). Sed autarcha bene optimeque regit remp. sua prudentia ejusque dotibus seu peculiis (§. 1. 2.), omnique ea præstantia, quam capite primo, §. 29. *seqq.* proprio marte regnantes commendare ostendimus. Qua propter & vicibus ipsius non rectius fungentur, quam qui similitudine cum ipsius excellentia gaudent, quanta reperiri potest in illis, qui ipsimet non sunt constituti civitatis summi rectores.

Facile intellectu est, quibus dotibus artibusque bene regnant ipsimet civitatum rectores, iisdem quoque eorum vicarios bene esse partibus sibi demandatis præfuturos, modo similiter uti illis velint. Boni enim regiminis causæ & rationes eædem sunt, vel si hoc mavis, similes, hoc est ejusdem indolis & naturæ, apud quoscunque dentur. Sed nisi illa similitudo perspecta sit, & pro norma electionis vicariorum regiminis habeatur, querelæ Salomonis locus erit, *Cohel.* IX, 13. *seqq.* vidi sapientiam magni a me factam viri pauperis sapientisque, qui potuisset urbem obsessam servare salvam. Sed ejus viri rationem nemo habebat, cujus tamen sapientia præstitisset cæterorum viribus, nisi contemta fuisset, vel si ejus dicto audientes fuissent cives. Recordemur & feminæ Abelitidis *2 Sam.* XX, 15. *seqq.* & Gibeæ *Judic.* XX, 13. *seqq.*

§. 369.

Gradus ejusdem. Vti per se digni censendi sunt regiminis vicarii, qui similitudine præstantiæ autarcharum gaudent (§. 368.): ita quo major est cujusquam similitudo & convenientia cum præstantia rectorum civitatis, eo is dignior vicarius eorum regiminis erit existimandus (§. 751. *seqq. Ontol.*). Hinc *quo quis est similior præstan-*

ſtantiæ regiæ, vel *quo propius accedit ad excellentiam rectoribus civitatum apprime convenientem, eo per ſe ipſum magis merebitur vicarius regiminis eſſe vel fieri.* Item minor ſimilitudo minorem, major majorem, maxima & optima maximum & ſummum vicariatus gradum eſt meritura.

Quomodo Rectores civitatum non ſunt niſi Dei vicarii (§. 337. *P. I. Polit.*), & eniti debent, ut digniſſime Dei vices ſuſtineant (§. 338. *ibid.*): eodem vicarii regiminis ſunt regum vicarii, & ut eorum ſimiles ſint in regenda rep. operam navare debent. Vti ergo rectores civitatum eo digniores melioresque Dei ſunt vicarii, quo propius exactiusque ad ſimilitudinem imperii divini ſuum regimen componunt: ita & vicarii rectorum civitatis eo erunt digniores, quo propius a præſtantia ipſorummet autarcharum abſunt, vel quo ipſi ſunt ſimiliores, tandemque ſimillimi.

§. 370.

Jam in rectoribus civitatum requiruntur eximiæ dotes naturales ingenii præſertim (§. 29.), earumque cultura ſumma, qua pares evadant earum uſui publico, optimo maximoque (§. 33.), obtineantque omnes virtutes, ſine quibus haberi nequit ars feliciter regnandi (§. 46.), id eſt, virtutes regias theoreticas & practicas, ſimiles divinis (§. 41. *ſeq.*). Ea propter *vicariorum regiminis ſimilitudo* (§. 368.) *quoque requirit egregias dotes naturales, animi præſertim, earumque provectionem ad virtutes ſummas vel pæne regias theoreticas pariter & practicas, in illis regiminis partibus, quibus ipſi præeſſe debent*, ut perſonam rectorum civitatis in iisdem digniſſime gerant (§. 338. *ſeq.*). *Speciatim regiæ dotes animi & virtutes.*

Vbi de vicariis parentum ſermo erat (§. 417. *Oecon.*), oſtendimus dignos eſſe vicarios eorum, qui eos decent, eorumque officio ex aſſe ſatisfaciunt. Decent vero, qui eorum naturæ & præſtantiæ conveniunt (§. 418. *ibid.*). Similiter & hic rectores civitatum non decent niſi ejusmodi vicarii, qui ipſorum præſtantiæ ſimiles ſunt, ideoque ipſos decent, & pares id circo ſunt ipſorum officio ex aſſe implendo, quod eſt, ipſorum vicibus fun-

gendis. Hac ſimilitudine merentur vices rectorum civitatis in regimine ſubire. Sed rectores civitatis merentur ſummum imperium eximiis plane animi dotibus, tum naturalibus, tum educatione, & cultura egregia in ſummas virtutes excultis. Simili igitur præſtantiæ peculio vicarii quoque merentur eorum officiis præponi.

§. 371.

Quid notet Minerva regia?

Dotes ingenii ad regnandum nati aptique dicemus *Minervam regiam.* Latius enim foret nec ſatis aptum nomen *divini ingenii*, utpote quod in multis quoque aliis eximium ingenium notat, vel generatim ſingularem animi præſtantiam connatam. Talentum regium ſi mavis dicere, non adverſabor.

Minervam dum fingunt e Jovis capite natam ſine matre, & Apollinis matrem, Deam diſciplinarum, adumbrant mentis naturam & præſtantiam inſignem, qua excellere poteſt & ſolet. Quo alludit illud *Horatii:* tu nihil invita dices facieſve Minerva; & *Ciceronis, L. I. de offic. c. 31.* admodum tenenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria . . . Sic enim eſt faciendum, ut propriam naturam ſequamur, ac etiamſi ſint alia graviora & meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo quia nihil decet invita, ut ajunt, Minerva, id eſt, adverſante & repugnante natura. Ecquis vero neſcit, non omnia ingenia omnibus eſſe apta, ideoque nec multa ad bene regnandum idonea, utpote quibus exile eſt ingenium ac perparum excultum, quod pinguem craſſamque vocant Minervam. Qua ex re elucet, quid regia ſonet Minerva.

§. 372.

Vicariis regia ſit Minerva.

Regia eſſe debet Minerva his, qui digni per ſe ipſos ſtatuendi ſunt regiminis vicarii. Debent enim eſſe ſimiles præſtantiæ rectorum civitatis (§. 368.), ideoque & ſimili gaudere præſtantia ingenii ad regnandum apta (§. 370.), quæ regia Minerva dici meretur (§. 371.). Patet igitur dignos regiminis vicarios regia gaudere

dere Minerva debere. Item *ſi eligendi ſint, indagandum eſſe, num revera regia præditi ſint Minerva* (§. 367.).

§. 373.

Minerva regia requirit eximiam tum habilitatem intellectus ad regnandi ſcientiam; tum pronitatem ad præſtantiam artis regnandi ſeu virtutum activarum. Notat enim dotes ingenii ad regnandum apti natique (§. 371.). Sed ingenio mentis humanæ inſunt duæ facultates, altera cognoſcendi inprimis diſtincte, h. e. intelligendi; quæ ſi eximia ſit habilitas, vel egregia docilitas & facilitas, idonea abunde ad ſubitos progreſſus perſpicaciæ boni regiminis, regiæ propinqua erit Minervæ. Altera eſt facultas appetendi inprimis bona diſtincte præſcita, h. e. voluntas & curioſitas, quæ ſi eximia polleat propenſione & pronitate ad præſtantiam in agendis rebus, cum aviditate eam exercendi conjuncta, Minervæ regiæ ſuppar erit cenſenda, ſi ad bene regnandum ſingulariter feratur. *Quid Minerva regia requirat?*

Nequit ex quovis ligno fieri Mercurius, neque ex quovis ingenio fieri rex, ejusque vicarius. Vti poëtæ, pictores &c. naſci, non fieri dicuntur. Statim a natura, inquit *Ariſtoteles Polit. I. c. 5.* & ex generatione quædam diſtincta ſunt (ingenia), alia quidem ad imperandum, alia vero ad parendum. Species multæ ſunt imperantium & parentium, & ſemper melius imperium eſt meliorum parentium. Animal conſtat ex animo & corpore, quorum ille melior, recte imperat corpori, & hoc illi paret; ſed perverſe & contra naturam corpus imperat animo. In animo mens & ratio recte imperat affectui. Sic natura melior recte imperat deteriori, homines beſtiis, mares feminis, qui præcellunt animo his, quorum opus potiſſimum eſt in corporis uſu, qui ideo ſunt natura ſervi, & melius eſt, ut ſint alterius & ſerviant, quam ut imperent. Illi vero ſunt natura liberi, qui præſtant animo, ideoque aptiores ſunt imperio, quam ſervitio. *Conf. capita duo ſequentia; & §. 579. Oeconom.*

§. 374.

Quid ejusdem cultura?

Sed vel Minerva regia inculta manens parum vel nihil valeret, ſimilis futura agro inculto, infelix lolium abunde parituro (§. 262. & 792. *Oecon.*). *Accedere igitur ad eximiam naturam debet cultura ſumma inſtitutionis ſeu doctrinæ, exempli, imitationis emendationisque, ut facultates in habitus virtutum ſummarum adoleſcant* (§. 370.). *Quæ cultura quo eſt exquiſitior, quo propior illi, qua optimi reges ſunt formati, eo digniores in ſe præſtabit eorum vicarios*, atque cum ſimilis regiæ eſſe debeat, cultura pæne regia dici poteſt; immo & regia major in his, quæ unius hominis captum excedunt, & in aliis præſtantiora eſſe debent.

§. 375.

Præſtans prope regias virtutes aut ſummas.

Prout Minerva (§. 373.), ita & hæc *ejus cultura vel intellectum perficit, vel voluntatem, ut facultates utriusque totidem evadant virtutes theoreticæ practicæque* in illis regiminis partibus, quibus ipſi ut vicarii præeſſe debent (§. 370.). Hinc & quo utraque eſt ſimilior ſummæ vel regiæ culturæ, quo magis regias ſummasque æmulatur, eo & virtutes politicæ (§. 10. *P. I. Polit.*) regiis virtutibus ſummis erunt propiores, aut præſtantiores (§. 374.).

Loquor de regiis virtutibus, quæ ſummæ ſunt, uti eſſe debent. Si enim vel quæ regia eſſe debebat Minerva, vel illius cultura non ſit, nec fuerit, qualis eſſe debuit, ſuperari illam ſæpe a Minerva & cultura vicariorum poſſe, nemo negabit. Neque enim fieri poteſt, ut unus, etiamſi rex ſummus, in omnibus virtutibus excellat, v. c. in pictura, muſica, algebraicis, aſtronomia, mechanicis artibus, medicina, petauriſtica, nautica &c.; neque decerent regem omnes. Sufficit, ſi veris regiis virtutibus probe ſit imbutus, quæ ad regimen ſalutis publicæ requiruntur, de quibus ſupra expoſitum eſt (§. 40. *ſeqq.*). In cæteris privatorum artibus ſufficit noſſe, quanti ſint faciendæ, & unde earum gradus ſint æſtimandi, quando alius aliis eſt præferendus,

dus, aut præficiendus, aut præmio propter merita afficiendus. Id quod ex operis præstantia, in sensus incurrente, aut ex paucis principiis criticis, & comparatione cum præstantissimis aliorum operibus ejusdem generis intelligi potest.

§. 376.

Quid sit dexteritas politica solertiaque.

Habitum perspiciendi, quid in regimine sit optimum factu, appellamus *dexteritatem politicam.* Præstantiam dexteritatis hujus & excellentiam insignem dicere licebit *solertiam politicam* seu civilem. Vtramque virtutes intellectus politicas complecti, nec nisi gradu differre, ipsæ loquuntur notiones.

Dexteritatem alias agilitatem seu facilitatem & præstantiam agendi (die Geschicklichkeit) vocamus; quare dexteritas politica diceretur die Staatsgeschicklichkeit. Sed quia ad intelligendi dexteritatem hic potissimum respicimus, clarius diceretur nostratibus die Staatseinsicht. Solertiam eam vocamus excellentiam in arte, quæ sola omnes anteeat aliorum dexteritates, & sola fere ars dici mereatur. Quare non incommode der Staatswitz a Germanis diceretur (§. 2.). *L. I. de offic. c. 5. Tullius* virtutem primam perspicientiam veri solertiamque vocat.

§. 377.

Eadem vicariis regiminis inesse debet.

In vicariis regiminis requiritur, quanta haberi potest, dexteritas solertiaque politica. Intellectus enim illorum præditus esse debet virtutibus summis theoreticis in illis regiminis partibus, quibus ipsi ita præesse debent, ut personam rectorum civitatis dignissime gerant (§. 370.). Quem in finem facultates intelligendi publica regiminis negotia excolendæ sunt in totidem virtutes summas, seu pæne regias, seu regiis præstantiores (§. 375.). Sed dexteritas politica comprehendit omnes illas virtutes intellectus politicas; & solertia politica illius dexteritatis summam, quæ haberi potest, excellentiam notat (§. 376.). Liquet igitur, in vicariis regiminis utique dari debere, quanta haberi potest, dexteritatem solertiamque civilem.

Fundum omni arte excultum exornatumque *Cato* dixit solertissimum. *Lactantius* vero ipsum Deum meliori jure, quam olim Sullam alii, ad faciendum solertissimum vocat, ob summam solertiam, cui nulla ingenii humani perspicacitas, nec ingeniosissima sagacitas aliter, quam umbra evanescens & vix conspicua comparari potest. Insitione nihil agriculturam solertius habere Tullius statuit. *Vitruvius* autem omnibus scriptoribus gratias agit, quod egregiis ingeniorum solertiis ex ævo collatis abundantes aliis alio genere copias præparaverunt. *L. 7. in præf.*

§. 378.

Quid sit integritas politica?

Si constantem perpetuamque voluntatem omni officio satisfaciendi, & fugiendi, quidquid eidem adversatur, integritatem vocamus, *integritas politica* erit constans & perpetua voluntas non agendi nisi omne id, quod dexteritas solertiaque civilis dictat poscitque. Quæ propterea omnes includit voluntatis virtutes in regimine observandas, sive practicas regnandi virtutes cunctas.

Non deseri hic antiquum integritatis moralis usum, docebunt loca autorum, quæ addemus, pauca. *Cicero pro Ligario c. 1.* provinciæ, ait, sic præfuit in pace, ut & civibus & sociis gratissima esset ejus integritas & fides. Sic *Plinius Ep. 25. L. 7.* Terentius junior, inquit, equestribus militiis atque etiam procuratione Narbonensis provinciæ integerrime functus, recepit se in agros suos, paratisque honoribus tranquillissimum otium prætulit. Item *Tacitus Hist. I. c. 48.* Vinium dicit proconsulatu Narbonensem provinciam integre severeque rexisse. Rursus *Cicero* de Cn. Pompejo prædicat, eum talem esse, ut nulla res tanti sit ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit; *pro Leg. Manil. c. 20.* Idem quoque *L. I. in Verrem c. 25.* filiam Philodami eximia pulchritudine, & summa integritate pudicitiaque existimari refert. Inde a genere integritatis, longe lateque patente, dirimimus integri-

tatem

tatem civilem. Recte conjungit Romanæ eloquentiæ & philoſophiæ princeps paſſim cum integritate innocentiam, continentiam, elegantiam fidemque incorruptam. Quo pacto ad eam pertineat ſinceritas moralis, veracitas & taciturnitas, patebit ex §. 602. *ſeqq. P. V. Ethic.* itemque probitas, ex §. 362. *Oecon.* & §. 163. *P. III. Polit.* Noſtratibus dici poſſet integritas Unſträfflichkeit, gänzliche Lauterkeit; & integritas publica die Unſträfflichkeit des Regiments vel die Staatslauterkeit.

§. 379.

Vicariis regiminis ineſſe debet, quanta præſtari poteſt, integritas civilis. Digni enim regiminis vicarii gaudere debent tanta, quanta reperiri poteſt, ſimilitudine cum præſtantia autarchæ (§. 368); non ſolum in virtutibus contemplativis, ſed & activis (§. 370.). Ideoque eorum voluntas exculta eſſe debet omnibus virtutibus practicis, quæ in demandatis ſibi regiminis partibus requiruntur (§. 374), & quibus opus eſt, ut perſonam ſibi impoſitam recte gerant (§. 152. *P. IV. Ethic.*). Quia vero integritas politica non eſt niſi conſtans & perpetua voluntas omni officio ſuo ſatisfaciendi, vel agendi omne id, quod dexteritas ſolertiaque civilis poſtulat, itaque omnes regentium virtutes practicas includit (§. 378.): diſpaleſcit, dari debere in vicariis regimine dignis tantam, quanta præſtari poteſt, integritatem civilem regiamque.

In vicariis regentibus neceſſaria.

Non abs re addo *regiamque*, quia integritas civilis ſeu politica dividi poteſt in publicam & privatam, quarum illa imperantibus ineſſe debet, ideoque & regia dici meretur; hæc vero & in privatis civibus requiritur, quatenus & illis ſtudendum eſt, ut jure reprehendi a nemine alio poſſint, vel ut quibusque aliis conſpicua ſit ipſorum incorrupta integritas vitæ, quam diceres untadelhafte Rechtſchaffenheit. Integer vitæ, ſcelerisque purus, omnibus placet, & quo eſt integrior, eo magis, conſtantiusque, omnium maxime vero integerrimus. Quod pariter in publicam

cam imperantium suo aut alieno nomine integritatem quadrat, quæ itidem famæ, si qua finguntur, mendacia ridet, factisque cunctis refellit.

§. 380.

Quid sit animi præsentia?

Præsentiam animi vocamus habitum summa attentione & perspicacia in rebus obviis illico penetrandi optimum factu & exsequendi. Patet inde, eam dari non posse, nisi summa adhibeatur circumspectio, cautio, sapientia, prudentia, dexteritas, solertia & integritas, eamque quam optime expedire res arduas, & e summis periculis expedire (§. 2.). Neque male ideo diceretur habitus e rebus summis quam optime emergendi, sive res gravissimas celeritate sagacitateque insolita expediendi.

Præsens animus omnes procul habet affectus, ideoque virilis, acutus, versatus, alacer, sedatus, tranquillus, expeditus habitu fungitur rationis, statim animadvertens, quid vel adjumenti præbere fortuito occurrentia consequendo fini suo possint, & quomodo impedimenta fortuita superari seu innocua reddi queant. Quæ sic videt e re sua esse, ea illico facere audet & fieri jubet, quasi diu ante hæc esset meditatus, præparatissimusque ad ea accessisset. Ita *Cicero pro Milone c. 23.* sciscit: neque vero sine ratione certa Milonis causa semper a senatu probata est; videbant enim sapientissimi homines facti rationem, præsentiam animi, defensionis constantiam. Et *L. V. de fin. c. 8.* Quam recte in fortitudine quoque requirit *L. I. de offic. c. 23:* fortis vero & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, sed præsentis animi uti consilio, nec a ratione recedere, *cæt.* Nostris pro casuum varietate dicatur Gegenwärtigkeit, Behendigkeit, Hurtigkeit, Entschlossenheit, Hertzhaftigkeit. Paulo distinctius hic enucleavimus præsentiam animi pro re substrata & usu loquendi, ac exhibetur (§. 648. *P. II. Phil. pract. univ.*).

§. 381.

§. 381.

A ſolertia & integritate politica abeſſe non debet animi præſentia ſumma. Solertia enim eximiam regendæ reip perſpicaciam (§. 376.); integritas conſtantem perpetuamque involvit voluntatem omni ſatisfaciendi officio, & ſolertiæ decreto (§. 378.). Sed ſine præſentia animi ſumma tanta nec perſpicientia nec integritas dari poteſt (§. 380.). Conficitur inde, ſolertiam integritatemque civilem omnino complecti animi præſentiam ſummam. *Cui ſit adjuncta?*

§. 382.

Tria igitur in vicariis regimine per ſeſe dignis ſpectanda ſunt, vel dari debent, regia vel ſumma Minerva, ſolertia, & integritas; proxime autem duo: politica regendi ſolertia integritasque. Gaudere enim debent eximia Minerva (§. 372. *ſeq.*); eximia dexteritate ac ſolertia (§. 377.); & eximia integritate (§. 379.). Sed hæ ſunt dotes illæ, quibus ipſimet rectores civitatis bene remp. regunt (§. 1. 2.) (§. 370.), ideoque & alii ipſorum vices recte gerere poſſunt ac debent (§. 371. 376. & 376.), quibus & præſentia animi ineſt, ſi hanc addendam cenſes (§. 381.). Illa igitur tria dignis regimine vicariis ineſſe debere, controverſia vacat. *Dignorum vicariorum criteria propiora.*

Sed quia dexteritas & ſolertia tanta, una cum dicta integritate publica, ſine eximia Minerva dari & adquiri nequit, utpote quæ utriusque inſitam facultatem notat (§. 373.); itaque ubi eximia datur civilis ſolertia & integritas, ibi Minerva non poteſt non ineſſe, quæ in hoſce gradus adolevit: manifeſtum eſt, Minervam eſſe remotius criterium, neque ſpernendum, at proxima dignorum ſummi imperii vicariorum criteria eſſe egregiam illam ſolertiam integritatemque civilem. Quæ propterea ubi dantur, ibi digni dabuntur, qui regiminis vicarii merito conſtituantur.

Teſtium dignitas autoritasque, qua fidem merentur, e duobus judicari ſolet momentis, dexteritate illa, qua ipſi rem geſtam recte cognoverunt, & adhuc tenent, & integritate incorrupta, qua non alia, quam quæ vera eſſe norunt, enarrant. His vicariis judices utuntur, in factis litigantium dijudicandis, & ſententia legitime dicenda, qualis decidatur. Sic & parentum vicarii tum digni ſtatuuntur, cum conveniunt ipſorum dignitati, ac dexteritate & fide ſunt conſpicui (§. 418. *Oecon.*). Congruunt igitur hæc politicorum vicariorum criteria cum aliorum vicariorum criteriis receptis.

§. 383.

Eaque gradu diverſa. Quia proxima dignitatis eorum, qui vicarii regiminis eſſe merentur, criteria ſunt eximia ſolertia & integritas civilis (§. 382.): in propatulo eſt, *quo major eſt in quoquam illa regendi remp. ſolertia integritasque, eo illum digniorem in ſe cenſendum eſſe regiminis vicarium.* Hinc & *cujus ſumma eſt dicta ſolertia & integritas, is digniſſimus omnium ſtatuetur vicarius regiminis ſubeundi* (§ 369.).

§. 384.

Qua gradus tum materiales, *Illa graduum diverſitas materialis oritur ex rerum earumque numeri diverſitate.* Dexteritas enim perſpicientiam aliarum atque aliarum regiminis partium, & negotiorum publicorum optimique modi ea tractandi innuere poteſt, ut huic inſint, quæ alteri illi deſunt, locupletis experientiæ teſtimonio. V. g. alii pollent perſpicientia œconomica domaniorum, alii ſcientia rerum ſacrarum, alii juridicarum, alii medicarum, alii nauticarum, alii fodinarum varii generis, alii rerum bellicarum, monetariarum, mercatoriarum, &c.

Deinde alii plurium, alii pauciorum rerum, ejusdem aut diverſi quoque generis, ſcientia, modique eas recte gubernandi præditi ſunt, ut nonnulli *polyhiſtores politici* dici mereantur, cum alii in uno tantum alterove rerum genere verſati ſint.

Vbi

Vbi & numeri diverſitas aliquid in receſſu habet, ut, quo pluribus artibus regiis & ſcientiis inſtructus eſt, eo major; & quo paucioribus, eo minor ejus dexteritas & ſolertia politica, cæteris paribus, æſtimanda ſit. Ratione integritatis civilis ſimiliter cenſendum eſt de virtutum varietate & numero (§. 378.).

§. 385.

Formalis horum graduum diverſitas pendet a majori minorique gradu perfectionis virtutum politicarum tum theoreticarum, tum practicarum. *tum formales.* Forma enim virtutum conſiſtit in habitu conformandi actiones ſuas legi divinæ (§. 321. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quo major igitur eſt convenientia actionis cum lege divina, & quo major meliorque eſt habitus ita agendi, eo major erit gradus virtutum formalis; uti in contrario caſu eo erit minor (§. 751. *ſeqq. Ontol.*). Quo major eſt convenientia actionis humanæ cum lege divina, & quo major meliorque eſt habitus eas ita exercendi, eo major utrobique datur conſenſus & perfectio (§. 503. & 519. *Ontol.*); & quo minor eſt conſenſus, eo minor perfectio, & eo major eſt diſſenſus & imperfectio (§. 504. *ibid.*). Formalis igitur horum graduum diverſitas proficiſcitur a majori minorique gradu perfectionis virtutum publicarum in rebus civilibus cognoſcendis agendisque.

Habitus major dicitur, quo plura vel ſimul vel celeriter præſtare valet; eoque melior, quo minus ejus exercitium vituperari poteſt, vel quo plus boni præſtat, & quo eſt firmior ſtabiliorque.

§. 386.

Quia formalis graduum noſtrorum diverſitas æſtimanda eſt e majori virtutum perfectionis gradu (§. 385.): *quo perfectior eſt dexteritas & ſolertia politica*, item *quo perfectior eſt integritas publica in candidato vicariæ rectionis, eo is ea dignior erit cenſendus.* *Eo dignior eſt vicarius, quo perfectior ejus ſoler-*

tia integritasque. Perfectiſſima ſolertia & integritas ſummo gaudent gradu, itaque ſummo vicario regimine digniſſimum ſiſtent (§. 369.).

§. 387.

Vnde perfectio ſolertiæ oriatur, & noſcatur? *Perfectio ſolertiæ deſcendit e cognitionis diſtinctione, ſoliditate & familiaritate.* Solertia nempe eſt excellentia dexteritatis, h. e. perſpicientiæ, quid ſit optimum factu (§. 376.). Sed ea dari nequit ſine cognitione diſtincta, certa, ſolida & familiari, i. e. menti infixa & continuo obvia, ſi experientiam ſequimur ducem. Quia perfectio conſenſum ejus cum dicta perſpicientiæ præſtantia deſignat (§. 503. *ſeqq. Ontol.*), nemo dubitare poteſt, quin perfectio ſolertiæ deſcendat & derivetur e cognitionis diſtinctione, obſcuritatem & confuſionem removente; ſoliditate, quæ eam omni dubio facit majorem; & familiaritate, quæ oblivionem illius tollit.

Diſtinctio cognitionis hic involvit non tantum omnes gradus claritatis, e quibus naſci diſtincta cognitio debet; ſed & omnes gradus diſtinctionis, ut habeantur notiones completæ, adæquatæ, accurate determinatæ, conſummatæ & tam certæ, aut probabiles, ac haberi in his rebus a mente humana poſſunt. Familiaritas eſt mater exercitii ſolertiæ, ſoliditas pater, & diſtinctio genitalium loco.

§. 388.

Item ſolertia politica? Dum ſolertiæ perfectio oritur e cognitione diſtincta, ſolida & familiari (§. 387.): *politicæ quoque ſolertiæ perfectio non aliunde innoteſcet, quam e politicæ vel artis regnandi ſcientia ſolida & admodum familiari.* Licet enim ſolertia præſtantiam dexteritatis notet, & dexteritas omnes virtutes intellectus politicas contineat (§. 376.), illæ tamen omnes influunt in ſcientiam bene regnandi, tanquam in communem politicæ publicæ ſcopum (§. 14. 22. & 30. *P. I. Polit.*). Id circo quo ſolidior eſt ſcientia & conſummatior, eo illa erit perfectior. Item quo magis in prom-

promtu habetur, vel quo firmius memoriæ infixa, eo erit familiarior.

§. 389.

Quia virtutes intellectus opponuntur ejus vitiis, iisque medentur vel perfecte, dum ea tollunt & eximunt animis, vel imperfecte, ſenſim illa minuendo, exoſa reddendo, & animum ab illis liberando (§. 321. *ſeq.* & 327. *ſeq.* *P. I. Phil. pract. univ.*): etiam hic oppoſita juxta ſe invicem poſita magis dilucefcent, & *ſolertiæ politicæ eo certior habebitur cognitio, quo magis animus a defectibus vitiisque intellectus deprehenditur remotus liberatusque.* Præter Minervam enim quidquid datur in ſolertia, debet eſſe adquiſitum, & a defectibus, & vitiis ſponte naſcentibus, liberatum (§. 323. *ſeqq. P. I. Philoſ. pract. univ.*). Facultatibus nempe naturalibus deeſt rectus uſus & ejus habitus adquirendus. *Vnde porro noſcatur?*

§. 390.

Adverſantur virtutibus ut legitimis habitibus, non tantum earum defectus, ſed & vitia, tanquam pravi habitus & perverſi, quod per ſe liquet: uti perfectioni ſolertiæ contraria eſt ejus imperfectio (§. 387.). Jam defectus dexteritatis dantur in ejus abſentia, eaque vel negativa, h. e. ignorantia imperitiaque noſcendorum, vel ſcientiæ & artis regnandi, quæ inſcientia & inertia politica dicatur; vel privativa, h. e. oblivione. Quarum utraque vel ex neglectu officii ortum ducit, ſi imputari poteſt; vel ex impotentia naturali, ſtupore, ſeu per morbum aliasque cauſas externas citra culpam contracta, ſi imputari nequit. Vitia autem ex pravo illas res cognoſcendi habitu, uti ex cognitionis obſcuritate, confuſione, jejunitate, tarditate, infirmitate, debilitateque inſolida aut precaria rationum allatarum indole, &c. (§. 387.); inprimis vero ex erroribus & præjudiciis politicis manifeſtis patent. *Quæ ſint ſolertiæ contraria?*

§. 391.

Eorumque gradus. *Quo majores ſunt illi defectus Minervæ, & dexteritatis politicæ, & quo vitia ſunt majora & graviora: eo ineptior per ſe qua intellectum erit candidatus vicarii regiminis* (§. 386.). Hinc quo majoribus erroribus præjudiciisque laborat intellectus candidati, vel quo tardiori hebetiorique ingenio, eo erit ineptior ad regendum, eoque magis præſentia animi neceſſaria deſtituetur (§. 380.).

§. 392.

Diviſio rationum electionis. Quia rationes electionis eſſe ſolent vel internæ vel externæ (§. 898 *ſeqq. Pſychol. empir.*): *vicariorum recturorum quoque electio vel habebit rationes internas, vel externas tantum, vel mixtas utriusque generis ſimul.* Internæ rationes dantur in perſonæ ſeu animi meritis, externæ in aliis perſonis, aut rebus merentibus nonnihil.

Vterque caſus emergere poteſt & ſolet. Si quis ideo eligatur, quia per ſe meretur cæteris competitoribus præferri, is eligitur ob rationes internas. Si vero eligatur ob commendationem, vel preces alterius, vel ob merita majorum aut agnatorum &c. electio fiet ob rationes externas. Par erit ratio, ſi ob ſtaturam, pulchritudinem, pecuniam eligatur. Mixtæ erunt rationes, ſi partim ob internas, partim ob externas rationes v. c. adhibita ſorte eligatur.

§. 393.

Quæ hic ſint internæ rationes eligendi. *Rationes electionis vicariorum regentium internæ redeunt ad eorum eximiam Minervam, ſolertiam, integritatemque politicam.* Internæ enim dantur in perſona eligenda iisque affectionibus, quibus meretur aliis præferri (§. 392). Quarum præcipuæ ſunt regia Minerva, ſolertia & integritas (§. 382). Dubio igitur caret, quin internæ rationes electionis vicariorum rectorum civitatis redeant ad illa tria.

§. 394.

Primariæ rationes eligendi vicarios ſummi imperii eſſe debent internæ. Non enim eligendi ſunt vicarii niſi digni, & ſi eorum plures occurrant potiſſimum, qui ſunt digniores in ſe vel digniſſimi prorſus (§. 339 363 & 369). Sed quo ſunt illæ inſitæ rationes, illa videlicet Minerva, ſolertia & integritas regia, præſtantiores, graviores certioresque, eo ſunt candidati in ſe digniores (§. 372. 374. 377. 379 & 382). Hæ ergo illos eligendi ad vices rectorum civitatis gerendas primariæ eſſe debent.

Primariæ electionis rationes ſunt internæ.

Nimirum electio præferre alium, eumque digniorem, aliis debet, quia meretur illis præferri (§. 364). Sed ſi quis tantum ob rationes externas præferretur, internæ rationes deficerent, itaque indignus eſſet ſparta, neque propterea illi admovendus (§. 339), & dignis præferendus. Liquet ergo externas rationes tantum eſſe ſecundarias, & primarias electionis rationes non eſſe niſi internas.

§. 395.

Earum potiores ſunt proximæ duæ, ſolertia & integritas (§. 382). Quia vero remotior non eſt ſpernenda (*ibid.*), quæritur, quatenus ejus ratio ſit habenda? Et *reſpondetur, illi tantum tribuendum eſſe, quantum meretur præſtantia habilitatis docilitatisque intellectus & aviditas voluntatis* (§. 373). Si enim tantum culturæ defectus & impedimenta obfuere, quo minus eo usque adoleſcere potuerit, quo aliorum adſpiravit; non deſperandum eſt, accedente cultura & uſu ipſo, exempla reliquorum imitaturo & æmulaturo, haud ita multo poſt Minervam egregiam in pares aut præſtantiores habitus abituram eſſe, ſi ad id incitetur. Ita enim in arduis artibus fieri conſuevit, ut egregia Minerva vel operibus & exemplis aliorum æmulandis ipſa per ſe ſenſim ſuppleat ſuo ardore & gloriæ ſtudio, quod

Quid pretii ſtatuendum ſit Minervæ cultura deſtitutæ?

quod defuit vivæ inſtitutioni educationique. Item & id obſervandum eſt, egregiam Minervam exercitatione ſecundum præſtantiora exempla diligenter continuatam vel ſuperaſſe eos, quorum educatio & inſtitutio multo exquiſitior fuit, ſed vel Minerva inferioris indolis, vel exercitatio remiſſior negligentiorque.

Exempla ut addantur, vel ideo non opus videtur, quia paſſim in variis artibus obvia ſunt, & valde imperitum eſſe illum oporteret, qui non ipſe quædam animadvertiſſet, attentus ad eos, qui in his illisve artibus excellunt, aut excelluerunt, & requirens modos, quibus ad eam præſtantiam eniſi ſunt. Mirum igitur non eſt, cur uti e pueris viri, ita ex rudibus artifices facti ſint, in aliorum exempla & opera felici Minerva acrius intuentes, ut αυτοδιδακτοι eſſe videantur, cum revera non ſint. In rebus politicis, & regnandi artibus ſimilia uſu venire, quid adeo miremur, cum & harum rerum par ſit ratio?

§. 396.

Indicia eximiæ Minervæ.

Eximia Minerva inde a prima pueritia ſe exerit actionibus extraordinariis, v. c. in pleroſque ejus ætatis non cadentibus; rapidisque profectibus in iis, ad quæ ſponte fertur, quibusque ſuam otium oblectat & fallit. Non indigent hæc difficili demonſtratione, quam quilibet, ſi velit, facile concinnabit, cum per experientiam fere ubique ſic explorata habeantur, ut niſi ab ignariſſimo in dubium vocari nequeant. Quemadmodum & illud indubie experimur, in adulta quoque ætate eadem indicia haud vulgaris Minervæ ex parte continuari, & *tum celeriori operis abſolutione*, quam alii haud vulgares artifices, ſi cætera ſint paria; *tum longe majori ejus præſtantia*, ſi eodem, tempore aut & paullo longiore elaboretur; *tum & ejus præſtatione, quod alii egregii præſtare nequeunt, comprobari.*

Prima pueritiæ indicia eximiæ indolis facile innoteſcere ſolent per eos, qui illius teſtes ſunt, vel ut educatores ſimul, vel ut familiares & domeſtici, cum ea reticendi nulla, propalandi autem non una ratio occurrat; vel ut alii a partium ſtudio alieni, quæ ipſimet experti ſunt, recenſentes tanquam nova quædam, nec ingrata auditu, ut fieri aſſolet. Reliqua ipſo facto & experimento capto ſe prodere conſueverunt ita, ut omne dubium evaneſcat.

§. 397.

Merita ejus & generis quando congruant?

Si ſublimi aut ſummo loco nati eximia præditi ſint Minerva, illorum educatio rite procurata efficiet, ut non tantum in ſe digniores evadant candidati vicarii regiminis, ſed & meritis majorum & generis univerſi commendentur, mereanturque aliis præferri. Etenim ſi eximia ſit Minerva, ea non levis momenti ratio eſt interna electionis, qua quis aliis præferri mereatur (§. 395). Huic ſi jungatur genuina & quam optima cultura, ea aſſurget, in tantum, quantum capere poteſt, faſtigium ſolertiæ & integritatis (§. 374. 377. 379). Sic internæ rationes primariæ, qua quis in ſe aliis præponi meretur, conſummabuntur. Proinde ſic in ſe digniores vicarii rectorum civitatis evadent ita nati educatique. Enim vero quatenus ſimul illuſtri aut ſummo loco nati ſunt, eatenus & parentum & majorum, & neceſſariorum meritis præterea commendantur, merebunturque & propter illos aliis, quorum cætera paria ſunt, præferri.

Hoc igitur caſu internæ rationes cum externis conſpirant, junctæque eo ſunt fortiores, uti §. 392. Vis enim rationum unita fortior, & eo eſt fortior, quo ſingulæ ſunt gravioris momenti, aut ſimul numero plures, quam quæ in aliis occurrunt. Similia ex parte dicenda ſunt de meritis mediocris hominum ſortis, & de pecunioſis, qui remp. opibus augent juvantque.

§. 398.

Quid debeatur eximiæ Minervæ humilium & pauperculorum.

Si vero humili loco & in magna vel summa paupertate eximia nascantur ingenia, illis prospiciendum erit vel e locupletum penu, vel ex ærario publico, vel legatis ad pias causas, ne maneant inculta degenerentque; sed potius ad gloriam numinis & salutem publicam erudiantur extollanturque. Quæ enim Dei est, sapientia, mirifice sua bona dolesque ingenii dispensat, ut humili loco sati sæpe mereantur summum & ad eundem adspirent; vice versa nobilissimo genere sati hebetis tardique aut vix ullius sint ingenii. Cujus eventus rationes sæpe numero non ita sunt abditæ, quin earum nihil elucescat. Est autem pietatis erga Deum, est charitatis erga civitatem & inopes, subvenire suorum ope destitutis præclaris ingeniis (§. 743 *P. VIII. Jur. nat.*), ut nihilominus emergere, Deum excultis suis dotibus celebrare, civitati plurimum prodesse, & scopum attingere possint, cui consequendo a Deo sunt destinati (§. 275 *P. II. Polit.*)

Levium ministeriorum aulicorum causa Ottommannico in imperio surdi & muti nati conquiruntur, & in aula educantur, ne arcana, quibus intersunt, percipere & prodere cuiquam possint, neu ægros turbent ullatenus suis tacitis quasi confabulationibus, quibus advigilando assidentes somnum a se depellunt, ne obdormiscant. Quidni summorum ministeriorum causa simili cura in aula aliisve locis publico sumtu educarentur eximia prorsus ingenia, sine ulla sortis conditione spectata, ut eo præclariora esse possint eorum ministeria & emolumenta publicæ rei inde oriunda? Sunt in aliis artibus gemina instituta, ut, quæ excellunt ingenia, gratis erudiantur in splendorem & decus artis. Nec quisquam est negaturus, id recte omnino fieri & curari.

§. 399.

Quando vicariis addi possint inge-

Quando non desunt illustria ingenia natura & arte ita formata, ut suo merito mirum quantum in muneribus suis excellant, tum & modica ingenia nec satis exculta extra ordinem admitti ad vicarium regimen

men possunt propter merita majorum aut familiæ, ut per hos cæteris beneficium reddatur, præmiumque obtingat. Etenim hoc casu reip. nihil derogatur per pauca membra hujusmodi supra numerum pernecessarium adjecta, cum cæteri sat pares sint omnibus imperii vicarii partibus, vel sine his bene perfungendis. Immo potius satisfit officio bene meritis gratiam referendi in suis necessariis, cum adversa fortuna alias immerito conflictaturis (§. 659 P. *VIII. Jur. nat.*); & ipsismet datur occasio, quantum fieri potest, aliorum exemplo exardescendi, & se ipsos nobili conatu imitationis vincendi. Quo plures igitur sunt, qui sufficerent functionibus vicariis quam optime obeundis, eo minus vitio vertendum est civitati, si & aliis officiis vacatura hoc non omnino supervacaneos in numerum vicariorum recipiat, ut inflammentur egregii ad merita eo majora. *nia per se parum apta.*

Est & illud consentaneum instituto, ubi illud receptum est, hereditariam nobilitatem ob merita majorum in posteris conservandi sustentandique; præsertim si non sua culpa sed vel calamitate publica, vel adversitate fortunæ miseri essent præter rem futuri, ni ipsis ita consuleretur, quantum fieri potest. Simul excellentioribus plus honoris & redituum ita conciliari potest, prout merentur. Contra male prospiceretur reip. si vel omnes vel plerique inepti & indigni in ruinam salutis publicæ vicario regimini præficerentur.

§. 400.

Si vero indigni ea propter eligantur, ne digniores emergere possint, male consuletur reip. damnum inde percepturæ, quod resarcire electores jure tenentur. Non enim conferenda est rectio vicaria nisi merenti & digno (§. 896 *P. VIII. Jur. nat.*). Ideoque rectori civitatis curandum est, ne ea conferatur nisi merentibus, & si eorum plures sint, dignioribus (§. 369), sive per se eam conferat, sive per alios, quos hac in re habet vicarios. Quod *Cur indigni non sint eligendi?*

 si

ſi non fiat, peccatur contra publicam ſalutem, ſive culpa gravi, ſive dolo, eique damnum datur. Quod cum a dante ſit reſarciendum (§. 580 *P. II. Jur. nat.*): ſi indigni electione damnum detur reip. autores electionis id reſarcire obligantur (§. 897 *P. VIII. Iur. nat.*), aut pœnam facti ſubire (§. 573 *ſeqq. ibid.*)

In primis nefarium foret, ſi eligentes vel ideo indignos eligerent, ut eos haberent aſſentatores & clientes, vel ne ipſorum autoritas per digniores electos diminueretur. Vtroque enim caſu doloſe contra ſalutem publicam ageretur. Quam cito enim fieri poteſt, ut digni, qui ſoli omnia ſuo nutu regere cupiunt ope aſſeclarum, ipſis cœco obſequio deditorum, mortem oppetant, & dein, qui inter cœcos regnant ſtrabones, nolint ab aliis dignioribus reprehendi, & ſuo excidere principatu, ideoque continuo pejores ſummo cum reip. detrimento vicariorum regiminis loco præficiantur? Quid aliud tandem inde eveniret, niſi ut reſp. ſerius ocyus peſſum daretur? Ergone neceſſe eſt, ut malis tantis, dictis remediis occurratur?

§. 401.

Quid habendum de electione per ſortem?

Inter alias rationes electionis externas ſors quoque occurrit, cui inter ineptos indignosque plane locus dari nequit; nec promiſcue inter indignos & dignos permixtos; multo minus in ea calliditate, qua indignorum electionis culpa quaſi in ſortem doloſe devolvitur; ſed tantum eo caſu, quando inter fere æque dignos, ne quis aperto ſuffragio præter rem poſtpoſitum ſe eſſe conqueri poſſit, ſorti arbitrium permittitur deciſionis. Officia enim publica non ſunt conferenda niſi dignis (§. 890 *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter inhabiles & indigni vicarii ſummi imperii eſſe non debent (339). Quæ cum conſilio agenda ſint ope electionis deliberatæ (365); & ſorte dirimenda non ſint, quæ conſilio fieri debent (§. 296 *P. V. Jur. nat.*): liquidum eſt, inter indignos candidatos ſorte eligi neminem debere.

Si

Si promiſcue digni & indigni ſorti ſubjicerentur, dubium plane eſt, digni an indigni nomen ſit exiturum, & ſæpius indignus, raro aut nunquam fere dignus eligeretur, præſertim ſi multo plures indigni, quam digni, ſorti committerentur, quod ſua radiat luce. Sed nemo indignus eſt eligendus, ut modo oſtendimus; & abſtinendum eſt ab eo, de quo dubium eſt, ſimusne recte id facturi nec ne (§. 447 *ſeqq. P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quare nec in hoc caſu dubio electio ſorti eſt tradenda.

Multo gravius igitur peccaret is, qui callide & doloſe culpam ſuæ pravitatis in ſortem transferre niteretur, & quaſi plures ſorti committeret, unum tantum, aut & plures indignos ſorti ſubiiceret loco dignorum, quos dicis gratia tantum nominaret, & revera omitteret in ſortitione facienda. Item is, qui ejusmodi ſortitionem eligeret, quam reliquis inſciis flectere pro lubitu in ſe aut illum indignum poſſet, cui præ cæteris qualicunque de cauſa faveret. Hic enim, quod in priori caſu error eſſe poterat, malitioſa vafrities eſt.

Illuſtrabo hunc caſum eo exemplo, quod relatum accepi contigiſſe de induſtria. Feminæ locupleti inter ignotos oſtenduntur plures proci, valde collaudati, ut dubia redderetur, quem cæteris præferret. Perſuadetur ipſi, rem tuto ſorti committi poſſe, ut ab illa decidatur. Fiunt tot ſchedulæ, quot propoſiti erant proci, ſed ipſa inſcia omnibus pauperrimi ejusque unici nomen inſcribitur, ne alium, quam hunc reperire in ſchedula, quam acciperet, poſſet. Fraudulenter id inſtitutum fuiſſe, nemo ambiget. Alteri caſui ſimilis eſt Darii Hiſtaſpidis inter Perſas electio, hinnitu caballi elicito callide facta. Alios caſus aleæ &c. aſtute commiſſos lubens prætermitto (§. 725 *P. I. Polit.*)

Si plures revera digni adſunt, neſcitur autem, quis præferendus ſit, perinde erit, quis ex illis præferatur. Vt

tamen absolvatur electio, licita adhiberi potest ratio externa, cujusmodi in eo casu est sors, quando alia commodior non occurret (§. 572 *P. I. Polit.*) V. c. si post paria suffragia ultimus suffragator decisionem ita daturus, ut nihil affectui dedisse intelligatur, dum parem candidatorum dignitatem agnoscit & profitetur, decisionem sorti electrici potest demandare, ne alterum præferendo temere alterum postposuisse videatur.

De hoc casu plura, quæ commentatus sum, legere potest, si cui lubet, in *Disp. de Electione per sortem ed. a. 1743.*

§. 402.

Num quis eligendus sit ob solas rationes externas.

Ob solas rationes externas nemo vicarius est eligendus. Si solæ sint rationes externæ, nullæ aderunt rationes internæ, ideoque nulla aderit dignitas, qua quis eligi mereretur (§. 382 & 394 *seq.*). Eligeretur igitur indignus contra officium (§. 339 & 401). Ob solas igitur rationes externas vicarius regiminis nemo est eligendus.

Si quis forte abundantes illos objicere vellet, de quibus §. 399 dictum; is ibidem reperit responsum, in illis male sumi defectum rationum externarum, cum ingenia modica illis insint, & tantum eximia desint. Quis contenderet, imperio præficiendos esse amentes, vel cæcos, surdos & mutos; vel Caligulæ equum, *incitatum*, haud inepte Consulem Romanum fieri potuisse?

§. 403.

Quantum tribuendum sit rationibus externis?

Cum ob rationes externas solas nemo sit eligendus (§. 402), patescit, *tum illis, quantum licet, tribuendum esse, cum pares omnino aut propemodum adsunt rationes internæ*, (§. 401); *ideoque hæ tantum ut secundariæ rationes illis aliquid ponderis addunt*, (§. 394); mixtasque præstant (§. 392). Non licet vero illis plus tribuere, ac revera merentur in se, & in comparatione cum

cæteris

cæteris attendendis. Neque enim, ſi ſunt rationes, nihil momenti ipſis ineſſe poteſt. Indagandum igitur, quantum ipſis momenti inſit, vel quantum mereantur, in ſe, & ratione ejus, cui debeant prodeſſe, & eorum, quibus ſunt obfuturæ; item quantum aliæ alias vel numero vel momento & pondere vincant.

Exempli loco ſit inopia, cujus & magnitudo in ſe, & cauſæ, num fortunæ an culpæ leviori aut graviori debeatur, ſpectandæ ſunt, & modi diverſi, quibus illi pro ſorte diverſa ſubveniri melius poſſit. Si eadem comparentur cum aliorum ſeu inopia ſeu opulentia, cæteriſque momentis, & reip. indigentia; verum ipſis pretium poterit aſſignari. Quoniam ſimul liberalitati in illa electione locus eſſe ſolet, delectus in ea requiritur dignitatis, in quo & mores ejus ſpectandi ſunt, in quem beneficium confertur, & animus erga nos, & communitas ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates officia ante collata. Quæ ut concurrant omnia optabile eſt, ſin minus, plures cauſæ majoresque ponderis plus habebunt . . . . In collocando beneficio & in referenda gratia, ſi cætera paria ſunt, hoc maxime officii eſt, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari; ut *Cic. L. I. de offic. c. 14 ſeq.* monuit.

§. 404.

Quid dandum ſit precibus & commendationi aliorum?

Nudis aliorum precibus commendationibusque plus tribui nequit, quam merentur earum rationes, cum ſalute publica conjunctæ. Nudæ enim preces commendationesque ex pravis affectibus aut inſcitia indignos inſinuare poſſent, qui eligendi non ſunt (§. 339 & 400). Quando autem rationes earum explorantur, deprehenduntur que & veræ eſſe, & ad ſalutem publicam amplificandam comparatæ, tam nulla apparet ratio, cur non eſſent attendendæ, potius quo plus in ſe valent, & ad ſalutem publicam faciunt, eo plus ipſis erit tribuendum (§. 392).

Nudæ

Nudæ forent preces & commendationes, quæ vel nullis niterentur rationibus, vel falsis & commentitiis, veris suppressis, quæ in corruptione ope pecuniæ, in servili assentatione & placendi studio perverso, in libidinis ministerio, aliisque similibus haberentur, quos profiteri vel ipsos deprecantes commendantesque pudet. Alia vero ratio est, si rationes precum commendationisque & veræ & momento suo non destitutæ reddantur, re explorata tantum ipsis pretii erit statuendum, quantum merentur in se, earumque cum salutis publicæ amplificatione connexio.

§. 405.

Quinam recte illis utantur? Quia habilis ad locum vicarii regiminis jus perfectum habet illud ambiendi (§. 895 *P. VIII. Jur. nat.*), & dum eodem dignus est, meretur, ut ipsi idem conferatur (§. 896 *ibid.*), & ut alii quoque, si opus est, ipsum commendent, vel precibus suis insinuent: *recte is quoque commendationes precesque eorum adhibet, qui autoritate & gratia sua multum apud eligentem vel eligentes valet*, (§. 403), *quando illis eget.*

Facit huc id, quod *Cicero Epist. L. V. 12.* inter alia inspergit: Placet Hector ille mihi Nævianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, a laudato viro. Et L. XV. 6. Lætus sum, inquit Hector apud Nævium, laudari me abs te, pater, a laudato viro. Ea enim est profecto jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt (vivunt). Vti *Seneca Epist. 52.* ait: nemo per se satis valet, ut emergat, oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat . . . . Quid lætaris, quod hominibus iis laudaris, quos non poteris ipse laudare. Recte igitur perhibent, pulchrum esse, laudari a laudatis vel laudatissimis, & commendari a gratiosissimis suo merito. Conf. §. 542 *seqq. P. I. Jur. nat.*

§. 406.

Vbi cavendum sit, ne Etsi vices regiminis venales esse plus licitantibus non debent (§. 891 *P. VIII. Jur. nat.*); hoc tamen non obstat, quo minus,

minus, quando plures digni competitores habentur, necessitatis ac utilitatis publicæ causa aliquid a bene numatis in publicum conferendum sit, pro facultatibus suis, & reditibus obtinendis definitum, præsertim qui aliis meritis destituuntur; modo ea de causa habiliores aliisque meritis excellentes, non immerito postponantur (§. 891 *ibid.*). *Insigni tamen prudentia vel cavebitur, ne eo instituto opus sit, vel, si dudum receptum loco moveri commode nequit, ne in perniciem reip. degeneret, & crimini ambitus locus detur* (§. 893 & 894 *ibid.*). *venales fiant vices regiminis?*

Est & hæc ratio externa, qua pro obtinendis quibusdam imperii publici partibus certa pecuniæ summa datur, ita comparata, ut sine meritis dari, iisque officere possit, nisi damno caute occurratur. Sive enim personæ tantum, sive & ejus hæredibus adquiratur ita parta sparta, vix tamen periculo carebit, nisi tantum in exigui momenti & raro casu locum habeat. Cujusmodi in Germania Electorum & eorum vicariorum sunt munera, in solemni inauguratione imperatoris electi obeunda &c. Non ignota vero sunt loca, ubi & aliæ imperii publici vices hæreditario & eo jure adquiruntur, ut vicissim vendi aliis, consensu rectorum civitatis possint. Vnde haud pauca incommoda reip. nasci solent. Quibus quantavis cautione resistatur, vix tamen satis evitantur, si vel ita institutum limitetur, ut tantum quotannis certa, v. c. decima, redituum pars in publicum sit conferenda, nisi summa æquitas observetur (§. 134 *seqq.*). Satius igitur est, si, ut plerumque fit, aliter reip. consulatur, & reditus vicariorum æque ac jura reliqua emenda non sint sed merenda.

§. 407.

Quia rationibus externis plus tribuendum haud est, quam in se & ratione aliarum merentur (§. 403), & rationes externæ, quæ in bonis veris dantur, vel pertinent ad bona corporis, vel ad bona fortunæ, uti internæ bonis animi absol- *Quid pretii faciendum sit cæteris rationibus externis?*

vuntur (§. 392. *seqq.*): facile perspectu est, *cætera quoque corporis & fortunæ bona, de quibus nondum egimus, non esse pluris facienda, ac in se, & ratione aliorum, præsertim salutis publicæ, fieri merentur,* sive in nobismet dentur, sive in aliis (§. 900. *seq. Psychol. empir.*).

Bonorum externorum dum facio mentionem, & removeo ea, quæ vera bona non sunt, sed esse tantum videntur, aut pro illis venditantur, & simul viam sterno ad mala corporis & fortunæ similiter dijudicanda, qualia in se & per suas causas haberi & æstimari debent. Quod haud absimili ratione fieri potest, ac id ostendimus circa animi mala & vitia §. 390. *seq.* Referuntur autem ad corporis bona, præter vitam, sanitas, integritas membrorum & organorum, commoditas, jucunditas, pulcritudo, robur, vigor, agilitas, decor, habitus adquisiti &c. Ad fortunæ bona parti honores dignitatesque civiles &c. nobilitas & antiquitas generis, gloria majorum, autoritas, gratia, amicitia, favor magnatum vel rectorum civitatis, potentia, opes, clientes fortuna obsecundans in rebus fortuitis & successibus inceptorum. Quæ quid in recessu habeant, experientia docet historiaque.

§. 408.

Integritas politica tria includit.

Vti integritatis civilis radix est aviditas legitime regnandi, seu exercendi regnandi artem (§ 373.), & ope eximiæ culturæ propullulare in virtutes regendi practicas debet, ut perfecte adolescant (§. 374.): ita *illa se diffundit in solidam pietatis stirpem, duobus ramis, imperio sui ipsius, & charitate salutis publicæ insignem;* vel *ex solida pietate profert imperium sui summum, & par salutis publicæ studium.* Complectitur enim omnes voluntatis virtutes publicas (§. 378.). Quæ sunt ob similitudinem cum autarcha (§. 368.), in basi summa pietas, in æqualibus basi cruribus sublime imperium suorum affectuum, & studium publicæ salutis, illud in morum genere velut triangulum regulare (§. 92. 95. & 99.). Ex his exsistere integritatis civilis stemma omnemque genealogiam facile est divinatu.

§. 409.

§. 409.

Gradus hujus integritatis ſi paullo enucleatius adſpicere lubet, *deprehendentur materiales in diverſa multitudine & magnitudine rerum regimini ſubjectarum.* Hæc enim negotia diverſa regiminis materia ſunt, circa quam ars regnandi practica occupatur, & in qua velut in ſua aula verſatur, virtutes eo facientes itidem numero & gravitate diverſas quam optime exercens. Quo plura igitur ſunt negotia, quove majoris momenti & difficiliora expeditu, eo major hæc integritas erit cenſenda; & in contrario caſu eo minor (§. 384.), ratione objecti, circa quod operatur.

Ejus gradus materiales.

Quia materia hic objectum eſt virtutum, ſeu res, circa quas ſe exſerunt, quæ ſunt & manent extra virtutem, poſſent hi gradus etiam *externi*, vel hoc eorum diſcrimen externum aut *commune* & *generale* vocari. Formale vero diſcrimen *internum* eſt, *ſpeciale* & *proprium.* Quæ vocabula germanicæ linguæ aliisque plurimis aptiora & clariora non abs re dicantur. Par eſt ratio graduum cognoſcendi ſuperiorum & inferiorum. V. g. ſenſus externi differunt qua motus ſenſibiles, qui ſunt lux cum coloribus, ſoni cum tonis, odores, ſapores, & tactilia, horumque diverſam multitudinem, magnitudinem & in plerisque diſtantiam ab homine. Differunt quoque in modo ſentiendi, pro organorum ſenſoriorum diverſitate, ſtructura, incolumitate, & pro modi perfectione aut imperfectione, ut claritate & obſcuritate &c.

§. 410.

Formales hujus integritatis gradus jam intelliguntur prodire e diverſa perfectione religioſæ pietatis, ſublimis imperii ſuorum affectuum, & tantidem ſtudii ſalutis publicæ. Etenim quo ſunt virtutes regnandi practicæ majores minoresve, eo etiam majoris aut minoris gradus eſt integritas publica (§. 385.). Et quo perfectiores ſunt illæ virtutes in candidato, eo ipſe dignior eſt vicibus illis cenſendus (§. 386.). Quare cum integritatis hujus triangulum regu-

Et gradus formales.

regulare includat ſublimitatem pietatis, imperii ſui ipſius, & charitatis ſalutis publicæ (§. 408): diverſa perfectio trifolii hujus in ſe ſuisque receſſibus & fibris efficiet diverſos integritatis regalis gradus formales.

§. 411.

Exortus integritatis e trilice illo morali.

Proxima boni regiminis vel integritatis publicæ ratio eſt charitas eximia ſalutis publicæ; ſed ea dari & exerceri optime nequit ſine ſummo ſui ipſius regimine, vel ſine ſumma moderatione affectuum ſuorum; & neutra faſtigium ſuum aſſequetur ſine religioſiſſima pietate. Nimirum omnium, quæ in civitate ejusque regimine fieri debent, ſuprema lex eſt publica ſalus (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter eximium ſalutis publicæ ſtudium proxima eſt integritatis publicæ norma, & genitrix optimi regiminis civitatis.

Sed quomodo civitatem optime reget, qui ſe ipſum regere neſcit (§. 147. *ſeq. P. III. Polit.*)? Qualis eſt, qui mancipium eſt affectuum ſuorum (§. 125. *ibid.*). Multo minus igitur quisquam optime exercere poterit bonum regimen charitatemque ſalutis publicæ, niſi quam optime regere ſe ipſum didicit, affectibus ſuis ope rationis imperando.

Cum vero nil magis deceat juvetque rectorem civitatis quam ſumma pietas (§. 92.), utpote quæ omnes reliquas virtutes perficit ſublimioresque reddit (§. 344. *Phil. pract. univ. P. I.*): oppido conſtat, nec ſtudium ſalutis publicæ, nec imperium ſui ſummum aſſequi faſtigium poſſe, quod in hominem cadit, niſi ſuperſtruatur religioſiſſimæ pietati.

§. 412.

Ante electionem liquere debet, cui inſint dignitatis criteria.

Electuro regiminis vicarium non tantum liquido perſpectum eſſe debet, quæ ſint genuinæ rationes eligendi, & quantum valeant; verum etiam quibus candidatis illæ vel inſint, vel non inſint, quove gradu. Scilicet electio vicarium jus imperandi transferre debet in perſonam merito præferendam, non in rationes & qualitates ab-

ſtra-

ſtractas, quæ ſeparatim nusquam exiſtunt, vel exiſtere poſſunt (§. 364.). Quapropter conſtare electuro vel electuris debet, cuinam aut quibusnam inter candidatos genuinæ rationes & quo gradu revera inſint, ob quas, & quatenus cæteris præferri mereantur. Hoc igitur penitius, & quam certiſſime fieri poteſt, noſcendum eſt, antequam electio recte fieri poſſit (§. 366.); & cum per ſe non liqueat, ante omnia ſolicite explorandum eſt (§. 367.). Ita conficitur, quod ſtatuimus, electuro regiminis vicarium liquido conſtare debere, quibus candidatis quænam inſint vel non inſint, quove gradu dignitatis criteria & genuinæ rationes, ob quas in dato caſu aliis præferri mereantur.

Negata eſt hominibus aliorum καρδιογνωσία, vel perſpicientia receſſuum animi, quos dicimus, & latebrarum (§. 72. *P. I. Ethic.*). Qui cum non tantum difficiles ſint exploratu, ſed & haud raro imperſcrutabiles (§. 75. *ibid.*): opus erit, ut hæc dilucidius pro viribus explicentur.

§. 413.

Modus explorandi criteria dignitatis candidatorum duplex eſt, tum ratione originis, tum ratione gradus cognitionis. Origo cognitionis eorum vel proprio vel alieno debetur marti. Gradus vel præſtat certam, vel probabilem tantum eorum cognitionem. Illum explorandi criteria dignitatis modum, qui certam eorum præſtat cognitionem, dicemus recepto uſu *ſcrutinium.* Alterum, qui tantum veriſimilem præbet cognitionem, *conjecturam.* Quæ quando tantum aliorum autoritate nititur, *fides* appellatur, uti aliunde conſtat. *Diviſio modi illa indagandi.*

Argumenta, abdita, arcana ſcrutari, optimi dicunt autores, dum eorum diligentem explorationem innuere volunt. Et cui non notum eſt *Huarti ſcrutinium ingeniorum?* Cum accurata ſcrutantium perquiſitio & excuſſio omnium certam cognitionem

 ſibi

ſibi propoſitam habeat: haud invito uſu, ſcrutinium vel ſcrutationem adhibemus pro exploratione certæ cognitionis abditorum, ſeu veritatis criteriorum dignitatis candidatorum. Prout & imperſcrutabile in genere eſt, cujus certa cognitio obtineri nequit. *Conjecturam* autem dicimus opinionem probabilem de re latente; ſeu explorationem & explicationem quadamtenus veriſimilem rei abſtruſæ.

§. 414.

Quid ſit ars perſcrutandi & conjectandi?

Habitum explorandi veritatem moralem rei abſconditæ, vel inveniendi certam cognitionem in moralibus, dicemus *artem perſcrutandi* vel docimaſticam; & habitum veriſimilem rei moralis cognitionem explorandi & adipiſcendi, *artem conjectandi*, vel ſtochaſticen, aut ευςοχιαν. Quatenus hæ in Politica requiruntur, utraque civilis erit, ut ab alia, v. c. docimaſtica metallorum, ſtochaſtica phyſica &c. diſcernatur.

Vtramque pertinere ad artem inveniendi, vel me non monente intelligitur. Priori enim abſtruſæ veritatis moralis in caſu ſingulari certa; poſteriori, quando certa haberi nequit, probabilis ejus cognitio reperiunda eſt. Poſteriorem ſibi ex parte generali vindicavit *Pars II. Philoſophiæ practicæ univ.* ubi §. 704. is mores conjectare dicitur, qui ex iis, quæ in ſenſus incurrunt, probabiliter colligit determinationem generalem appetitus & averſationis, quoad actiones certi generis, vel ſpeciei certæ. Sequenti §. 706. ea, quæ in ſenſus incurrunt, ex quibus dicta illa probabiliter colliguntur, dicuntur ſigna morum; & §. 707. *Semiotica moralis* vocatur ars conjectandi hominum mores.

§. 415.

Quouſque penetret ars perſcrutandi?

Quia civilis docimaſtica, vel ars perſcrutandi, certam cognitionem præſtare debet criteriorum dignitatis candidatorum vicarii regiminis (§. 414.), & certa cognitio eſſe nequit, niſi cujus contrarium intelligitur repugnare vel ſibimet, vel aliis veritatibus manifeſtis (§. 55. *Ontol.*), vel cujus veritas indubia

dubia patet (§. 564. *Logic.*): *docimaſticæ civilis eſt, criteria dignitatis candidatorum ita explorare, ut eorum cognitio certa & indubia obtineatur, per quam innoteſcat, ſi quis aliter ſtatuere vellet, eum vel ſibimet ipſi, vel aliis manifeſtis veritatibus eſſe contradicturum.*

§. 416.

Si quis certam habet cognitionem criteriorum dignitatis candidatorum vicarii regiminis, ille eorum ſcientia eſt instructus (§. 595. *Logic.*). Dum *ars perſcrutandi* præſtare debet dictorum criteriorum tam certam cognitionem &c. (§. 415.), *ſcientia illorum inſtruere debet mentem candidatum electuri*, ut liquido perſpiciat, aliter de dignitate vel indignitate competitorum ſtatui non poſſe. *Imbuit ſcientia dignitatis candidatorum.*

§. 417.

Dum ſcientia notat habitum ſcita demonſtrandi (§. 594. *Logic.*); & ars perſcrutandi animum imbuere debet ſcientia criteriorum, quibus candidatus vicarii regiminis illud mereri vel non mereri noſcitur (§. 416.): *docimaſtica politica requirit habitum demonſtrandi criteria dignitatis candidatorum, unde conſtet, utrum mereantur vicario regimini adhiberi, nec ne?* *Habituque merita demonſtrandi.*

§. 418.

Habitus demonſtrandi utitur principiis indubiis vel per ſe manifeſtis, & ex iis dein concluſiones legitime probat (§. 498. *Logic.*). Ars perſcrutandi habitum demonſtrandi requirit, utrum candidatus mereatur vicario regimini adhiberi, nec ne (§. 417). *Uti ergo eadem debet principiis demonſtrandi indubiis, & ex iis concluſiones efficere æque indubias, ut liquido conſtet, candidatos vel eſſe dignos imperio vicario, vel indignos.* *Ope demonſtrationum.*

§. 419.

Prima demonſtrandi principia a priori ſunt definitiones accuratæ, a poſteriori experientia indubitata; ſecunda, quæ ex his demonſtrantur (§. 562. *Logic.*), ſcilicet axiomata, poſtulata, *Earumque materiæ?*

lata, corollaria, propositiones demonstratæ, sive theoremata & problemata. *Hujusmodi igitur præmissis ars perscrutandi evincit, quinam digni sint imperio vicario candidati, qui indigni* (§. 418).

§. 420.

Et formæ. Cum habitus demonstrandi legitime probet conclusiones ex indubiis præmissis (§. 418): *docimastica civilis itidem criteria dignitatis candidatorum legitime probat, non utendo nisi genuinis syllogismis, iisque, ubi pluribus opus est, concatenatis* (§. 498. *Logic.*).

§. 421.

Præsertim qua solertiam integritatemque publ. Criteria habilitatis candidatorum proxima, quibus per se mereri regimen vicarium intelligebantur, erant solertia & integritas politica (§. 395.). *Hæc igitur docimastica civilis eruit ex principiis per se manifestis, non utendo nisi legitima probatione* (§. 418. *seqq.*).

§. 422.

Vel a priori, vel a posteriori, vel mixte. Quoniam principia per se manifesta, indubiæ sunt veritatis definitiones & experientiæ, & illæ quidem a priori, hæ a posteriori evincendis aliis veritatibus inserviunt (§. 419): *demonstratio, certam pariens criteriorum, quibus candidati mereri intelliguntur vices rectorum civitatis gerendas, cognitionem, vel a priori vel posteriori vel utrinque eandem suppeditabit* (§. 663. *Logic.*) (§. 434. & 435. *Psychol. empir.*). Quia axiomata & postulata facillime ex definitionibus seu terminorum notione patent, illa quoque principiis per se manifestis certisque accensentur (§. 572. *Logic.*).

§. 423.

Item vel directe vel indirecte. Datur demonstratio vel directa vel indirecta (§. 549 *seq. Logic.*). Qua propter & *demonstratio, quis mereatur gerere vices imperii publici, nec ne, aut directa erit, aut indirecta.* Directa ex notione subjecti, aut addita determinatione ac conditione colliget conclusionem (§. 549. *ibid.*); indirecta autem illam evincet per absurditatem aut falsitatem ejus demonstratam, quod

con-

concluſioni contradicit (§. 550. *ibid.*). Subjectum in præſenti re conſtituunt *candidati, quoad criteria dignitatis ſpectati*, quæ ſunt vel internæ eorum determinationes, videlicet qua Minervam, ſolertiam & integritatem eximiam in negotiis imperii publici vicario jure tractandis; vel externæ, quatenus attendi merentur (§ 399. & 401. *ſeqq*).

§. 424.

Vel proprio marte vel alieno.

Rationes electionis certo cognoſci poſſunt proprio marte accurate adhibito, & fere certo tum alieno marte, cum ſumma ejus eſt immunitas a dubiis & fides certa. Etenim ſi quis intellectu aut ſenſu ſuo legitime accurateque utitur, in illo caſu a priori, in hoc a poſteriori veritatem rationum electionis indubie agnoſcit (§. 422.). Certo igitur eas rationes agnoſcit, vel ut per ſe manifeſtas, vel per demonſtrationem, aut quia illas demonſtrare valet (§. 418.). Si vero illas alieno marte ita agnoſcit, ut nullum dubium reſtet, quin alii indubie vera cognorint & dixerint, fides omnibus numeris abſoluta, h. e. omnia habens ad veritatem requiſita, certa eſt (§. 614. & 940 *Logic.*), ideoque cognitio rationem electionis prope certa eſt, utpote cui nil obſtat, quam mera poſſibilitas contrarii, rationibus exiſtentiæ deſtituta; quæ per hypotheſin manifeſta ſunt.

§. 425.

Ope propriæ experientiæ & intellectionis.

Proprio marte rationes electionis vel cognoſcuntur per experientiam, vel per intellectum. Per experientiam confuſe cognoſcuntur ſenſu duce ſingularia, quando attenti ſumus ad perceptiones noſtras (§. 664 *ſeq. Logic.*). Experiri ergo quoque & confuſe, quamvis clare ſatis, cognoſcere poſſumus ſingulares candidatorum rationes eligendi internas & externas (§. 392.). V. g. qua gaudeant Minerva, qua ſolertia, qua integritate, qua antiquitate generis, qua gloria majorum, qua indigentia &c. (§. 407.).

Possunt vero eadem quoque, saltem ex majori parte, distincte cognosci recto accuratoque usu intellectus, ejusque adquisiti habitus demonstrandi vel ope scientiæ (§. 417. *seq*). Quod fit perscrutando notas indubias eximiæ Minervæ prodentis se per effectus indubios (§. 396), eximiæ dexteritatis & solertiæ (§. 376. & 384-388); atque egregiæ integritatis publicæ (§. 378. & 408. *seqq.*); nec non præsentiæ animi insignis (§. 380.).

§. 426.

Per effectus indubios exploratos.

Quia dubium nullum est, quemquam id præstare posse, quod suo marte actu præstitit & præstare solet (§. 170. *Ontol.*): *potest* quoque *necessaria ad* electionem, *vel vices imperii gerendas, solertia, integritas & præsentia animi, explorari per effectus indubios, a candidatis pro re nata requirendos, ut edantur, vel edi olim solitos.* Prius consequi electurus potest, proprio examine, vel huic simili colloquio, institutis, vel speciminibus injunctis ita præstandis, ut intelligi inde indubie possint dignitatis, de qua quæritur, criteria. Posterius, si candidatus adjungatur aliis, quibus gratis vicarias præstare operas aliquamdiu jubetur in iis partibus, quibus par vult videri; aut si ejus data olim specimina profectuum in illis rebus aut similibus id comprobent luculenter, aliaque negotia similia bene gesta.

Examina, uti exagia, in libra & rebus ita ponderandis adhibebantur, ut fraus omnis amputaretur; hic autem notant scrutinia facultatum mentis & profectuum per responsiones ex tempore dandas ad arduas quæstiones improvisas; uti judicialia examina delicta scrutantur negata a maleficis, ut ipsi eorum convinci possint. De his *Horatius Sat. 2. L. 2.* male verum, inquit, examinat omnis corruptus judex. *Colloquia his similia* sunt, quibus moventur & in medio ponuntur res altioris indaginis, perspicaciæ & virtutis, ut sententiam suam de illis extemplo promens, animi recessus simul prodat; sive eximiæ præstantiæ, sive defe-

defectuum illius documenta exſerat. *Specimina* autem non ita extemplo, ſed meditata & elaboratiora ſuæ artis vel peritiæ exempla & pericula indubitata ſiſtunt. Diſputationes editæ, & publice contra fortes adverſarios defenſæ, ambo illa documenta animi præſtantiæ conjungunt.

§. 427.

Alieno marte propemodum certa meritorum candidati cognitio obtinetur per teſtes fide digniſſimos, eosque plures, nequaquam ex compacto inter ſe conſentientes. Tum enim ſunt fide digniſſimi, cum nullum eſt dubium, quin ipſi veriſſime merita cognoverint, nec alia perhibuerint in ſuo teſtimonio, præſertim ex conſcientiæ vel & juratæ fidei religione profecto (§ 424.). Cujus modi ſi plura ſint, ab omni corruptelæ, erroris & conſpirationis ſuſpicione vacua, tum nil amplius ad fidem pleniſſimam illis habendam deſiderari poteſt. *Quomodo alieno marte?*

Hujusmodi teſtes ſunt, qui a longo tempore candidatos penitius & intime oculati cognoverunt, qui eorum fuere educatores, tutores, magiſtri, contubernales, commilitones, familiares, hoſpites haud ſubleſtæ fidei, ipſique adverſarii & æmuli in his, ubi cum aliis concordant. In eundem cenſum referri quoque merentur, qui vel ipſi examinatores fuere, vel frequentibus candidatorum ſpeciminibus aut examinibus interfuere, ut attenti peritique judices virtutum vitiorumque.

§. 428.

Quæ vero tamen liquido explorari nequeunt, ſeu propter naturam rerum, ſeu propter officia graviora, tali ſcrutinio haud poſtponenda, ea ope artis conjectandi & alieni martis indaganda ſunt, quousque fieri poteſt. Sive enim natura rerum & indolis humanæ deneget talium rationum certiorem perſpicientiam, ſive graviora officia avocent ab illa diſquiſitione: legitimis impedimentis eſt cedendum, & adquieſcendum in eo, quod habetur in poteſtate (§. 192. & 209. P. I. Phil. pract. univ.). Quia vero culpam evitaturus & con- *Ubi docimaſticæ ſurroganda ſtochaſtica?*

conſcientiam cuſtoditurus, omnem facere debet facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, & ut facere poſſit, omnem dare operam (§. 642. *ſeq. P. II. Phil. pract. univ.*), ubi docimaſtica locum habere nequit, ibi utendum eſt, quam optime fieri poteſt, ſtochaſtica civili, quæ eſt ars conjectandi animorum receſſus (§. 414); & quod per nos fieri nequit, indagandum eſt marte alieno (§. 338.), &, qua par eſt fide, credendum (§. 413.).

§. 429.

Quæ certo prævideri nequeant in vicariis?

Futura autem fortuito contingentia in ſtatu vicarii, & liberæ voluntatis mutationes etiam a rectoribus civitatum certo prævideri nequeunt, ideoque tantum conjectanda ſunt ope ſtochaſticæ. Futura enim fortuita non eveniunt ita, ut ab homine omnino prævideri poſſint, ideoque ad fortunam referuntur (§ 542. P. I. *Theol. nat.*). Qua propter & futura in ſtatu vicarii fortuito eventura a nullo homine certo prævideri poſſunt. Laborant igitur alii eorum inſcientia invincibili (§. 737. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ejusdem commatis ſeu generis eſſe mutationes liberæ hominum voluntatis, & habituum ab ea pendentium, dubitare nos non ſinit experientia, ubivis locorum ſæpenumero obvia. Quapropter ut ea tamen obſervari poſſint, quæ circa fortuita hujusmodi & inopinata in officio ſunt, qualia circa ipſam fortunam (§. 587. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), circa contractus aleam continentes (§. 286-303. *P. V. Jur. nat.*), circa pericula (§. 107. 678. *ſeq. ibid.*) &c. occurrunt, utendum eſt conjecturis optimis & arte conjectandi politica (§. 428.).

Patet inde tam ample patere campum artis conjectandi civilis, quam prævifio futurorum in hominum ſtatu dari nequit, & tamen nonnulla futurorum fortuitorum ratio in prudenti regimine habenda eſt. Id quod ulterius explorandum erit.

§. 430.

§. 430.

Vbi futurorum fortuitorum ſalutis publicæ ergo ratio habenda eſt, ibi utendum eſt arte conjectandi civili. Etenim ubicunque futurorum fortuitorum ratio habenda eſt in civitate, ibi ſalutis publicæ cauſa propter illa alia erunt agenda, alia omittenda, alia præcipienda, alia prohibenda, quod res ipſa & uſus docet. Sed fortuita futura præſciri nequeunt, etiam in ſtatu vicariorum regiminis ſeu naturali ſeu morali (§ 429). Cùm igitur nihilominus, quantum fieri poteſt, noſcenda ſint, ut eorum ratio haberi poſſit, neceſſum eſt, ut ſtochaſtica civili, quantum fieri poteſt, conjectentur. *Officiorum cauſa tamen conjectanda ſunt.*

Providere nempe melius eſt, quam poenitere, cum turpius ejiciatur, quam non admittatur hoſpes. Iſthuc eſt ſapere, non, quod ante pedes modo eſt, videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt. *Terent. Adelph. A. 3. ſc. 3.* Quæ cum præſciri ab homine in rebus fortuitis nequeant, probabili colligenda ſunt argumento, & conjectura eundum in occulta iſta, quatenus aliter officio fungi non licet.

§. 431.

Statum hominis *naturalem* dicimus, qui non eſt in ipſius poteſtate, ideoque dependet a cauſis naturalibus voluntati haud ſubjectis: *moralem* autem, qui eſt in ipſius poteſtate, ac potiſſimum ab uſu voluntatis ejus dependet. Vterque hic conſideratur, quatenus eſt mutabilis in vicario futuro. *Definitio ſtatus hominum naturalis & moralis.*

Nempe ſtatum prodire e mutabilium determinatione, vel ortu & continuatione in homine, qui futurus eſt regiminis vicarius, partim notio ſtatus docet (§. 705 *Ontol.*), partim res, de qua hic agimus. Iſque hic potiſſimum internus conſideratur qua totum hominem ratione corporis & animi, hujus inprimis, qui e modorum eventu enaſcitur (§. 706 *ibid.*). Iam vero non tam in ſe ille ſtatus hic attenditur, quam ratione influxus in functionem imperii vicarii, de quo eſt ſermo. Qui quan-

quam fortuitus efficiet tamen aliquid vel boni vel mali in rep. quorum illud eſt perſequendum, ut obtineatur; hoc vero abhorrendum, ut avertatur & evitetur, quantum fieri poteſt. Ad ſtatum naturalem hominis pertinet vita & mors naturalis, membrorum corporis integritas & læſio vel jactura, animus ſui compos vel impos futurus. Moralis ſe exſerit in virtutibus vitiisve, quibus indulget.

§. 432.

Ejus influxus in vicarium regimen.

Vterque hic hominis ſtatus vel prodeſſe poteſt functioni regiminis, vel obeſſe. Si enim ſtatus naturalis eſt bonus, perficit ille hominem, ejusque functiones, ut vivat, incolumisque vigeat, & alacris lætusque ſit & officiis par; ideoque & functionibus publicis ſibi demandatis recte, & cum inſigni emolumento ſalutis publicæ, præeſſe poſſit ac præſit. Si is autem ſit malus, vel impos animi prorſus, vel impeditus & impar erit functionibus ſuis obeundis, ut ſi captus ſit mente, vel viſu, vel auditu, ſi æger lecto affixus decumbat, &c. Sic & moralis ſtatus virtutibus eluceſcens & invaleſcens expeditius ac felicius reddet vicarium regimen, quod negligentia, corruptio & vitioſitas depravabunt aut pernicioſum facient. Vtrumque abunde confirmant experientiæ documenta.

§. 433.

Ideo prudenter utendum arte conjectandi.

Quia futura quoque mala hominem infelicem reddunt (§. 406 *P. I. Philoſ. pract. univ.*), ac, quantum fieri poteſt, avertenda; bona vera illum felicem reddunt (§. 402 *ibid.*), ideoque adquirenda ſunt (§. 347 *ſeqq. P. II. Philoſ. pract. univ.*): *liquet, etiam vicarii regiminis futura mala eſſe evitanda, & bona ſectanda, quantum fieri poteſt.* Quod cum fieri nequeat, niſi, quantum fieri poteſt, conjectura prænoſcantur: *opus eſſe intelligitur, arte iſta conjectandi, ejusque diligenti prudentique uſu.*

§. 434.

Futurus hominis ſtatus naturalis conjectandus eſt, quantum da- tur, ex ipſius conſtitutione naturali, ex præterito ſtatu naturali, qua- tenus non niſi cauſis naturalibus debetur, & ex utriusque ſignis. Nam ſtatus hominis naturalis non ſubeſt poteſtati ejus, ſed pendet a cauſis involuntariis (§. 431). Tales vero cauſæ ſunt ejus conſtitutio naturalis, qua animum & corpus, vel indoles animi & corporis, quatenus eam homo ſibi nec dare poteſt, nec pro lubitu mutare, experientia teſte. Qua propter ſi ejus indoles animi corporisque exploretur, qua fieri poteſt conjectura phyſica, medica, civili; ſi aliunde per nexum cauſarum naturalium & effectuum ſolitorum conſtet, quid inde ſequi ſoleat: probabili argumentatione candidatorum futuri ſtatus conjectura fieri poterit. *Vnde conjectandus ſit ſtatus naturalis.*

Quia ſtatus naturalis antecedens rationes in ſe continet ſtatus futuri, & veluti gravidus eo jamjam eſt, (§. 35 *ſeq. Cosmol.*); & in mundo res naturales omnes a ſe invicem dependent quoad exiſtentiam (§. 58 *ibid.*): pateſcit, & in ſtatu naturali hominis antecedenti dari rationes ſtatus ſequentis. Si ergo vel experiundo obſervatum eſt, vel ex nexu cauſali diſtincte perſpecto conſtat, quid ſoleat inde ſequi; ob agnitam ſimilitudinem cauſarum hariolatio ſimilis eventus orietur, eaque tanto propior veritati, tantove probabilior erit, quanto ſtatuum præcedentium ſimilitudo, cæterorumque paritas perſpectior erit.

Denique quoniam ſigna inſerviunt cognitioni exiſtentiæ rei alterius, ejusque ſive præteritæ, ſive præſentis, ſive futuræ (§. 952 *Ontol.*), ideoque ſigna cum ſignato ſuo ita connectuntur, ut hoc ex illo colligi poſſit, ſaltem veriſimili argumento (§ 22 *Cosmol.*): ex perſpectis ſignis præteritus quoque candidati, & futurus ejus ſtatus poterit conjectari, ſi attenda-

tendatur ad ſigna, eorumque ſignata in mentem revocentur. Quatenus & ipſa naturalis corporis animique indoles ſuis gaudet ſignis in ſenſus incurrentibus, eatenus & illa conjectori attento patebit.

Supra vidimus ex indole animi vel Minerva egregia in pueritia & ſequenti ætate perſpecta conjectari poſſe, quid per culturam ejus fieri poſſit; æque ac ex hebeti & tardo ingenio agnito de futuro ejus ſtatu conjectura haud vana fieri poteſt & conſuevit, in primis adjuncta cautione, niſi in priori caſu degeneratio & neglectus culturæ, in poſteriori pertinaciſſima diligentia accedat, & obſtacula perrumpat. Hinc & per indagatam ejus ſequentem indolem dicto modo, de futuro ejus ſtatu cenſeatur. Sic ſi corporis conſtitutio vegeta & ſana ſemper fuit, vel ſubinde morbis interrupta, veriſimile eſt, & futurum ſtatum ſimilem fore, niſi cauſæ hujus vel illius mutentur utcunque in contrarium, vel tollantur. Signa corporis robuſti, phthiſici, hectici &c. quid portendant, difficili haud indiget divinatione.

§. 435.

Num quid hic præſtare poſſit ſemiotica medicorum?

Quatenus judicium probabile de futuro candidati ſtatu valetudinis ferendum eſt, ſemiotica medicorum in politicis nonnullius poteſt eſſe uſus. Valetudo hominis aut bona eſt commoda, conſtans & firma, aut infirma, incommoda ſeu adverſa, & mala, diuturna, eaque aut ſanabilis aut inſanabilis. Sed ſemiotica medicorum docet ſigna morborum, quorum abſentia, & contrariorum præſentia ſanitatem loquuntur. Inſerviunt ergo ejus partes, *anamneſtica* præteritis, *diagnoſtica* præſentibus, *prognoſtica* futuris morborum periculis & ſtatibus colligendis. Eaque propter illius peritus, ſeu politicus, ſeu medicus conſultus, de ſtatu valetudinis futuro conjecturas dabit, per inveſtigationem præteriti ſtatus confirmandas aut infirmandas. Quando igitur quæritur, de cujus candidati valetudine plus minusve ſit ſperandum in futurum, nonnullius uſus erit ſemiotica medico-

dicorum, præſertim ad ſigna ſanitatis in ejus gradibus pariter extenſa.

Reliqui corporis ſtatus, ut & externus a fortuna derivatus, minus difficilem habent indaginem (§. 407 *not.*), & minorem uſum, ut ſuperfluum videatur, plura de his commentari. Facillime igitur, ſi qua illorum ratio habenda videatur, ea innoteſcent liquido, ut augurio opus non ſit. Taceo, honores & divitias variis modis illis pro lubitu conferri poſſe, qui illis deſtituuntur, ſi quis illa in ipſis deſiderare velit vicariis. Quemadmodum eſt inter reges Angliæ, qui permagni fecit artificem, ni fallor, pictorem. Quod cum male haberet magnates, ipſis edixit, ſe uno die mille creare poſſe magnates ſummos, ſed nunquam unicum talem artificem, tamque præſtantem.

§. 436.

Si phyſiognomia evincere poſſet, conſtitutionem corporis naturalem, ſi non certum, ſaltem frequens, ſignum indiciumque indolis animi præbere; ope phyſiognomiæ quoque conjectura de naturali animi indole futura peti poſſet, præterito ejus ſtatu una ſpectato. Nempe conſtitutio corporis complectitur conformationem partium corporis, externarum præſertim, temperamentum fluidorum & motus in corpore conſpicuos (§. 881 *P. II. Philoſ. pract. univ.*). Iam quidem certum eſt, intimum dari corporis & animi commercium (§. 962 *Pſychol. empir.*), & conſenſionem actionum utriusque. Id circo & conformationi partium aliisque obſervabilibus, quibus corpora differunt, reſpondere non poſſunt, niſi mores animi naturales (§ 888 *ſeq. P. II. Phil. pract. univ.*), ſive inclinationes & inſtinctus naturales (§. 906 *&* 908 *ibid.*). Sed poſſunt quoque naturalibus, jam in ſe diverſiſſimis (§. 894 *ibid.*), accedere mores adventitii (§. 902 *ibid.*); & præterea in hominibus dantur mores liberi (§. 689 *ibid.*). Proinde ſi phyſiognomia luculenter evinceret, quomodo e conſtitutione corporis, qua ejus partes ſolidas & fluidas, indicia hujus vel il-

Num phyſiognomia?

lius indolis animi innotescant vel petenda sint (quod in ea nondum, ut par est, factum esse, inter omnes constat), & observatio candidati illa indicia in ipso animadverteret: posset ope physiognomiæ inde conjectura fieri, de futura naturali anim animi sorte & inclinatione, præsertim si una consuleretur præteritus ejus status, pro melius perspicienda similitudine & harmonia præteriti futurique status, remotis tantum impedimentis, dubia suppeditaturis.

Conformatio partium corporis externarum in earum qualitate, quantitate, figura, habitudine ad se invicem, ratione, proportione, structura, statura, viribus, tantum fere differt, quantum ipse hominum numerus, cum ne in duobus quidem perfecta similitudo detur, etiamsi non totum hominem, sed partem tantum præcipuam, caput & faciem contempleris. Negari tamen nequit, generalem similitudinem in perfectis omnibus hominibus dari, qua structuram totius & faciei quoque, irregulari monstrositate remota, unde humanum corpus etiam monstrosum a corpore cujuslibet bestiæ facillime discernitur. Sic datur quoque multiplex similitudo specialis, v. c. facierum, staturæ, virium, inclinationum familiarium & naturalium. Quarum convenientia cum inter se, tum corporis & animi actionum sibi relictarum invicem, si communi inter homines, vel & inter animalia cætera perfectiora, regula, uti credibile est, niti observaretur, eaque distincte explicaretur confirmareturque, haberet illa in habitu, colore, statura, figura, faciebus naturalibus utique suum usum. Similiter censendum est de temperamento fluidorum seu humorum. Generalis & hic similitudo fluidi nervei, sanguinis, seri, lymphæ, bilis &c. extra dubium est posita. Datur tamen & alia propior in qualitate & quantitate horum liquorum. Conditio & copia sanguinis ejusque temperiei, bilis, spirituum animalium aliis alia, aliisque similior aut dissimilior observatur, ut a copia sanguinis floridi dicantur sanguinei, spissi vero & atri melancholici, a copia bilis cholerici, a copia seri & lymphæ phlegmatici, &c. Et observa-

tum

tum eſt, ad quid propenſior ſoleat eſſe animus ſanguineorum, melancholicorum, cholericorum, phlegmaticorum, ſi nil obſtet. Denique & motuum obſervabilium ingens quidem varietas, attamen & ſimilitudo major minorve occurrit, v. c. in voce & ſermone, in vultu, in geſtu, inceſſu, riſu, coloris mutatione, oculorum uſu, laborum ſeu fuga ſeu odio & conditione. Quæ ſimilitudo ſuis quoque rationibus & regulis gaudet, haud inutiliter perveſtigandis adhibendisque. Neque id recentior demum ætas animadvertit, ſed antiqua ſatis illius phyſiognomiæ veſtigia occurrunt. In *Libro de Fato c. 5 Cicero* docet, hominum diſſimilitudines utique eſſe a differentibus cauſis, ut alii ad alia ſint propenſiores propter cauſas naturales & antecedentes, non tamen ſic, ut nihil eſſet in noſtra poteſtate. Acuti, hebetesne, valentes imbecilline ſimus, non eſſe in nobis. Item ingenioſos & tardos naſci antecedentibus cauſis. Sed multa alia eſſe in poteſtate. Stilponem, Megaricum Philoſophum, acutum ſane hominem & ſuis temporibus probatum, a familiaribus tamen ſuis ſcribi ebrioſum fuiſſe & mulieroſum, ad ejus laudem, quod vitioſam naturam ſic edomuerit compreſſeritque, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis veſtigium viderit. Quid? pergit protinus, nonne Socratem legimus, quemadmodum notarit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere? ſtupidum eſſe Socratem dixit & bardum, quod jugula concava non haberet. Obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat. Addidit etiam, mulieroſum. In quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. Sed hæc ex cauſis naturalibus vitia naſci poſſunt, exſtirpari autem & funditus tolli, ut is ipſe, qui ad ea propenſus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non eſt id poſitum in cauſis naturalibus, ſed in voluntate, ſtudio, diſciplina. Quibus *Cicero L. IV. Tuſc. Qu. c. 37.* addit, Zopyrum ab aliis deriſum, qui illa vitia in Socrate non agnoſcerent, ab ipſo Socrate ſublevatum eſſe, cum illa ſibi quidem ſigna, ſed ratione a ſe dejecta diceret. Falſisne uſus fuerit Zopyrus ſignis, nunc in medio relinquemus.

§. 437.

Num & oni-rocritica? Cum ſibi relictæ, nequaquam vero mutatæ, ſimulatæ & diſſimulatæ eſſe debeant illæ actiones obſervabiles, e quibus interiores ſunt colligendæ animi corporisque affectiones, dotes, debilitates ſeu infirmitates & propenſiones, *nonnulla quoque ex ſomniis frequentioribus vel & arte elicitis eorumque indole peculiari de interioribus animi & corporis receſſibus latebrisque colligi poſſe pateſcit.* Remotiores enim tunc ſunt cauſæ affectandi ſimulandi, diſſimulandique pro lubitu, & actiones illæ indeliberatæ naturalem indolem interiorem & homini ipſi, & aliis quibus, uti ſunt, vere innoteſcunt, eo magis manifeſtant, quo melius cum cæteris interiorum ſignis in ſtatu vigiliarum ordinariis conſpirant. *Juncta igitur onirologia cum phyſiognomia conjectandis naturalibus hominum receſſibus & moribus inſervire poteſt.* §. 922 *P. II. Phil. pract. univ.*). Niſi forte hypocriſis longo uſu in alteram abiit naturam, ideoque & in ſomniis redit in mentem.

Omnino, ſcribit *Cicero de Divin. L. I. c. 40.* apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Vt enim ſapere, ſic divinare regale ducebant, ut teſtis eſt noſtra civitas, in qua & reges augures, & poſtea privati eodem ſacerdotio prædit remp. religionum autoritate rexerunt. Commemorat Druidas Gallorum, in his Divitiacum ſibi notum, & Magos Perſarum. *C. 43* addit: qui præerant Lacedæmoniis non contenti vigilantibus curis, in Paſiphaæ fano ſomniandi cauſa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. *Lib. II. c. 62.* Naturam (ſomnia facientem) dico eam, qua nunquam animus inſiſtens agitatione, & motu vacuus eſſe poteſt. Is cum languore corporis nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in viſa varia & incerta ex reliquis, ut ait Ariſtoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans geſſerit aut cogitarit; quarum perturbatione mirabiles interdum exſiſtunt ſpecies ſomniorum. Ipſe vero *Ariſtoteles de divinatione per ſomn. c. 1.* Dicunt medico-

rum

rum clarissimi, quod somniis valde attendendum sit; cum parva rerum initia somno evidentius sentiuntur, quam vigilando *cap. 2.* quorum quasi loquax natura est & melancholica, illi omnis generis visa per somnum habere solent . . . Melancholici propter vehementiam commotionum bene conjectant (εὔστοχοι εἰσι). Artificiosissimus est judex somniorum, qui potest similitudines perspicere. Recta enim somnia judicare, cujusque est. Vbi recta somnia (εὐθυονειρίας) dicere videtur ea, in quibus res aperte & propria in specie visuntur. Observatum est, sanguineos somniare de rebus amoenis, conviviis, choreis, amplexibus, aliisque lætis; cholericos de offensis, rixis, pugnis; melancholicos de tenebris, periculis, spectris, mortibus, incubis, cæt. *Hippocrates de insomniis, & Galenus de præsagiis ex insomniis*, docent ægri temperiem, & exoordia morborum & symptomatum ex ipsis colligere: In somno enim & noctis silentio animus majoribus agitationibus non distinetur, inde quæ minuta sunt, percipit ut magna, minutum sonum ut tonitru, levem calorem ut vivicomburium &c. Huc etiam pertinet *somnambulorum* observatio, de quibus videsis meum *examen somnambulorum psychologicum 1740 ed.* Facile enim ad naturalem eorum statum explorandum ista transferuntur.

§. 438.

Quid prudentia sit circa improvisos.

Quæ de statu naturali candidatorum prævideri non possunt, ad prænoscenda nulla est obligatio, eaque reservanda sunt futuræ experientiæ, ut ipsorum remedia suo tempore prudenter adhibeantur. Sunt *casus* eo ipso supra vires humanas, ad quæ nemo obligatur (§. 209 *P. I. Philos. pract. univ.*). Quando igitur pro sapientissimo numinis arbitrio improvisa eveniunt, tum de eorum medela prudenter est dispiciendum decernendumque id, quod rei & rationi maxime consentaneum deprehendetur (§. 6). Ita patienter ferenda sunt & in vicariis regiminis, quæ mutari non possunt (§. 593 *P. I. Jur. nat.*), & ad eos casus præparandus est animus (§. 596 *seqq. ibid.*), & cum adsunt, medendum est

illis optimis, quæ haberi poſſunt, remediis prudenter applicatis.

§. 439.

Ejus ulterior dilucidatio. Quia improviſis vicariorum regiminis adverſitatibus ſtatus naturalis, cum eveniunt, optimis, quæ haberi poſſunt, remediis occurendum eſt (§. 438): *ſi in morbum incidant, opera danda eſt, ut ſanitati reſtituantur* (§. 413 *P. VI. Iur. nat*), adhibito medicamentorum præſtantiſſimorum uſu, & medicorum, ſi illis opus eſt (§. 415 & 753 *ibid.*). *Si ob morbum diuturnum vel ſenectutem impares fiant partibus ſuis obeundis, eis adhuc ſalarium debetur, & adjunctus, quando ad dies vitæ illis præfecti ſunt* (§. 899 & 919 *P. VIII. Jur. nat.*). *Si morte (præcoci) extinguantur, dandus illis eſt ſucceſſor, ope novæ electionis, per rectorem civitatis, aut alios delegatos* (§. 887 *ſeq. ibid.*). *Si qua alia æquitas aut juſtitia poſt eorum fata poſtulet, nec ea ipſis aut heredibus neganda ſunt.*

§. 440.

Quid conjectandum ſit de futuro morali ſtatu? Moralis candidatorum vicarii regiminis cauſas habet in ipſorum poteſtate ſitas, itaque voluntarias (§. 431): is, ut ipſa volitio, valde eſt mutabilis, niſi ipſa voluntas mutare ſuas actiones nolit. Jam voluntas nihil appetit, niſi quod mens intelligit ſibi eſſe bonum (§. 890 *ſeq. Pſychol. empir.*), nihil averſatur, niſi quod diſtincte percipit ſibi eſſe malum (§. 892 *ibid.*). Neque igitur mutat aut mutare volet ſuam aut appetitionem aut averſationem, niſi mutetur diſtincta rei perceptio in contrariam, ut, quod malum eſt, ipſi videatur eſſe bonum, & quod bonum eſt, videatur eſſe malum (§. 894 *ſeqq. ibid.*). *Prudentiæ igitur electoris circa ſtatum moralem futurum nihil relictum eſt, niſi quatenus conjectare valet, ſitne candidatus in poſterum degeneraturus, nec ne?*

Supponitur hic, quod de ſtatu præſenti & præterito morali candidatorum imperii vicarii exploratum eſſe debet (§. 378 *ſeqq.* & (§. 408 *ſeqq.*), ſive per propriam experientiam ante actæ vitæ, ſive per alienam fide digniſſimam (§. 424 *ſeqq.*). Quæritur autem de futuro ſtatu morali, ſitne is idem, qui hactenus, futurus, an alius? Si non eſt idem futurus, mutabitur vel ſic, ut perfectior fiat, vel ut imperfectior & deterior fiat. Poſteriori caſu is dicitur degenerare. Potiſſimum igitur, cum emendatio ſtatus eo magis ſuadeat electionem, conjectandum eſt, num degeneraturus ſit candidatus, de quo quæritur, nec ne?

§. 441.

Siquidem mores hominum ſunt modi conſtantes ac perpetui determinandi actus facultatum mentis, præſertim a libertate pendentes (§. 688 *P. II. Phil. pract. univ.*), illique vel ſunt naturales, qui per eſſentiam & naturam hominis determinantur, vel liberi, qui a libertate dependent (§. 689 *ibid*): de naturalibus hic ſermo non eſt, utpote qui pertinent ad ſtatum naturalem (§. 434); ſed de liberis, qui voluntatis nutui ſubſunt. Quapropter dum prudenter conjectandum eſt, ſitne candidatus degeneraturus in poſterum, nec ne, & degeneratio mutat mores in deterius, depravando (§. 440): *utendum eſt arte conjectandi depravationem morum candidati, aut conſtantiam perpetuitatemque.*

Arte conjectandi morum conſtantiam aut depravationem futuram?

§. 442.

Quia & continuatio morum eorundem & eorum depravatio ſine ratione ſufficienti dari nequit (§. 70 & 74 *Ontol.* & §. 440): ars conjectandi mores futuros candidatorum ad hæc duo principia redit: *quo plures gravioresque rationes candidato ſunt conſtanter ac perpetuo mores bonos tuendi perficiendique, eo probabilior eſt conjectura, illum, quos hactenus oſtendit, mores eſſe continuaturum perfecturumque. Quo plures vero & frequentiores amat*

2 Regulæ mores futuros conjiciendi.

amat & attendere ſolet rationes occaſionesque mores mutandi, *eo probabilior eſt conjectura, illum eſſe degeneraturum* (§. 441).

§. 443.

Quid huc faciat ante acta vita?

Si explorata habetur ante acta candidati vita, colligi inde veriſimiliter poteſt futuræ ejusdem vitæ ratio. Vita enim candidati ante acta ſi explorata habetur, ſimul explorati habentur ejus mores, de quibus hic ſermo eſt (§. 688 & 703 *P. II. Phil. pract. univ.*). Enimvero quia mores ſunt conſtantes & perpetui agendi modi (§. 441), etiamſi liberi ſunt, voluntas iis adſueta nolet eas facile mutare, niſi mutetur diſtincta eorum perſpicientia (§. 440). Quoquo modo igitur fuerint comparati, eo modo eos & in poſterum continuaturos eſſe veri non diſſimilis eſt conjectura, nixa hoc principio per obviam obſervationem plano, conſuetudinem & habitum agendi abire in alteram hominis naturam, ideoque haud facile mutari. Quo longior eſt vita ante acta, quæ explorata habetur, quo exactior & certior eſt illius cognitio, quo conſtantiores illius mores, eo minus conjectatio fallet de vita futura; niſi ſecuta ejus mutatio firmas egiſſe radices perſpiciatur, & emendaverit majoribus virtutibus priſtinos errores.

Loquor hic in genere de vita qualicunque: cum habitus & conſuetudines agendi quæcunque altas agere in homine radices ſoleant. Quod pridem obſervatum fuiſſe docet *Cic. Tuſc. Qu. III. c. 1.* parvos igniculos, quos natura dedit, celeriter malis moribus opinionibusque depravatis ſic reſtinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat . . . . Simul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pæne cum lacte errorem ſuxiſſe videamur. *Curtius* non in vita veritate natura potentiorem dixit conſuetudinem *L. V. c. 5.* quod in multis experimur, qui victuros ſe non exiſtimant, niſi ſuæ relinquantur conſuetudini vitæ. Quot ſcelerati non faſſi ſunt, ſe a ſceleribus non diſceſſuros

ros eſſe, nec poſſe a furti conſuetudine abſtinere, niſi vita priventur? Falſum illud quidem hoc tamen verum habet, præſertim in pravitate inveterata, perdifficile eſſe ea ſe liberare. Facilis deſcenſus averni, ſed revocare gradum, hoc opus hic labor eſt.

§. 444.

Quid ſcelerata emendatio?

Qua propter *ſi prava & conſcelerata fuit vita ante acta, quid de futura conjectandum ſit, liquido apparet; niſi liquidior ſit, nec ſimulata aut infirma ejus emendatio* (§. 443.) Quæ dubia foret, ſi tantum ſpe potiundi, unde continuari lautius poſſit, affectetur, & verbis potius quam reipſa, actionibus ejusmodi oſtendatur, de quarum ſinceritate nulla convictio detur. Mittamus vero vitam corruptam, interruptam & dubiam, electioni contrariam, & ad meliorem transeamus!

§. 445.

Quid bona educatio?

Quo melior fuit candidati a puero educatio usque ad ætatem virilem, eo major ſpes erit, cæteris paribus, futuræ integritatis civilis. Educationem ingentem habere influxum in omnem vitam, uti in pravam, ita & in rectam, quotidie experimur, ſi attentis oculis mores hominum perluſtramus. Vnde cum tanti momenti ſit bona educatio, nihil optatius accedere homini poteſt, quam ſi ea frui ipſi contingat. Immo præſtat, liberos recte educari, quam ampliſſimas opes illis relinqui (§. 207. *Oecon.*). Idcirco & quo melior fuit candidati educatio inde a puero usque ad ætatem, qua ſui juris & vir factus eſt, par ſuis officiis per ſe dirigendis: eo credibilius eſt, reliquis haud diſparibus, vitam deinceps ſequuturam æque bonam, honeſtam & decoram, ideoque & imperii publici partibus demandandis dignam fore.

Antiquitus idem adnotatum eſſe, varia docent autorum præſtantiſſimorum loca. Natura, inſit *Cic. de Fin. L. V. c. 15.* ſic gene-

generata est vis hominis, ut ad omnem virtutem facta videatur, ob eamque causam pueri virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina etiam moventur . . . cum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturæ vim, sed ita, ut progredi longius possit, per se tamen sit inchoata. *Aristoteles L. 7. Pol. c. 17.* Omnis ars & disciplina defectum naturæ studet supplere; & *Plato L. I. de Legg.* qui bene educantur & erudiuntur, illi fiunt viri boni. *Adeo*, exclamat *Virgil. L. 2. Georg. a teneris adsuescere multum est.* Cui concinit vates Venusinus: *qua semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

§. 446.

Quid magistri & consortium?

Quo quis melioribus usus est magistris & exemplis virtutum in consortio perpetuo, eo plus de futura ejus integritate vitæ sperandum est. Imitantur enim animi tenelli æque ac adolescentes & adulti exempla eorum, quibuscum rem habent, quos intuentur, admirantur, & laudari ab aliis intelligunt, & a quibus ipsi ad imitandum incitantur. Quod in opificiis & artibus vulgaribus ita usu venire videmus, ut, quidquid illi opifices & artifices plebeji callent & exercent, hoc non tam institutioni magistrorum debeant, quam imitationi confusæ.

Valet hoc uti in malam, ita & in bonam partem. De illa *Tullius Tusc. Qu. L. III.* ubi magistris (ineptis) traditi sunt, ita variis imbuuntur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat . . Quum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficiuntur opinionum pravitate, a naturaque desciscunt. De hac *Aristoteles L. II. Nicom. c. 1.* non parum refert, hocne an alio modo a parvulo adsuescere, sed quam plurimum (παμπολυ), immo in eo sunt omnia. *Seneca* adstipulatur *Ep. 73.* Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt (quod citra errorem, qui subest, capiendum).

endum). Quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt.

§. 447.

Quid animus de officio ſuo convictus?

Major convictio animi de officiis naturalibus, majorem de futura candidati integritate exſpectationem excitat. Sunt quidem mores etiam ex errore orti ſæpe ſat difficiles extirpatu funditus, ob altas, quas egerunt, radices, locuplete experientia teſte. Sed agnito errore penitus penitusque mutari tamen & emendari poſſunt (§. 1021. *Logic.*). Hinc boni mores eo erunt minus mutabiles, eoque conſtantiores, quo longius abſunt a nuda conſuetudine agendi, confuſis tantum ideis innixa, & quo minus eorum principia refutari poſſunt. Sed ſi diſtinctis ſuperſtructi ſunt notionibus, ſi animus inde plena convictione de officiis lege naturæ injunctis eſt imbutus, nullus ibi erit eripiendus paulo poſt error, ſed conſtitura ſibi ſemper & immutabilis veritas. Qua propter ſalva veritate animus recedere a ſuis moribus haud poterit, neque id erit metuendum, niſi erroribus ſe implicari perperam patiatur, a quibus facile poterit hoc caſu liberari. Quo major igitur eſt candidati convictio de genuinis officiis ſuis, eo firmiorem præbet de ſua in illis perſeverantia exſpectationem.

Quo exploratius igitur erit aut fieri poterit, candidatum de obſervandis officiis ſuis eſſe convictum, aut cæteris convictiorem: eo major erit ſpes ipſius futuræ integritatis, eoque magis ex hoc capite cæteris merebitur anteferri. Major autem convictio non nihil quoque pluribus debet ſcientiis, quibus alius candidatus præ aliis excellit, præſertim cum his, quæ ipſi exercendæ ſunt, connexis.

§. 448.

Spes integritatis ex amo-

Quo major amor ardorque virtutum candidato ineſſe perſpicitur, eo magis erit ſperabilis futura ejus integritas. Etenim, quo magis vir-

re & ardore virtutum. virtutes diliguntur & placent, eo lubentius exercentur, quia nihil lubentius facimus, quam in quod ultro ferimur duce studio singulari, quo oblectamur (§. 938. *Psychol. empir.*). Quo lubentius facimus aliquid, eo major est ardor id faciendi & contraria fugiendi (§. 219. *seq. P. II. Phil. pract. univ*). Quo quis majori flagrat ardore aliquid faciendi, eo minus se patitur ab eo abduci, eo est in illo studio constantior diligentiorque (§. 223. *seq. ibid*). Quo circa eo magis sperabilis erit integritas candidati in sparta conferenda, quam meretur, quo majori amore & ardore virtutum quarumque flagrare intelligetur.

§. 449.

Ex perspecta vitæ sinceritate. *Perspecta sinceritas candidati in omni vita, vadimonium quoque de futura ipsius integritate civili seu publica præstat.* Sinceritas enim consensum actionum externarum cum internis, ejusque studium notat (§. 714. *P. II. Phil. pract. univ.*); eaque edit actiones sinceras, ubi nulla simulandi ratio est (§. 725. *ibid.*), & consuetas vel ex consuetudine profectas (§. 729. *ibid.*). Vnde quid sequatur, patet ex §. 443. Nam actiones sinceræ eduntur per rationes ordinarias (§. 733. *ibid.*), & sunt moribus conformes (§. 747. *ibid.*), indeliberatæque (§. 750.). Haud levem igitur perspecta candidati sinceritas præstat cautionem de futura ejus integritate publica in partibus vicariis obeundis.

§. 450.

Ex licitis simulandi & dissimulandi rationibus. *Vbi vero & simulatio vel dissimulatio in actionibus candidati per signa colligitur, ibi extraordinaria ejus ratio investigata aut virtuti aut vitio erit tribuenda, & priori spes integritatis futuræ haud & minuetur, sed tantum posteriori.* Simulatio enim est dissensus actionis externæ ab interna, ideoque simulata actio externa internæ est contraria (§. 716. *P. II. Phil. pract. univ.*). Dissimulatio vero est occultatio veræ actionis & internæ &, quantum fieri potest, etiam

jam externæ (§. 717. *ibid.*). Simulatæ actioni, ne innotescat, falsa obtendi solet ratio; dissimulatæ nec vera proditur nec falsa (§. 718. *seq. ibid.*). Simulans igitur falsum finem prætexit, dissimulans satis habet verum occuluisse (§. 720. *ibid.*). Cum simulata actio non sit sincera (§. 723.), sed insueta (§. 730. *ibid.*), ea per extraordinarias & singulares rationes decernitur (§ 727. & 731. *ibid.*): dissensum illum vel simulationem prodere solent signa in vultu, voce, gestu, sermone, seu verbis & factis sibi contrariis (§. 851 - 853. *ibid.*), tanquam indicia simulationis (§. 876. *ibid.*). Quoniam simulata actio propriis rationibus ordinariis est contraria, & generalibus seu communibus tantum respondet: agnoscitur etiam actio simulata, si agnoscitur agentis ordinariis rationibus propriis repugnare, & extraordinariis deberi (§. 862. *ibid.*). Quæ simulandi rationes si innotescant vel explorentur, etiam mores simulati inde colliguntur, si quæ tales in casu præsenti adesse intelligantur (§. 869. *ibid.*), etiamsi simulans caveat, ne affectum vultu, voce, verbis aut factis prodat (§. 870. *ibid.*). Detecta ratio simulandi si deprehenditur officiis consentanea, recte inde virtutis cura etiam futura colligetur; si vero officiis repugnet, vitium prodit, quod & futuræ spei integritatis obstat (§. 607. *P. V. Ethic.*).

§. 451.

Ex indefessa industria consueta.

Explorata candidati res susceptas agendi industria indefessa & laboriosa, haud vana quoque promittit de futura ejus integritate. Indefessa enim diligentia & studium laboriosum ostendunt mores candidati circa labores exantlandos ex ante acta hac in parte vita; itaque & futuræ ejus rationem complectuntur (§. 443.). Si ergo explorata sit candidati vita laboriosa, & industria indefessa in rebus susceptis, non quiescens nisi re perfecta, ea haud vana promittit de eadem in posterum similiter continuanda, & de futura ejus integritate in regnando. Quo laborio-

ſior igitur eſſe intelligitur candidatus, eo major induſtria indefeſſa & in poſterum ab eodem poterit ſperari.

§. 452.

Ex ſtudio famæ honeſtæ gloriæque.

Neque ſtudium famæ honeſtæ & gloriæ exploratum nihil adjumenti adfert, ad bene de candidato ſperandum. Eſt gloria ſtimulus ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri (§. 771. *Pſychol. emp.*), quæ eo ſe ſigno prodit, ſi benigna peritorum de ſe ſuisque operibus judicia placent (§. 773. *ibid.*). Fama autem bona & honeſta eſt communis multorum ſermo de cujusquam virtutibus laudibusque, & conſenſus benignorum de candidato judiciorum declaratorum (§. 553. *P. I. Jur. nat.*). Sed qui gloriæ ducitur & honeſtæ famæ ſtudio, is abſtinebit & in poſterum de omnibus, quæ illi ſunt adverſa, neque ideo degenerabit (§. 440. *ſeqq.*). Non igitur nihil ſed multum potius argumenti pro futura candidati integritate habetur in explorato ejus bonæ famæ ac gloriæ ſtudio; & quo id exploratius eſt, eo ſpes conſtantiæ erit major.

§. 453.

Quid ſit claritas celebritasque?

Claritatem dicimus gloriam alicujus manifeſtam & indubiam; *celebritatem* vero ejus gloriam amplam & magnam, ſeu frequentem & diffuſam quaquaverſum, quæ inde & famam bonam, magnam & latam, nec tantum virtutum intellectus includet (§. 553. *P. I. Jur. nat.*).

Vti claritas phyſica inſignem lucis copiam, minuta quoque conſpicua facientem; uti claritas logica perſpicuitatem notionum tantum notat, quæ ſufficit ad rem illam ab omnibus aliis internoſcendam, & ad veritatem per ſe manifeſtam: ita in moralibus & politicis claritas notat famæ bonæ & gloriæ manifeſtam indubiamque cognitionem, ſeu propria experientia, ſeu aliena fide digna ſuffultam.

§. 454.

Ex claritate & celebritate candidatorum.

Claritas & celebritas candidati quo est perspectior majorque, eo plus in futurum de ipsius integritate pollicetur. Quo major enim est & claritas, eo est manifestior apertiorque ejus gloria, & quo illa est crebrior & amplior, eo plures periti in eadem consentiunt (§. 453.). Hinc & eo majus candidati studium famæ honestæ gloriæque esse debet, e quo illa claritas celebritasque, teste experientia, exsurgit. Quo majus vero est studium famæ honestæ & gloriæ, eo firmior ejusdem est spes in futurum (§. 451.). Ideo & quo perspectior majorque est claritas & celebritas candidati, eo plus illa in futurum de ipsius integritatis continuatione pollicetur, ut præferri aliis mereatur.

§. 455.

Ex imperio sui ipsius probe perspecto.

Quia integritas publica omnes includit virtutes (§. 378.): *quo majus deprehenditur esse imperium sui in candidato, eo plus sperari de ipso in vicario regimine futuro poterit.* Nempe quo melius sibi imperare didicit & consuevit candidatus, eo rectius reget affectus suos (§. 125. *seq. P. III. Polit.*), eoque minus ab illis abducetur ad actiones officio contrarias (§. 528. *P. II. Ethic.*): Quo posito, eo major erit spes constantiæ perpetuitatisque rite fungendi suis partibus, h. e. integritatis futuræ (§. 442.). Constat ergo id, quod asseruimus (§. 408.).

§. 456.

Ex charitate salutis publicæ.

Quo major candidato inest charitas salutis publicæ, eo pronior erit ad hanc quoque in posterum procurandam, eoque major illius exspectatio. Ipse enim rector civitatis debet populum suum amare, & ex ejus felicitate ideoque ex procuratione salutis publicæ voluptatem percipere (§. 1009. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): Qua de re & alii illi, per quos bene regenda est resp. ipsi hac in re similes esse (§. 368.), atque charitate eximia salutem publicam prosequi debent (§. 408.). Quo major ideo inest candidato chari-

charitas salutis publicæ, eo promtior erit ad ejus procurationem, ideoque ad bene regendam remp. (§. 995. *P. VIII. Jur. nat.*); eo lubentius quoque & constantius illi studebit. Quare & quo major inest candidato charitas salutis publicæ, eo erit dignior, qui eligatur, eoque spes certior de futura ejus administrationis integritate.

Quia sua cuique patria solet esse carior, quam terra peregrina, si candidatus sit indigena, patriæ quoque amor ipsi salutem ejus solet majorem in modum commendare, ut & inde spes charitatis ejus augescat. Omnes inquit *Tullius L. I. offic. c. 17.* omnium caritates patria una complexa est, quippe a qua omnia commoda accipimus. Ne tamen, si peregrinis nulla est spes emergendi, aut torpescant ingenia, & parum vel nihil excolantur in damnum patriæ: peregrini excellentes admittendi erunt, ut excitent indigenarum æmulationem in præstantia virtutum, obstent collusioni, & detegant aberrationes. Possunt & hi excepti & fortunati eam ut alteram patriam, ubi ipsis bene est, haud secus amare, ac eam, in qua nati sunt; præsertim si & connubio eodem innectuntur.

§. 457.

Ex pietate eximia.

Quo solidior, exploratior majorque est candidati pietas, & conscientiæ religio eximia; eo major erit fiducia ejus futuræ integritatis. Quo solidior est pietas, eo majori superstructa est convictioni, utpote fœcundæ matri futuræ ejus continuationis constantis ac perpetuæ (§. 408. & 447.). Quo illa est exploratior, eo cognitio illius est certior & dubiis scrupulisque major. Quo major denique est, eo & amplior est ejus gradus & perfectior in singulis, quas involvit virtutibus (§. 409. *seq.*). Eo igitur & religiosior erit conscientiæ custodia (§. 519. *P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 597. *seqq. P. II. ejusdem.*). Cum studium omnis virtutis eo sit fortius, facilius & constantius, quo pietas est solidior, certior & major (§. 344. *P. I. Phil. pract. univ.*): patescit,

eo

eo certiorem eſſe ſpem fiduciamque de futura candidati integritate in functione vicaria, quo ejus ſolidior, exploratior majorque pietas eſt, cum eximia conſcientiæ religione conjuncta.

Hæ ſunt præcipuæ rationes internæ, probabilitatem futuræ ejus integritatis dignitatisque, qua meretur vicarius regiminis fieri, continentes. Quibus, ſi quis paullo penitius attendat, deprehendet ineſſe cæteras, quæ nominari ſolent virtutes, puritatem animi, innocentiam, abſtinentiam a peculatu, repetundisque, fugam avaritiæ, vigilantiam, timorem Dei, &c. Pietate ſublata, inquit *Tullius L. I. de Nat. Deor. c. 2.* fides etiam & ſocietas hominum & juſtitia tollitur. Populi timentes Deum timent, neque infeſtant. *Ariſtot. L. V. Polit. cap. 11.* Reſtat, ut aliquid ſubjiciatur de tollendis integritatis obſtaculis & præveniendæ ejus degeneratione per cauſas civiles rite adhibendas.

§. 458.

Obſtacula continuandæ perpetuo integritatis duo naſci poſſunt, alterum ex abrepto in errores morales intellectu, alterum ex depravata voluntate, affectibus mancipata. Voluntas namque non mutat priſtinam appetitionem averſationemque, niſi mutetur ejus diſtincta morum cognitio & regula in contrariam, ut, quod antea malum eſſe ſtatuebat & omittendum, nunc judicet eſſe bonum & committendum, & vice verſa, quod committendum eſſe judicabat, nunc ſtatuat omittendum eſſe (§. 440.). Enimvero talis mutatio judicii de actionum morali indole contingere non poteſt, niſi, non tam oblivione, quam abducto in errores morales intellectu, agnitæ antea veritates damnentur. Si vero intellectus judicium maneat quidem incorruptum, ſed affectibus mancipetur voluntas, ut illud non audiatur, ſed ſenſuum & imaginationis ludibriis obtemperetur cœco impetu, inſtigantibus plurimis modis ad idipſum aliis cupiditatum ſuarum mancipiis, e ſervitute voluntatis & imperio affectuum orietur mutatio priſtinæ morum integritatis, depravatioque.

Potiores duæ cauſæ depravationis morum.

In mente duæ dantur præcipuæ facultates, intellectus & voluntas: utriusque habitus sunt mutabiles, & proh dolor! etiam in deterius, hoc est, possunt & consueverunt depravari. Intellectus regit voluntatem ope distinctæ cognitionis legum divinarum naturalium, & ope convictionis, his nil melius fieri posse. Enim vero quando vel convictionis locum tantum tenuit persuasio, eaque in contrariam abit; vel cognitio distincta obsolescit, sensimque confusione & obscuritate supprimitur: tum mirum non est, judicia quoque de moribus pristinis contraria ferri. Si homo incipit sensibus affectibusque magis indulgere, quam dictamini rationis, in casibus singularibus mores ejus corrumpentur, usu intellectus seposito, aut & aliis erroribus in subsidium vocatis, qui sublime quoddam eminentiæ fastigium mentiuntur.

§. 459.

Altera ex variis intellectus erroribus profligandis.

Capitales prioris generis errores sunt *Atheismus*, *Deismus*, *Spinozismus*, *Indifferentismus*, *Fatalismus*, *Polytheismus*; quibus *secundario* succenturiantur *simplex Dei ignorantia*, *Scepticismus*, *Manichæismus*, *Epicureismus*, *Materialismus*. Quia de his erroribus, eorumque remediis luculenter exponit *P. II. Theologiæ nat. in Sectionis II. quatuor capitibus*, non opus est, ut hic illa repetamus. Sufficiet monuisse, e dictis patere, quam *necessarium sit*, *cavere*, ne in civitate, in primis in aulis rectorum civitatis, ejusmodi errores foveantur & invalescant, certo in multiplex salutis publicæ detrimentum valituri. Quod fiet, si & ipse rector civitatis ab illis admodum abhorreat, & contrariæ his erroribus veritates a puero distincte doceantur solideque inculcentur, & si quid eorum irrepat, id illico idoneis refutationibus in prima herba suffocetur; ademta quoque spe adspirandi ad ullas vicarii regiminis partes, si quis illis erroribus, vel conjunctim pluribus, vel singulatim huic aut illi deditus deprehendatur; & comminatione ac formidine excidendi sparta, si postea demum illi admittantur.

§. 460.

§. 460.

Altera ex voluntatis corruptela per affectuum tyrannidem, cæt.

Posterioris generis fontes sunt *vita dissoluta & perversa*, vitiis quibuscunque dedita; præsertim *ambitio, libido, cum cæteris sensuum voluptatibus*, & *avaritia; ebriositas, comessationes, luxuria omnis generis; levitas animi, cacœthes lucri, causa vacandi ludis fortuitis, inopia*, &c. Quibus veluti fulturæ quidam errores accedunt, Atheismus practicus, chimæricum diuturnum resipiscendi spatium, conficta facilitas veniæ, restitutio omnium in integrum, tandem consequenda, mortalitas animi, vitiosis aliis placendi studium, & moribus sæculi se conformandi, &c. E quibus intelligitur, quid noceat morum corruptio in aulis, & generatim in civibus, præsertim vicariis regiminis, ad minuendam evertendamque salutem publicam, nisi serio & severe caveatur, ne ejusmodi pestes oboriantur diffundanturque (§. 459.).

Comparari hujusmodi homines possunt cum illis, qui bene sciunt sanitatis suæ causa hæc vel illa alimentorum genera esse fugienda, palati tamen voluptatibus adsueti non abstinent iisdem, maluntque deliciis suis frui, & pati sequutura, quam his carere, & incolumes esse. Sunt, qui negare non audent a copia vini hausti se contraxisse & alere articulorum, pedum manuumque tophos & dolores, neque tamen abhorrere ab illo suum ducunt, sed vel dolorum levamen in tanta ingurgitatione quærunt, qua temulenti & impotes sensuum facti, dolorem tantisper abegisse sibi videntur, dum continuo intendunt. Quod minus est ac illorum delirium, qui in mortem ipsam ruunt, malis suis velut finem quæsituri, quæ vita pessima sibi peperere.

§. 461.

Modi errores morales avertendi.

Ne errores voluntatem depravent, cavetur in civitate, dum partim nemini permittitur disseminatio seu divulgatio impunis ejusmodi errorum; partim veritates contrariæ subinde inculcantur, & data occasione errores refutantur; partim & vicarii æque ac alii obligantur, ad auscul-

tandas ejusmodi conciones, &c. legendosque libros eundem in finem editos, edendosque. Nempe mutandæ integritati voluntatis locum dant errores eidem contrarii, si animum occupent teneantque (§. 458.). Sed uti veritatum semina ab aliis inseri consueverunt, antequam habitus comparatus est novas suo marte detegendi: ita quoque errores ex veritatibus non enascuntur, sed eorum semina itidem ab aliis disperguntur, ac, qui soliditate carent, & nova amant, arripiuntur, ulterius incrustantur & aliis persuadentur. Quod cavetur, dum nemini conceditur impunis eorum divulgatio utcunque facta (§. 459.).

Si addatur obligatio veritates his erroribus contrarias in scholis, ecclesiis, theatris, docendi, &, quando opus est, errores illos solide refutandi, sicubi irrepant, eaque sæpius inculcandi ore & scriptis (§. 34. *seqq. P. III. Polit.*), erit hoc antidotum salutare ad arcendos ejiciendosque ex animis errores undecunque ortos (§. 303. *P. II. Polit.*).

Sed quia id parum vel nihil prodesset, nisi illi, quorum maxime interest, uti vicariorum regiminis, perspectas & familiares sibi redderent salutaria illa animi medicamenta: obligandi quoque & proprio rectorum civitatis exemplo incitandi sunt vicarii illi (§ 459.), ut sermones ejusmodi audiant, librosque legant, quibus id errorum virus longe propelli, aut eximi animis potest (§. 68. & 85. *seqq. P. III. Polit.*) item (§. 306. & 310. *seqq. P. II. Polit.*).

Valet hoc non tantum de erroribus profligandis, §. 459. indicatis, sed & de illis, qui vitæ dissolutæ frigidam suffundunt & lenocinantur (§. 460.), aliisque omnibus, quibus vel veritati vel virtuti officitur detrahiturque. Quid suo exemplo huc conferre possint & debeant non solum civitatum rectores (§. 459.), sed & omnes magnates, & magna autoritate conspicui, alios docentes quicunque, parentes, tutores, mariti, domini, cuncti denique cives, id liquet ex eorum officiis suis locis explicatis probatisque.

§. 462.

§. 462.

Vitiis dictis §. 460 *profligandis adhibendæ ſunt præter doctrinam efficacem obligationes civiles, leges ſeveræ, pœnæque ad ea compeſcenda ſuffecturæ & exſequendæ prudenter, occaſionibus quoque, quantum fieri poteſt, amputatis.* Vt enim funditus evellantur & abhorreantur vitia, convictione animi de eorum fœditate & pernicie, virtutum autem oppoſitarum illis ad felicitatem neceſſitate utilitateque impetrandum eſt ope inſtitutionis efficaciſſimæ (§. 456 & 459 *P. VIII. Jur. nat.* & §. 344 *ſeqq. Oecon.*). Vt vero externa quoque & in ſenſus incurrente efficacitate promoveatur illa convictio, obligationibus ac legibus opus eſt civilibus, morigeros præmiis invitantibus & remunerantibus, immorigeros pœnarum comminatione absterrentibus, & ſtricta exſecutione compellentibus ſaltem quoad actiones externas (§. 395 & 653 *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). *Modi vitia proſcribendi e civitate.*

Quia vero multorum ſeu ruditas ſeu vitioſitas momentis doctrinæ ſe ſatis flecti haud patitur, ipſorum captui accommodanda ſunt argumenta palpabiliora, qualia dantur in legibus civilibus promulgatis inculcatisque diligenter, obligantibus eos bonis in ſenſus incurrentibus, ſi dicto audientes fuerint; malis autem moleſtis ægreque ferendis, ſi egerint contra leges (§. 289 *ſeqq. P. I. Philoſ. pract. univ.*). Enim vero pœnarum nec comminatio nec exſecutio prodeſt civitati, & prudentiæ convenit, niſi tales ac tantæ ſint, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem & vitiorum fugam externam ſaltem extorquendam ſufficiant (§. 585 *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Etiamſi vero pœnæ ſufficerent quidem, ſed non exiguntur, aut temere mitigantur vel remittuntur, vel connivetur, ut eludantur, exigui aut nullius erunt uſus (§. 656 *ibid.*).

Denique dum occaſio talia ſuppeditat incitamenta & irritamenta, quæ favent corruptioni animorum aut vitiis adſcen-

discendis & contrahendis (§. 158 seqq. P. II. Philos. pract. univ.), quæ facile arripit pronus ad talia (§. 172 seqq. ibid.), uti eam nec quærunt nec arripiunt, qui animum ab illis alienum habent (§. 177 seqq. ibid.): si quis avocandus est valide a vitiis, ei etiam adimendæ & interdicendæ sunt occasiones, quibus ad ea seduci & irritari posset. Ideoque & in civitate occasiones & illecebræ vitiorum contrahendorum augendorumque sunt noscendæ, interdicendæ, & illis præsertim amputandæ, qui ab iis immunes publicæ salutis causa esse debent.

Hujusmodi occasiones dantur in frequentatione locorum, ubi maleferiati confluere solent ad compotandum, pergræcandum, colludendum, furtivæ veneri indulgendum, & similia quocunque sub prætextu facienda. Neque aliter sentiendum est de familiari commercio cum hominibus depravatis, quia eorum consortium & suspectos reddit eo utentes, & facillime inficit labefactatque mores. Alia occasio mores corrumpendi est in adulatoribus assentatoribusque amandis & frequentandis, in admittendis donis & gratificationibus hamatis, ceu corrumpentibus animum (§. 975 P. V. Jur. nat.). Vnde pœna affici possunt & donantes, & dona accipientes viscata, h. e. comparata ad agendum contra fidem & officia sua.

§. 463.

Quomodo validior redditur obligatio civilis. Cum cives obligari sibi invicem perfecte possint promissionibus, pactis & jurata fide (§. 393. 789 & 901 P. III. Jur. nat.), vicarii quoque, dum obligandi sunt ad præstandam omnem integritatem (§. 462), *obligari possunt & debent* non tantum pollicitatione (§. 367 *ibid.*), & *promissione perfecta* (§. 361 & 393 *ibid.*), verum etiam *inito pacto legitimo* (§. 788 *seq. ibid.*). *Cui si accedat jusjurandum* (§. 852 *ibid.*) *promissorium* (§. 900 *ibid.*), insuper promittens juramento suo confirmat, se animum præstandi, quem habet & declarat, mutaturum non esse, sed potius in præsenti voluntate servandi pomissum, perseverare

velle

velle (§. 902 *ibid.*). Quod jusjurandum cum actum alias validum perfectiori muniat obligatione (§. 907 *ibid.*), simul tacitas arcet exceptiones & reservationes mentales (§. 908 *seq. ibid.*). Deposcitur enim ad tollenda dubia alterius & vindicta divina mendacii ac perfidiæ, si vel homines fallerentur (§. 852 *ibid.*), & si mendacium ac perfidia innotescat, manet ipsum justa perfidiæ, pejerationis & perjurii (§. 926 *seqq. ibid.*) pœna, talis nempe ac tanta, quæ sufficiat ad earum legum transgressionem cohibendam (§. 585 *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 464.

Ne inopia ad delinquendum invitet, constituenda sunt vicariis imperii salaria lautiora, quibus præstentur & indemnes & inexcusabiles, quando partibus suis defuerunt.

Inopiæ occurrendum salariis lautis.

Nemo enim obligatur ad operas suas alteri privato gratis præstandas, si is eas compensare possit (§. 268 *P. IV. Jur. nat.*), sed sufficit, si eas æquo pretio ei locet (§. 322 *ibid.*). Multo magis igitur civitas, ejusque rectores, operas eorum, qui publica negotia administrant, largius, quam privati, remunerari, ideoque salaria ipsis dare debent lautiora (§. 904 *P. VIII. Jur. nat.*), quibus indemnes præstentur, pro dignitate sustententur (§. 907 *ibid.*), & si quid prævaricentur, inexcusabiles reddantur.

Si pro dignitate sustentari debent, qui vicarias regiminis partes administrandas accepere, sufficere ipsorum salaria debent non tantum personis suis, sed & jumentis, & servientibus sibi, & sustentandæ familiæ, hoc est alendæ uxori atque liberis. Neque enim facile quisquam tali loco dignus deterioris esse volet conditionis, aliis civibus vulgaribus, qui uxores ducere & procreare liberos valent in vitæ genere privato. Etsi uxores dotem ipsis afferre possunt, earum tamen nec multæ erunt, nec eam sortem præferent lautiori conditioni. Ne igitur præ inopia negligere partes suas, & impulsu egestatis induci se patian-

tur

tur ad obliquas lucrandi vias, prospiciendum ipsis est largo salario, more in aliis civitatibus recepto.

§. 465.

Annua inspectio & rationum redditio quid huc faciat?

Reliquis perseveraturæ integritatis adminiculis haud frustra jungetur attenta inspectio administrationis susceptæ, & rationum quotannis reddendarum examen. Etenim ubi attentæ inspiciuntur res vicarii gestæ, vel ab ipso rectore civitatis, ubi id fieri potest, vel ab aliis, quibuscum rem habet, aut quibus illa inspectio est injuncta, ibi luculenter apparebit, num vicarius promissa præstet, nec ne? Argos enim ipsum observantes vix poterit præterire, si quid deterius & officio contrarium designetur; item eorum querelæ, quibus injuria facta videbitur, non relinquent id occultum, quando norunt, liberum sibi patere aditum ad civitatis rectorem. Rationum vero quotannis redditarum examen, & cum pristinis instituta comparatio, patefaciet, num omnia, quæ fieri debent, ita facta sint, uti par erat & promissum (§. 351). Sic enim si quotannis intelligatur, factum esse, quod fieri debebat, fidei & integritatis præstitæ ratio patebit, præbebitque spem eo certiorem in annum vel annos insequuturos (§. 443).

Quid ex contrariis integritati futuræ indiciis colligendum metuendumque sit, constat per regulam alteram §. 442. Quæ, si cui per partes ire placet, facile ad singulorum spei indiciorum casus applicari a quolibet poterit, quidquid de spei indiciis est explanatum.

SECT.

SECTIONIS II.
CAPUT II.
DE
Consiliariis & aulicis prudenter adhibendis.

§. 466.

Cum rector civitatis instructus esse debeat scientia eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur (§ 496 *P. VIII. Jur. nat.*); fieri autem nequeat, quamvis omnem negotiorum publicorum theoriam probe calleat, ut perfecta singularium quorumque notitia instructus sit, quæ intime perspecta esse debent ad rite decernendum in præsenti negotio, quid optimum factu sit futurum: *utendum ipsi est sapienti arbitrio electis* (§. 365) *vicariis adjutoribusque, qui explorent occurrentis negotii singularia momenta, quæ attendi merentur, ut theoria recte applicari possit, qui ea fideliter & summatim suggerant, & sicubi in rebus eventu dubiis, & quæ pluribus modis fieri possunt, opus est rationum in contrarias partes occurrentium ponderatione; qui illas investigent, in medium afferant, examinent earum momenta, & quid sibi videatur salutarius factu, exponant* (§. 998 *ibid.*)*; denique ministris aulicis, qui ipsi serviant eminentiori modo, ubi in parergis & generalibus indiget eorum adjumento.* *Fundamentum hujus capitis.*

§. 467.

Fidelis brevisque recensio (enarratio) rerum rationumque singularium, a rectore civitatis decernendarum, *relatio* dici consuevit, & subauditur negotii regiminis. Expositio autem sententiæ, num & quomodo aliquid honeste agendum videatur, vel significatio ejus, quid danti videatur, ut fiat, *consilium* *Quid sit relatio & consilium?*

(*Wolfii Politicæ P. IV. S. II. C. II.*) Zz appel-

appellatur (§. 983 *P. I. Theol. nat.*); quod hic rurſus *publicum* illud denotat, quod dandum eſt in negotiis reip. bene gerendæ vel adminiſtrandæ. Poſſet quoque conſilium dici declaratio judicii, quid in re (licita) præſenti optimum factu videatur (§. 466.).

Simili ſenſu dudum accipitur relatio a *Cicerone in Oratione contra Piſonem c. 7.* Tu ſenatum condemnas, non me, qui ſenatui parui. Nam relatio illa ſalutaris & diligens fuerat conſulis (mea); animadverſio autem & judicium ſenatus; & *c. 13.* ecquis audivit non modo actionem aliquam aut relationem, ſed vocem omnino aut querelam? Ad *Brutum Epiſt. 18.* conjungit relationem cum conſilio: at illa (mater tua) retulit, quæſivitque, quidnam mihi videretur? reſpondi id, quod ſentiebam & dignitati ſuæ & exiſtimationi maxime conducere. Conſilium enim vocat *L. I. de invent c. 25.* aliquid faciendi aut non faciendi vere excogitatam rationem; quod repetit *L. II. de inv. c. 9.*

§. 468.

Quid ſint referendarii & conſiliarii? Qui rectori civitatis a relationibus ſunt, *Referendarii* vel intimi referendarii vocantur; qui a dandis conſiliis ſunt, *conſiliarii.* Pro multitudine rerum poſſunt diverſi eſſe referendarii & conſiliarii; poſſunt vero etiam conjungi iſtæ partes, quo caſu conſiliarii ſunt, quorum relatione & conſilio rector civitatis utitur in rep. gubernanda (§. 999 *P. VIII. Jur. nat.*). Sermo hic eſt de conſiliariis publicis, quibus danda ſunt conſilia ſaluti publicæ profutura (§. 466).

Balbus ad Ciceronem ſcribit; ſi (Pompeius) voluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæſare credere . . . . incipiam ſperare, etiam conſilio ſenatus autore te, illo relatore, Pompejum & Cæſarem conjungi poſſe, quod ſi factum erit, me ſatis vixiſſe putabo ad *Attic. L. 8.* inter *16 & 17 Epiſt.* Referendarii imperatorum dicebantur, per quos illi facilius ſingulorum deſideria perdiſcebant, ut *Caſſiodorus Variar. VI. 17.* ait. Erant enim ipſis jus relationis ad principem conceſſum, & ipſi præ-

erant reſponſis ejus referendis reddendisque. In Senatu romano conſulis (hodie præſidis eſt), referre ad Senatum, de quibus eſt ſciſcendum; ſumebant ſibi tamen imperatores quoque jus primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ relationis, h. e. rei vel cauſæ ad ſenatum referendæ, ut ad ipſorum placitum decerneretur.

§. 469.

Referendarii alii ſimul ſunt ſuffragatores, alii non.

Apparet inde diſcrimen inter referendarios nudos, & ſuffragandi jure præditos. Illi quia reſponſa dabant imperatorum, *apocriſiarii* quoque dicebantur, & a reſcriptis expediendis *αντιγραφεις*. Quando autem *præſides* Senatus, alteriusve collegii ſeu concilii, aut Senatores referunt rem, de qua & ipſorum ſuffragium eſt admittendum, hi ſimul conſortes ſunt autoritatis formandi decreta, &, ſi paria ſint cæterorum ſuffragia, ipſimet rem decidunt (§. 551 *ſeq. P. I. Polit.*). Poſterioris generis ſunt, quicunque gaudent jure proponendi deliberanda decernendaque non ſine ſuo ſuffragio.

Proprie tantum nudi referendarii, h. e. jure ſuffragandi deſtituti, dici referendarii ſolent. Suffragatorii autem aliis nominibus receptis compellantur, uti præſides, directores, oratores, verba facientes. Sic ad *Ciceronem Lib. VIII. Epiſt.* 8. Cœlius M. Marcellus Conſul verba fecit de provinciis conſularibus; quod dein reddit his verbis, uti L. Paulus & M. Marcellus Conſules . . . de conſularibus provinciis ad ſenatum referrent. In Polonia noti ſunt ordinis equeſtris oratores, *Mareſchalci;* Senatorum *primas*; in Anglia *the Lord Speaker*, *et the Speaker.*

§. 470.

Qui minus recte dicerentur conſiliarii?

In imperio aut regno temperato qui conſilia publica cum imperatore & rege agitant ſuomet, non vicario rectoris jure (§. 466), quia ſecundi conſortes ſunt imperii, proprie non dicuntur conſiliarii (§. 468), ſed *ordines imperii vel*

Regni (§. 126 *seq. P. II. Polit.*). Si soli optimates rectori civitatis adjuncti sunt participes regiminis, *Senatores regni* dici consueverunt. Si duo ordines sint, alter superior, alter inferior: priorem constituent *Senatores regni*, posteriorem *ordo equestris*, uti in Polonia; vel *curia regni superior & inferior*, uti in magna Britannia, &c. Vid. *Polit. P. II. Cap. II.*

Sunt nempe hi simul suffragatores suomet nomine, & proprio jure, quam ob rem consiliarii vulgari sensu dici nequeunt. Vnde nec nudi sunt referendarii, licet res quasdam ad senatum regni vel imperii referant, ut de illis deliberetur, & sententiæ pro re nata ferantur.

§. 471.

His prudenter relinquuntur sua jura.

Ordinibus imperii regnive rector civitatis prudenter salva relinquit sua jura & privilegia, quibus vi pactorum, legum & consuetudinum gaudent, ut & ipsi eo proniores sint, ad nihil detrahendum rectorum reservatis juribus majestatis, & salus publica amico consensu procuretur. Est enim justitiæ, uti in omnibus aliis rebus, ita & in regiminis partibus, suum cuique tribuere, relinquere, reddere, &, quantum in se est, conservare (§. 921 - 926 *P. I. Jur. nat.*). Nituntur jura ista limitata & divisa pacto licito, quod utique est servandum, & salva salute publica violari nequit (§. 789 *seq. P. III. Jur. nat.*). Est & æquitatis naturalis, ut quisque alteri id faciat, quod recte vult sibi fieri, & alteri id non faciat, quod sibi fieri jure nolit (§. 98 - 103 *P. I. Jur. nat.*). Accedit, quod pacta hæc publica jurejurando soleant esse firmata, ideoque ea violans non tantum fidem datam perfide fallat, sed & pejerationis ac perjurii reus fiat (852 & 926 *seqq. P. III. Jur. nat.*). Quo melius igitur & prudentius rectores civitatis consortibus imperii, ordinibus civitatis, relinquunt, quæ sunt ipsorum, eo certiores esse possunt, ipsos vicissim reservatis juribus rectorum nihil esse derogaturos, &

eo

eo majori jure id ipsum efflagitare valent; eoque amiciori consensu publicæ salutis procuratio fiet.

Non opus est, ut hæc fusius persequamur, & ad temperatas respp. tansferamus, cum ea nullo negotio fieri possint ab eo, qui *P. II. Polit. cap. 2.* de diversa temperandi formas reip. ratione exposita sunt. In ipsis quoque regnis temperatis magna datur diversitas temperationis & jurium, rectori civitatis, aut ordinibus, aut conjunctim illis administrandorum exercendorumque, quæ ex pactis, legibus & usu receptis petenda sunt, ut constet, quid ac quantum cuique debeatur, & relinquendum sit salvum.

§. 472.

Potiora referendariorum encomia.

Referendariis ea inesse debet dexteritas, quæ sufficiat ad negotium penitus perspiciendum, ad præcipua ejus momenta optimo ordine digerenda, summaque perspicuitate, brevitate & facundia extemporali proferenda; ad responsa recte capienda, & ad mentem voluntatemque rectoris civitatis reddenda, uti jussi sunt; eaque integritas, quæ & sine mora, incorrupte, summaque fide & humanitate, sibi commissa expediat, & ad id obligetur. Est enim ipsis concredita fidelis brevisque narratio rerum rationumque singularium, a rectore civitatis decernendarum (§ 467 *seq.*). Quapropter ut illam præstare possint, ea gaudere debent exquisita habilitate & peritia, qua referenda ad principem negotia & ipsi penitus indagare & perspicere, vel ex scriptis oblatis, vel oretenus insinuatis rationibus examinatisque ad lapidem lydium veritatis possint, & quando omnia perspexere, optimo ordine momenta præcipue attendenda concinnare, summa brevitate, perspicuitate distincta, præsentia animi & facundia proponere; item ad suggerendum, si quid præterea innotuit, vel docendum videtur & arbitrandum; tum data responsa recte capere, & prorsus ex mente & voluntate principis, ore aut scripto red-

dere, uti juſſi ſunt, valeant & velint, ideoque ſumma integritate, diligentia, fide & humanitate, ſine mora & incorrupte cuncta ſibi commiſſa expediant (§. 376-380), & ad illa omnia validiſſime obligentur (§. 463 *ſeqq.*).

§. 473.

Cavendum, ne ſe immiſceant alienis.

Quia ferendum non eſt, ut, qui ſuis quidem fungitur partibus, plus ſibi arroget, & alienis ſe immiſceat, dum non minus, qui ſpartam contulit, quam in quem ea collata eſt, cuncta ſervare debet, de quibus inter eos vel expreſſe vel tacite conventum eſt, & jus utriusque metiendum eſt tum ex eo, quod expreſſe ſancitum, tum ex eo, quod ipſa natura negotiorum gerendorum & exſequendorum involvit (§. 901 *P. VIII. Jur. nat.*): *corrigendum illico eſt, ſicubi referendarii exorbitare deprehendantur, remediis pro re nata ſuffecturis* (§. 462).

Hinc *Juſtinianus Novell. 113.* ſcribit: agnovimus, quosdam judices tergiverſari ac celare frequentes ſuas dilationes, excuſando ſe, quod ſacræ formæ aut juſſiones, aut diſpoſitiones ſpectabilium noſtrorum referendariorum inſinuatæ ipſis ſint, tanquam diſponentes, quemadmodum oporteat negotium examinari aut judicari. Propterea ſancimus, ut, dum lis examinatur, neque pragmaticus typus, neque alia præſcriptio, neque ſacra noſtra juſſio referendariorum aut alterius cujuslibet debeat valere quidquam, ad impediendum examen inchoati negotii ſecundum generales noſtras leges. . . . Si autem hoc non cuſtodierit judex, decem librarum auri pœnæ ſubjacebit, aliamque majorem indignationem noſtram experietur, æque ac qui talem dictare formam præſumet miniſtrantibus noſtris referendariis, vel arbitris tantum & compromiſſariis. Rurſus *Novell. 124* hæc habet: jubemus referendarios, in cauſis, quas docent, ſeu referunt ad noſtram tranquillitatem, nullam habere licentiam eos aut adjutores eorum vel per ſe vel per alios tenere aliquem, aut ſub fide juſſionibus facere, aut aliquid exigere, aut

cogere transactiones vel pacta quædam cum adverſariis exponere, aut quolibet modo in quacunque cauſa ſe permiſcere, &c.

§. 474.

Pro diverſitate negotiorum publicorum, eorumque multitudine, referendariorum quoque numerus & functio differt, & prudenter ita definitur, ut & ipſis, & reip. quam optime conſulatur. Alia enim negotia aliam requirunt ſcientiam & peritiam rerum, quæ non eſt uniuscujusque (§. 373 *ſeqq.*). Quæ & ratio eſt, cur, qui in uno rerum genere recte referendarium agere poteſt, vel & egit, non ideo in quovis alio idem præſtare poſſit, in quo ſcilicet eſſet imperitus (§. 348). Neque quisquam in publicis negotiis eorum mole ita eſt obruendus, ut illis impar fieret aut mox ſuccumberet (§. 720 *P. VIII. Jur. nat.*). Prudenter igitur Referendariorum & diverſitas & copia ita inſtituenda eſt, ut & reip. & ipſis bene ſit conſultum (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). *Prudentia circa Referendariorum numerum & diſcrimen.*

§. 475.

Commode dirimuntur *Referendarii* in *ſacros* & *ſæculares*, quorum illi res eccleſiaſticas ſingulares cum ſuis rationibus (§. 348.); hi vero reliquas res regiminis, a rectore civitatis decernendas, ad ipſum referunt (§. 467 *ſeq.*) Harum quoque rerum diverſitas diverſas poſtulat ſcientias & virtutes &c. (§ 472). *Referendarii vel ſacri ſunt vel ſæculares.*

Mentio fit ſacrorum referendariorum in *Novell. 6. c. 3.* ubi Juſtinianus ad Archiep. & Patriarch. Conſtantinop. ſcribit: liceat quidem petentibus Epiſcopis, aut per eos, qui vocantur referendarii ſanctiſſ. majoris Eccleſiæ, aut per religioſos apocriſiarios cujusque diœceſeos ſanctiſſ. Patriarcharum, ſuggerere ſe imperio, & promereri reſponſum celeriter.,, Inſervit diſcrimen hoc negotiorum evitandæ confuſioni & arcendis alienis.

§. 476.

§. 476.

Divisio sæcularium referendariorum. *Possunt quoque alii referendarii sæculares destinari petitionibus civium ad rectorem civitatis referendis, alii caussis controversis ab eodem decidendis, civilibus aut criminalibus certarum regni partium feudalibusve, alii rebus ad commercia remque nauticam pertinentibus, alii militaribus negotiis, alii rebus externis & cum aliis civitatibus gerendis.* Constituendi enim sunt pro diversitate negotiorum publicorum, eorumque multitudine, ut & ipsis & reip. quam optime consulatur (§. 474.). Jam differunt nudæ petitiones civium, quæ controversiis vacant, & tamen a decreto rectorum civitatis pendent, uti si dignitates petantur vel præmia, vel authenticæ legum explicationes, si spartæ sint conferendæ, & defunctis vicariis successores sint dandi &c.; & caussæ controversæ varii generis, vel principis cognitioni reservatæ, ideoque per se discutiendæ, aut delegatis committendæ, vel per appellationem ad ipsum devolutæ (§. 473. *not.*). Ab his rursus differunt caussæ fodinarum, fabricarum, commerciorum terrestrium & nauticorum decernendæ; item militares; & intercedentes cum civitatibus aut civibus peregrinis, quod nemini ignotum aut dubium esse potest.

Commemorat imperator *Justinianus novell. X.;* referendarios Palatii suam largitatem in immensum vocasse, multosque introduxisse supplicantes, donec in quatuor & decem eorum numerus exiret. Propterea ne propria imminueretur honestate, jubet neminem iis adjici, donec morte præsentium eorum numerus ad octo viros perveniat, ut dein perpetuo non sint nisi octo. Addit rationem, ut multitudine minuta, virtus augeatur, quæ non est in multis, suam vitam constituentibus in petitionibus indigentium, & imperatoris in eos auxilio. *Jac. Gutherius de officiis domus Augustæ Lib. III. p. 576.* refert, Carolum VIII. Galliæ regem itidem octo referendarios in Cancellaria Franciæ constituisse, qui juris peritiam assecuti desideria supplicum referant, exa-

minent,

minent, & si quid difficultatis sit, dilucide enarrent. In Polonia 4 habentur referendarii, duo ecclesiastici & duo sæculares, quorum alter Poloniæ, alter Lithuaniæ res ad regem refert. Romæ duo purpurati sunt referendarii, alter gratiæ, alter justitiæ. Cancellariæ 12. sunt referendarii, seniores Prælati.

§. 477.

Quid sint magistri libellorum & scriniorum.

Qui desideria petentium rectoribus civitatum recitare, & responsa reddere solent, *magistri libellorum supplicum*, reliqui *Archicancellarii*, *Cancellarii*, *tabulario Præfecti* vel tabularii, vulgo archivarii, *magistri* (sacrorum) *scriniorum*, *Secretarii* summi aliisque nominibus appellantur, pro negotiorum, temporum, populorum, linguarum & usus diversitate.

In Gallia notus est magister libellorum supplicantium (maitre des Requêtes). Tales etiam fuisse intelliguntur, quos ex *Novell. X.* adnotavimus ad §. 476. Archicancellarii in imperio romano germanico habentur tres Electores Ecclesiastici, nempe Moguntinus Germaniæ; Trevirensis Galliæ & Austrasiæ; Coloniensis Italiæ. In aliis regnis habentur Cancellarii regni aut regis, & procancellarii, quorum est custodia & usus sigillorum; & in Polonia quatuor, duo superiores, & duo inferiores, uterque vel Poloniæ, vel Lituaniæ. Tabulario præfecti, vulgo Archivarii, & Magistri sacrorum scriniorum, vel scriniorum Palatii, aut scriniorum, vel scriniarii plures fuere, v. c. imperatori romano & græco quatuor, utpote magister memoriæ, epistolarum, libellorum, & dispositionum, vel sanctionum pragmaticarum & perpetuarum. De quibus videatur *Gutherius L. cit. p. 518-560.* Secretarii summi seu regni (Secretaires d'Etat) in Anglia, Gallia, Polonia &c. usitati sunt, non tamen ubique ejusdem dignitatis autoritatisque.

§. 478.

Quo modo caveatur res subreptio?

Ne quid subreptitie pro responso rectoris civitatis venditetur, quod tale non est, prudenter cavetur, vel propria subscriptione rectoris, si tanti (*Wolfii Politicæ P. IV. S. II. C. II.*)

res est momenti, & sigilli appensione aut impressione, & testibus adscriptis; vel in minoris momenti negotiis adnotatione & subscriptione nominis ejus, sua manu facta, cui ista sunt commissa. Si enim nota est manus, vel si notum est signum rectoris, antiquitus loco nominis adscripti usitatum, quod in aliorum potestate non fuit; si appositum est sigillum, hujusmodi rebus destinatum, nec ab aliena fraude effictum; si præter referentem adscripti sunt suis manibus alii testes, fide digni, qui rebus illis ita gestis interfuerunt, vel & sua adjecere sigilla; si reliqua momenta & merita causæ, locorum, temporum, scripturæ, stili &c. conspirant, & libera sunt a suspicione: fraudis admissæ aut subreptionis accusatio locum non habebit. Sigillorum discrimen passim variat, præcipuum vero *sigillum majestatis* vocatur, quod utraque facie signatum aliter esse solet, fere uti numismata.

Si in minoris momenti rebus lege aut consuetudine recepta factum sit, quod fieri debuit, v. c. adnotatio responsi & subscriptio illius nomine & manu facta, cujus fides ad ista recte gerenda jurata habetur: id quoque sufficere potest, ad rem extra dubium collocandam, & si quis contra tale rescriptum seu impetratum jus habeat, quod conqueratur, illico querela insinuata & cognita patebit, num quid fraudis sit admissum, nec ne?

Sic *Justinianus Novell.* 114. ad universorum utilitatem pertinere perspeximus, si sacras etiam jussiones cum competenti jubeamus cautela procedere, ne aliquibus liceat, eas pro sua voluntate profiteri. Hinc præsenti lege decernimus, nullam divinam (imperatoriam) jussionem neque per viri magnifici quæstoris (cancellarii) adjutores, neque per aliam cujuslibet dignitatis aut officii (referendariorum) personam, cuicunque judici confectam, a quolibet suscipi cognitore, cui magnifici viri quæstoris annotatio subjecta non fuerit, qua contineatur, & inter quos, & ad quem judicem vel per quam fuerit directa personam: quatenus

nus omni posthac ambiguitate submota nulla cuilibet excusationis relinquatur occasio. Scientibus judicibus vel administratoribus universis, quodsi aliam susceperint jussionem, (autor) multa 20 librarum auri, & officium eorum simili pœna plectetur, quibus jubemus, si qua talis jussio ad eos pervenerit, mox ad prædictum magnificum quæstorem referre, aut cum illo, qui hæc ingerit, destinare, ut in eum vindicta procedat, quam in falsarios jura constituerunt.

In Polonia hodie si rex ipse subscribit, etiam secretarius, qui jussus est scribere, suum nomen subscribere solet. Si vero a Cancellario res ad regem relata est, addi & ipsius nomen solet, & relatio illustriss. & Excellmi supremi regni, Cancellarii &c.

§. 479.

Eundem in finem quoque tabularium publicum summa fide, eoque ordine est instruendum, ut in eo omnia & consignata accurate habeantur, & promte reperiri possint, quæ exiere rectorum civitatis jussa, decreta, privilegia, rescripta genuina, &c. *nec pateat, nisi quibus par est, inprimis quod arcanum esse debet.* Non tantum prævertendis fraudibus suppositiitiorum rescriptorum & documentorum, sed & restituendis genuinis documentis amissis inservit accuratum tabularium, suis scriniis reposita asservans, quæ a Rectore civitatis decreta, edita sunt & profecta. Quod omnium sæculorum fide est comprobatum, & in civitatibus politioribus receptum. Nec tantum regimini politico inservit ejusmodi tabularium, in quo nullæ tabulæ nisi genuinæ recipiuntur, nec ullæ non recipiuntur, vel cujuscunque culpa aut dolo perdi & corrumpi possunt; sed & historiæ rerum gestarum firmis documentis superstruendæ. Qua propter ne ipsa temporum & casuum haud evitabilis sæpe vis quædam consumat, vitiet deleatque, prudentiæ est, certarum periodorum, v. c. sæculorum aut regum, res gestas, cum suis documentis publici juris facere; aut, quæ in arcanis servanda sunt, non uno tantum

Prudentia circa archivum.

exemplo authentico, ſed & publica fide deſcripta diverſis locis ita aſſervare, ne facilis ablatio, corruptio aut interitus fulmine, incendio vel alia ulla calamitate iis afferri poſſit.

Quisquis non eſt rerum hujusmodi & prudentiæ documentorum plane ignarus, illi ſat exemplorum in promtu erit, unde conſtet, hæc recte præcipi & uſu politiorum civitatum teneri. Antiquitatem nos docent ſæpius in ſacris literis & profanis excitati hujusmodi rerum geſtarum commentarii, & ex parte conſervati ad noſtram ætatem. E. g. Pentateuchus Moſis, Liber Joſuæ, Judicum, Libri Samuelis, regum, chronicorum cæt. In quibus citantur quoque alii fontes uberiores, v. c. chronica Salomonis, *1 Reg.* XI, 41.; Regum Iſraeliticorum, *1 Reg.* XIV, 19. Regum, Judæorum, *ibid. v. 29.*, & alibi paſſim. Ita Judæi expetebant ſibi contra adverſarios ſuos edictum Regis Cyri de urbe Hieroſolymitana & templo inſtaurandis, quod repertum fuiſſe dicitur in tabulario regio arcis Achmetenſis in Media, *Eſræ VI*, 1. 2. amandante illuc tabulario babylonico. Vbi obiter adnotandum, tabulas iſtas in eodem loco aſſervatas fuiſſe, in quibus theſaurus cuſtodiebatur, unde denominatio quæſtoris in nota §. 478. lucem fœneratur. De archivi jure *Fritſch* & *Wenker*, de inſtructione poſterior & *Reinking* plura dabunt, quanquam ea pro diverſitate locorum multum variant. Apparatum documentorum inde petitorum dabunt *corpus diplomaticum Jacobi du Mont, Hagæ 1726. ſeqq.* & *Bullarium romanum Luxemburgi 1727-48. edd.* in quibus tamen multa deſiderantur, ex aliis documentorum editoribus, paſſim reperiundis, & in futurum exſpectandis ſupplenda. Tabularia, quæ incendio, bello, incuria cuſtodum & commodando aliis, a quibus reddita non ſunt ex variis cauſis, periere, vix reſtitui poſſunt, immo nequaquam, ſi authentica ſola fuere. Si quid reſtitui poteſt, id petendum erit, vel ex aliarum civitatum tabulariis, cum quibus illa acta fuerunt vel communicata, vel ex authenticis civium, quibus privilegia, edicta &c. data ſunt, undique congeſtis, ut ſumma fide deſcribantur edanturque. Quæ vero ſic reſtitui nequeunt, ex illis, quæ in uſu habentur

pro-

propter illa decreta olim edita, colligenda sunt, quam optime fieri potest. Liquet tum, quam male sibi consulant, & jura ipsa perdant, quorum perdidere documenta, quod multis exemplis posset comprobari, nisi per se luceret.

§. 480.

Quibus alibi jus relationis detur?

Quoniam in arbitrio rectorum civitatis est, cui velint istam committere relationem rerum singularium, qua indigent ad decreta formandi (§. 466.), non omnino necesse est, ut sint peculiares referendarii & cancellarii, sed *possunt quoque illæ partes demandari præsidibus illorum collegiorum, quibus suprema illarum rerum discussio vel decisio eatenus est injuncta, ut rector civitatis re cognita suam addat vel confirmationem vel reformationem.*

Si rectores civitatis firma sede utuntur, ibique circumdati sunt supremis vicariorum collegiis, ad quæ ab inferioribus magistratibus remitti debent, quæcunque altioris sunt indaginis, & summa autoritate decernenda sunt: & sumtuum diminutio, & penitior causæ cognitio militat pro præsidibus eorum collegiorum, quorum est penitior earum rerum discussio, ut illis liber concedatur aditus, ad ea proferenda, quæ vel confirmanda videbuntur vel corrigenda. Libelli vero supplices, vel ipsi rectori civitatis data opportunitate tradi possunt, vel per quemcunque amicum alium aut amicam, cui aditus ad illum sæpe patet. Neque id inusitatum esse passim experimur, etiam tunc quandoque, cum referendarii accipere preces tergiversantur vel plane detrectant, sive affectu quodam erga supplicantem, ejusque adversarium, sive ex alia causa quacunque.

§. 481.

Quid consiliariis incumbat?

Jam strictius & proprie dicti Consiliarii (§. 470.), inveniendis dandisque consiliis operam dare debent (§. 468). Quare cum consilium notet declarationem judicii, quid in re præsenti publicæ salutis causa optimum factu videatur (§. 467.): *consiliariorum est, promte excogitare & invenire varios publica negotia,* de

de quibus agitur, recte tractandi modos, inter cæteros, qui haberi possunt, & meliores, dispicere, quis sit omnium optimus in præsenti rerum facie, hæc denique optima fide, verbis perspicuis & argumentis, quæ haberi possunt, firmissimis declarare (§. 361.). Quæ sana ratio hæc meditaturis, non aliter habere, extra controversiam ponet (§. 467.).

Cum princeps in arte regnandi non possit cuncta sua complecti scientia, & teste Tiberio unius hominis mens tantæ molis capax non sit, ut legitur in *Taciti annal. III. 69. & XI. 2:* sunt viri sagaces prudentissimique in partem curarum vocandi, præsertim in novis arduisque rebus regiminis investigandis, ut *Helvidius* recte statuerit, nullum esse majus boni imperii instrumentum, quam Consiliarium. *Histor. Tacit. IV. 7.* & *Sallustius Or. 2. de ord. rep.* omnia regna, civitates & nationes eousque prosperum habuisse imperium, dum apud eos vera consilia valuerunt, ipseque rex *Salomo Proverb. I, 5. XI, 14.* Neque enim velocitatibus, lacertis aut alacritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate, sententia. *Cicer. Caton. Maj. c. 6.* Qui & ad Dolabellam *Epist. 18. L. 14. ad Attic.* scribit, non est alienum a dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem.

§. 482.

De Consiliariis nominalibus & veris.

Missos hic facimus consiliarios nomine & titulo tenus, qui nisi vano nomine honorari cupiunt, ad summum digni esse declarantur, qui consiliariorum honore fruantur, itaque honorarii sunt, etsi nondum consiliis dandis adhibentur. Hos titulares vulgo vocant, quoniam solum nomen consiliarii ipsis tributum est, augendæ civilis dignationis causa (§. 999 *P. VIII. Jur. nat.*). *Quid prudentia de illis suadeat, ex istis intelligi potest, quæ de Titulis allata sunt* (§. 192. *seq. P. III. Polit.*). Dicuntur hi quidem Consiliarii, & honorantur ut tales, sed non sunt. Neque alio censu habendi sunt, qui ut essent supernumerarii, electi

sunt,

sunt, sed vel esse nolunt vel nequeunt, itaque, quacunque de causa fiat, re ipse non sunt consiliarii. *Sunt & hi inter consiliarios missi faciendi, vel potius non recipiendi*, tanquam numeri supervacui: nisi præter culpam suam impares partibus suis facti sint, calamitate commiserationem merente. Veri autem (§. 481.), exhibiti, vel *perpetui* sunt, vel rarius jussi *domi suæ* consilium conscribere & submittere obstringuntur, qui dicuntur Räthe von Hause aus. Illa divisio nihil ad rhombum facit, qua pro sorte nativitatis dividuntur in nobiles & ignobiles seu civiles (adeliche und bürgerliche). De hæreditariis, tanquam vix consultis, nihil addam.

§. 483.

Consiliarii actuales sint inventores.

De veris igitur idoneisque consiliariis acturi, præter communes vicariorum superiorum dotes virtutesque (§. 368-464.), *inprimis in ipsis desideramus artem inveniendi, eamque publicam*. Debent enim excogitare promte & invenire varios publica negotia, de quibus consultatum, tractandi modos, quotquot in potestate sunt (§. 481.). Sed hoc melius fieri nequit, quam ope artis excogitandi seu inveniendi, utpote quæ est habitus ex veritatibus cognitis alias incognitas eruendi (§. 455. *Psychol. empir.*). Cum inveniendi sint modi, quotquot potestati humanæ subjici possunt, datum negotium civile ad salutem publicam expediendi, non quælibet ars inveniendi huc sufficit, v. c. theoretica tantum, sed in primis *practica*, agendi ea, quæ faciunt ad scopum ex asse consequendum (§. 418. *P. II. Polit.*), & inter practicas *civilis*, scilicet ope societatis civilis, & inter civiles *publica* (§. 467.), quæ in regenda rep. penitissime perspecta ejusque negotiis arduis admodum occupatur, quæ & in rectoribus civitatum dari debet (§. 22. & 84 *seqq.*). Quorum cum adjutores esse debeant, ipsorumque vicibus in reperiundis consiliis

filiis *fungi* (§. 466.): ipsorum quoque similes esse (§. 368.), ideoque arte inveniendi publica instructi esse debent.

Nemo miretur, quod artem inveniendi practicam dirimo pro partibus disciplinarum practicarum in philosophia, cum & in œconomicis, & in ethicis & in politicis multa & dudum inventa sint, & invenienda restent, æque ac in omnibus artium humanarum generibus. Cum politica varias habeat partes, privatam civium, qui aliis parent, variis tamen rationibus gratiam & benevolentiam aliorum occupari, & sibi veluti peculiarem facere didicerunt; & publicam, bellicam pariter ac pacatam; per publicam hic non bellicam, sed nude & simpliciter dictam, quæ civitati pacatæ præest, indigitamus (§. 337. *seqq.* 361.). Germani alteram dicerent die friedsame, alteram die kriegerische Staatserfindekunst. Ad consilium de rep. dandum, caput est, nosse remp. ait *Cicero L. II. de Orator. c. 28.*

§. 484.

Iique excellentes. *Consiliarii in arte inveniendi publica debent excellere.* Debent adjuvare rectores civitatis in inveniendis rebus arduis, ad salutem publicam in præsenti negotio expediendam requisitis (§. 466.) Debent fungi partibus eorum, & promti esse in illis excogitandis (§. 481.), pariter ac ipsi rectores (§. 368.). Sed rectores debent excellere in arte inveniendi publica (§. 86.). Qua propter & ipsorum vicarii administrique, ut eo majori adjumento ipsis sint, itidem in ea excellentes viri esse debent. Quoque magis in ea excellunt, eo magis merentur ipsis a consiliis esse, eoque melius agent suas partes, cæteris haud disparibus. Et quo rectius fungentur suis partibus, eo utiliores erunt & rectori & ipsimet civitati beandæ.

Heuristicam varios admittere gradus, partim materiales, partim formales, constat e dictis §. 85. Inde & duplici modo consiliarii in ea excellere possunt, alii nempe in pluribus rebus prompte reperire possunt modos, quotquot dari possunt, rem præ-

præsentem extricandi; alii in modo inveniendi subtiliora, certiora & utiliora penetrant, aliis non æque pervia; item celerius alii reperire possunt, quid factu opus sit, quidve præstet, alii tardius & infelicius ea in re versantur. Quia res morales & civiles tum qua fines & modos in arbitrio voluntatis positæ sunt, tum lex naturæ, earum norma perspecta habetur; non adeo difficilis in his esse solet inventio, quam in illis rebus, ubi ipsa sæpe principia inveniendi ignota, nec facilia sunt detectu. Quæ & ratio est præter salarium, cur consiliarii civitatum dentur multo plures, quam rerum aliarum inventores, quorum propria laus sit ars consulendi.

§. 485.

Solertia consulendi gaudentes.

Quia Consiliarii in publica arte inveniendi consulendique excellere debent (§. 484), & excellentia dexteritatis publicæ solertia appellatur (§. 376.): manifestum est, cur in consiliariis dari debeat, *solertia consulendi*, vel consiliaria; & cur *inertia consulendi* eos redderet ineptos.

§. 486.

Prudentiæ gradus.

Hæc ipsa vero consulendi solertia suos quoque admittit gradus, ut aliis consiliariis major insit, aliis minor; etsi in eligendis illis opera circa illius navanda est, ut, quanta haberi potest, tanta obtineatur. Prior pars theorematis ostendi iisdem argumentis potest, quibus usi sumus §. 384. *seqq.* Posterior patet ex §. 365. *seqq.* & 377.

§. 487.

In consiliariis detur connubium rationis & experientiæ.

Quia modus inveniendi habetur duplex, alter experientia nitens, alter rationis perspicacia; ideoque & *ars consilia inveniendi* duplex datur (§. 455. *Psych. empir.*), altera *a posteriori* procedens non sine confusione ope experientiæ, altera *a priori* distincte beneficio rationis, seu *confusa* & *distincta*: certioris cognitionis causa connubium rationis & experientiæ quoque in arte inveniendi adhibendum est (§. 497. *ibid.*). *Consiliarii ergo utriusque generis sunt conjungendi, ut scilicet alii sint multiplici rerum publicarum*

carum ſimilium, domeſticarum præſertim, *recte aut perperam geſtarum, experientia & memoria excellenti inſtructi; alii vero ingenio tam eximio præditi, ut e re præſenti perſpicacitate rationis excellenti eruere talia poſſint, quæ nova plane ſint, nec patere per experientiam queant.* Quæ inventionum genera ſi ambo præſto ſunt, ſelectui eorum, quæ optima factu ſint, materiam præbebunt rectori civitatis (§. 466.). *Qui utroque inventionis genere excellunt, eo erunt cæteris præſtantiores & autarchæ ſimiliores* (§. 86.), *quo majus meliusque in ipſis datur connubium experientiæ & rationis* (§. 383).

Ex Archytæ ſententia apud *Stobæum Serm. I.* duo ſunt, quæ prudentiæ habitum gignunt, quorum alterum eſt, ut mens diſciplinis (μαθηματικῶν) & ſcientiis ſit inſtructa; alterum, ut negotia multa ipſe viderit, aut alio modo acceperit . . . . Prior ad ſingularia dijudicanda cæco laborat judicio, dum univerſalia tantum contemplatur; quæ poſterior ignorat ſpernitque in ſingularibus tantum ſubſiſtens, quibus recte uti neſcit. Ita circumſcribo ultima verba paulo obſcuriora. Quod rectius habet, dum utrumque adeſt, ut ratio univerſalem theoriam ſuppeditet, experientia vero de ſingulis judicet, quæ comperta habet. Quam in rem *Cicero Ep. 6. Lib. VI. ad famil.* illam abſolvi innuit, tum ſapientiſſimorum virorum monumentis & præceptis plurimoque doctrinæ ſtudio, tum magno etiam uſu tractandæ reip. magnaque temporum varietate.

§. 488.

Quinam ſint conſiliarii periti?

Conſiliarii experientiæ ſuæ, omnisque, quæ haberi poteſt, memoriæ alienæ ſuæ potiſſimum civitatis actorum, legum, privilegiorum & conſuetudinum ſua ſuperſtruentes conſilia, *periti* dicantur, quatenus *peritia* haud vulgarem agendi habitum notat ope experientiæ comparatum. Quæ ſi in negotiis publicis adquiſita ſit, *publica* ſalutabitur ſeu civilis. Quo major eſt peritia conſiliariorum, eo illi erunt *peritiores*, & dum maxima gaudent peritia, *peritiſſimi* merito dicentur. Quo major vero imperitia, eo major inertia.

Non recedimus hic ab uſu recepto peritiæ & hominum peritorum. Sic enim *Tullius de offic. I. 41.* ſcribit: nec alienum eſt, ad ea deligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, & quid his, de quoque officii genere placeat, exquirere,,. Vſus autem, quo periti reddimur, vel proprius eſt, vel aliorum, quatenus is nobis innotuit, ideoque non differt ab experientia, quæ & græcis *εμπειρια* vocatur & *πειρα*. Sic & pro *Cornel. c. 12.* peritus, inquit, noſtri juris ac moris nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam civitatem ſe dicavit; & *c. 20.* aſſiduus uſus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe vincit. Quis dubitet de fœderibus, & de toto jure pacis & belli, omnibus juris peritiſſimis imperatores noſtros anteferre? Alibi *Attico* ſe offert conſiliarium non imperitiſſimum. Periti noſtratibus erunt **wohlerfarne**; periores **hocherfarne** &c.

§. 489.

Conſiliarii ſuamet perſpicientia rerum agendarum conſilia detegentes & promentes, dici poſſunt in arte ſua vel ſuopte Marte *fecundi*, quia ex ſuo penu aut fundo ſcientiarum & jurium, de quibus agitur, ferunt & petunt conſilia ſua, ut fructus artis ſuæ. Horum alii fecundiores aliis, alii fecundiſſimi omnium, a graduum ubertatis diverſitate nuncupari poſſunt, uti & pleni & pleniſſimi conſiliorum dicuntur. Contra qui reperire ſuo marte conſilia nequeunt, conſiliorum inopes recte vocantur. Et quia inopiæ opponitur abundantia & copia, poſſunt conſiliarii ſuopte marte fecundi, quoque abundantes propriis conſiliis dici. *Quinam ſint fecundi conſiliarii?*

Epiſt. 3. L. VI. ad Atticum ſcribit *Cicero:* magna, ut vides, ſolicitudine afficior, magna inopia conſilii. Ex quo, quid copia ſit & abundantia conſilii, haud difficulter perſpicitur. Sed fecunditas una notat ex ſe ſcaturrire & naſci illam copiam & abundantiam, uti fecundi per ſe agri, piſces, & fecunda animalia. Sic *Cicero de Divin. l. 13.* cecinit : hæc adeo penitus cura videre ſaga-

ſagaci, inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo otia, qui ſtudiis læti tenuere decoris, fuderunt claras fecundi pectoris artes.

§. 490.

Conſiliarii ſunt tam periti, quam fecundi.

Quia in conſiliis quoque connubium experientiæ & rationis eſt adhibendum (§. 487): *conſiliarii tum periti, tum fecundi eſſe debent* (§. 488 *ſeq.*). Sive igitur ſimul utraque inveniendi arte polleant, ſive alii, ut fieri ſolet, in conſiliis ſint peritiores, alii fecundiores: non melius deliberari res & conſilia iniri poterunt, quam utroque inventionum fonte confluente in communem conſiliorum portum, tutiora omnia & tectiora præſtiturum.

§. 491.

Fecunditas vel eſt ingenii vel judicii.

Fecunditas artis inveniendi ſe exſerit partim ingenio (Witz), *partim judicio* (Urteil, Verſtand) *eximio.* Ingenium ſtrictius facilitatem infert obſervandi rerum ſimilitudines (§. 476 *Pſychol. empir.*); latius vero relationes obſervandi & ſubſtituendi ſibi invicem connexa (§. 70). Egregium ergo ingenium notat eximiam hujusmodi facultatem, vel habilitatem & habitum animadvertendi iſtas relationes, easque ſibi ſubſtituendi. Iudicium vero examinat & conſiderat, num excogitata ſatis vera, recta, certa, & tuta ſint, nec ne. Poſteriori caſu errorem detegit, & veriora, certiora ac tutiora illis ſubſtituit. Priori autem comparando illa inter ſe, quænam & cur præferri mereantur, diſquirit, aut num alia his meliora reperiri queant (§. 344 *ſeqq. ibid.*). Egregium judicium ergo facultatem & habitum recte internoſcendi & perpendendi omnia ſua quoque excogitata, eorum momenta, & genuinam eorum inter ſe & ad ſcopum relationem detegendi complectitur. Cum igitur & ingenium & judicium inſitæ ſint facultates, virtutesque mentis poſt adquiſitionem itidem inſitæ, & fecunditas ex inſitis viribus ſua producit inventa, & in noſtro caſu conſilia

(§. 489.

(§. 489): in propatulo est, fecunditatem artis inveniendi & consulendi se exserere egregio tum ingenio tum judicio heuristico (erfinderische Witzigkeit und Einsicht).

§. 492.

Insigni ingenio pollens vocatur ingeniosus (§. 476 *Psychol. empir.*) Witzig, Sinnreich. Cum Consiliarii fecundi ingenii esse debeant (§. 490 *seq.*): *Consiliarios liquet esse debere ingeniosos.* Plerumque tamen ingeniosus dici solet, cujus ingenium insigne naturale vulgari tantum modo excultum se prodit iis indiciis, unde ingeniosi æstimari consueverunt. Quo tamen sunt ingeniosiores, eo pluris erunt faciendi, & plurimi omnium ingeniosissimi. *Consiliarius sit ingeniosus.*

§. 493.

Consiliarii esse debent viri ingeniosi (§. 492), & ingeniosis imaginatio est vivax (§. 479 *Psychol. empir.*). Ergo & *consiliarii gaudere debent imaginatione vivida*, qua probe promteque sibi conscii sint eorum, quæ in claris phantasmatibus continentur (§. 478 *ibid.*). Erunt inde eo ingeniosiores, quo ipsis est vividior phantasia (lebhaffte Einbildung). *Et phantasiæ vivacis.*

§. 494.

Quia ingenio gaudens etiam memoria pollet (§. 480 *Psychol. empir.*), & inventores ingenio opus habent ac memoria (§. 481 *ibid.*): *Consiliarii quoque ingeniosi dici nequeunt, nisi simul memoria insigni* (ein herrlich Gedächtnis) *polleant.* *Et memoriæ bonæ.*

§. 495.

Sagax tum vocatur, cujus sensus est acutus, seu cujus subolenti animo parva vestigia satis sunt, per quæ cognoscere reliqua connexa possit; tum ingeniosus occulta acute promteque animadvertens spurfindig. Hinc *sagacitas* (die Nach- vel Ausspürigkeit, Sinnreichheit) habitus est insignis ingenii quam *Quid sit sagax sagacitasque?*

 optime

optime exculti. Quæ ideo ineſſe ingenioſo debet, & inter virtutes intellectus referri meretur, utpote quæ ingenii acumen (§. 240 *P. I. Ethic.*) & profunditatem quandam redolet (§. 204 *ibid.*).

Sagire inquit *Cicero de Div. I. c. 31.* ſentire acute eſt, ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes; item *de Fin. II. c. 14.* homines hoc uno a beſtiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque & acrem & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, &, ut ita dicam, ſagacem, quæ & cauſas rerum & conſecutiones videat. Vti narium eſt ſagacitas, ita & mentis humanæ, de qua *Nepos Alcibiad. c. 5*; erat ea ſagacitate, ut decipi non poſſet, præſertim cum animum attendiſſet ad cavendum. *Cicero in Verrem. 1. c. 41.* utrum admonitus, an tentatus, an (qua eſt ſagacitate in his rebus) ſine duce ullo, ſine indice pervenerit ad hanc improbitatem, neſcio; & *de Orat. I. c. 51.* Acuto homine nobis opus eſt, & natura uſuque callido, qui ſagaciter perveſtiget, quid ſui cives . . . . cogitent, exſpectent. Quia canes quidam odorantur ſagacius, *Cicero* de ſe ſcribit *de Orat. II. c. 44.* omni mente in ea cogitatione curaque verſor, ut odorer, quam ſagaciſſime poſſim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid exſpectent, quid velint, quo deduci oratione facillime poſſe videantur, cum aggredior ancipitem cauſam & gravem, ad animos judicum pertractandos.

§. 496.

Conſiliarii ſint ſagaces admodum.

Conſiliarii ſint ſagacitate, quanta haberi poteſt, imbuti; vel excellant ſagacitate oportet. Debent enim eſſe ingenioſi, & quo ſunt ingenioſiores, eo ſunt præſtantiores (§. 492). Sed habitus inſignis ingenii, quam optime exculti, eſt ſagacitas (§. 495). Conſtat igitur, conſiliarios excellere oportere ſagacitate. Et quo ea magis excellunt, eo erunt ſagaciores; atque ſagaciſſimi, dum maxime excellunt.

§. 497.

Insigni judicio pollens dicitur *acutus* (scharfsichtig), vel *acer* (scharfverständig). Hinc *acies* mentis vel critica expedita habitus est egregii judicii, quam optime exculti. Quæ in consiliis critica consiliaria, & *acritas* vel *acrimonia* consulendi dici posset in discernendis veris a falsis, futuris a non futuris. *Quid sit acutus & acies mentis?*

De Cæsare scribit ad *Tullium Epist. 15. L. VIII. ad fam.* Cœlius: Ecquem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis aut legisti, aut vidisti? Hoccine & in rebus inveniendis & judicandis? Sic enim de Aristotele scribit in *Orat. ad M. Brut. c. 51.* Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior (spitzfindiger) Aristotele fuit? Quemadmodum de sapiente *Tusc. Qu. IV. c. 17.* affirmat, is animo semper sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum. Idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia & angore vivendi, ut, quemcunque casum fortuna invexerit, hunc apte & quiete ferat. Item de prudentia *L. II. de Legg. c. 23.* cum animus cognitis perceptisque virtutibus . . . puram religionem susceperit & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii, aciem ad bona deligenda & rejicienda contraria, quæ virtus ex providendo est appellata prudentia, quid eo excogitari poterit beatius? Est hæc acies mentis acumen illud morale & practicum, quod quomodo adquirendum sit in *Ethicis*, docetur *P. I. §. 221 seq.*; & cui obstat hebetudo intellectus (§ 225 *ibid.*). Hic vero applicatur ad prudentiam civilem & ad publica consilia danda capiendaque.

§. 498.

Donec fecunditas artis inveniendi eximium requirit judicium (§. 491), & insigni judicio pollens acutus appellatur (§. 497); uti acies mentis habitus seu virtus judicii egregii, quam optime exculti (*ibid.*): manifestum est, *consiliarium debere esse acutum, & acie mentis haud vulgari eminere* (484). Quo igitur *Consiliarii sint acuti & acres.*

igitur acutiores ſunt acrioresque conſiliarii, eo, cæteris paribus, erunt præſtantiores, & præſtantiſſimi omnium, qui ſunt acutiſſimi, vel ſumma acie mentis acerrimi (§. 489). Qui abutuntur acie mentis ad prava & ſpuriam imitationem ſapientiæ, *aſtuti* vocantur (§. 480 *P. I. Ethic.*) & *verſuti*, dum multiplici celeriter utuntur aſtutia.

De acie hac mentis *Cicero L. I. de Off. c. 41.* Vt in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt: ſic nos, ſi acres ac diligentes judices eſſe volumus, animadverſoresque vitiorum (erratorum & inconſultorum), magna ſæpe intelligemus ex parvis. Poteſt quoque de Conſiliariis quibusdam dici, qui hac acie carent, eſſe eos quidem minime malos, ſed non ſatis acutos *L. III. de off. c. 9.* Laudat idem Scævolam *de Orat. l. c. 39.* æqualem & collegam ſuum, ut hominem omnium & diſciplina juris erudititiſſimum, & ingenio prudentiaque acutiſſimum & oratione maxime limatum atque ſubtilem. Laudat Servium *in Bruto c. 41.* quod ad ſcientiam & uſum juris attulerit artem maximam, quæ rem latentem explicaret, obſcuram explanaret, ambiguam videret ac diſtingueret, poſtremo haberet regulam, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequutura. Conjungi cum acuto *argutum* ſolet: uti *Horatius in Arte poët.* Judicis argutum quæ non formidat acumen (poëſis), hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit. Et *Tullius in Orat.* qui in illo ſubtili & acuto elaboravit, ut callide argureque diceret, nec quidquam altius cogitaret, hoc uno profecto magnus orator eſt, ſi non maximus. Sic & conſiliarios perargutos eſſe peracutos parebit. Cujusmodi erat *Abitophel*, niſi perfidia ſe contaminaſſet, & deſperatione interemiſſet, *2 Sam. XVI. 23 & XVII. 23.* Ob quam nequitiam, peraſtutus potius & verſutiſſimus dicatur. Verſutos, inquit *Cicero de Nat. Deor. L. III. c. 10.* appello eos, quorum mens celeriter verſatur; *conf. de Offic. l. c. 30 & veteratores de Fin. B. II. c. 16.* qui facile excogitant, quomodo ſine teſte fallant.

§. 499.

Profundi, ſolidi.

Quia conſilia danda ſunt, antequam res arduæ gerantur & ſuſcipiantur (§. 467): *oportet, ut Conſiliarii acuti mentis ſuæ ſcientes & acie penetrent intimos earum receſſus;* ideoque tanta gaudeant *profunditate*, quanta cadere in acutiſſimos homines poteſt; tanta *ſcientia* earum rerum agendarum, legum, pactorum, privilegiorum attendendorum &c. quanta haberi poteſt; & tanta *ſoliditate*, quantam rerum indoles limitato captui humano concedit (§. 489). Quare *conſiliarii quo acutiores requiruntur, eo & profundiores, ſcientiores & ſolidiores eſſe debent*, & præſtantiſſimi erunt, cum ſunt uti acutiſſimi, ita & prufundiſſimi, ſcientiſſimi vel callentiſſimi rerum illiusmodi agendarum, & ſic una ſolidiſſimi erunt (§. 498).

§. 500.

Ad negotii determinationes omnes perſpiciendas.

Cum in rebus ſingularibus agendis mira detur varietas determinationum, & internarum & externarum fortuito accedentium, quæ ad actionem ejusque eventum nonnihil conferunt (§. 94 *ſeq. P. II. Phil. pract. univ.*): *Conſiliarius acutus, profundus & ſolidus in negotio publico deliberando non ſolum ſatis perſpectas habere debet omnes notas, rationes & actiones internas, quæ illud ingrediuntur, ejusque eſſentiam & indolem propriam conſtituunt; verum etiam res illas externas, quæ fortuito intervenire, & ad curſum negotii vel inhibendum, vel adjuvandum facere poſſunt.* Id quod eo magis neceſſarium eſt, quo facilius ſæpiusque accidit, ut quarundam determinationum ratio non habeatur, per quas conſilium longe aliter fuiſſet ineundem, triſti exitu deinde docente, quod aliud conſilium longe ſalutarius perſpici & eidem ſurrogari potuiſſet.

Vti recte *Cicero Phil. V.* dicit, minimis momentis maximas fieri temporum inclinationes: ita negotia maxima ex minimis ortum ducunt & conficiuntur, nec ſunt, quod eſſe poſſunt & debent,

niſi omnium concurſu influxuque. Vera ratio faciendi aliquid vel non faciendi, cum hominum ipſorum, tum rerum ac temporum conditione initur, ſecundum *Plinium L. VI Epiſt.* 27. Neque temere ſpernenda eſt conditio, quæ minima videtur, cum ab ea maxima pendere poſſint.

§. 501.

Quid ſit ſubtilitas judicii *Subtilitas judicii* eſt habitus ejus minutias quasque abditas rei momentum habentes perſpiciendi, ſeu minima quoque negotii momenta, vel abſtruſa & difficilia, penetrandi. Noſtratibus dicatur die Feinheit des Verſtandes.

Sic *Epiſt. 6. L. XV. ad fam. Cicero:* ad meum ſenſum & ad illud ſincerum ac ſubtile judicium nihil poteſt eſſe laudabilius, quam eſt tua oratio; & de *Oratore L. I. c. 39.* Qu. Scævola oratione maxime limatus atque ſubtilis. *Acad. Qu. I. c. 2.* apud noſtros, ait, non ignoras, quæ ſit & quanta ſubtilitas, & *de Offic. L. II. c. 10.* quum veritas ipſa limatur, in diſputatione ſubtilitas illa eſt alia, &c. Bene *Plinius Epiſt. 20. L. I.* Plerumque parvæ res maximas trahunt . . . Dixit aliquando mihi Regulus: tu omnia, quæ ſunt in cauſa, putas exſequenda: ego jugulum ſtatim video, hunc premo. Premit ſane, quod elegit, ſed in eligendo frequenter errat. Reſpondi, poſſe fieri, ut genu eſſet, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putaret. At ego, qui jugulum perſpicere non poſſum, omnia pertendo, omnia experior, omnem denique lapidem moveo &c. De Catone *Tullius in Bruto c. 17.* quis illo in ſententiis argutior, in docendo ediſſerendoque ſubtilior? . . Sed in noſtra inſcitia eſt, quod ii ipſi, qui in græcis delectantur ea ſubtilitate, quam atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem.

§. 502.

Conſiliarii ſint ſubtiles. Quoniam conſiliarii omnia negotii præſentis momenta debent habere explorata (§. 500); id autem conſequi nequeunt, niſi habitu gaudeant minima quoque ejus momenta penetrandi, qui vocatur ſubtilitas (§. 501): *evidens eſt, conſiliarios*

liarios subtilitate egregia instructos esse oportere. Proinde eo melius consulere poterunt in rebus difficillimis, quo sunt subtiliores in excutiendis negotiorum ingentis momenti recessibus latebrisque in lucem protrahendis.

§. 503.

In dandis consiliis odiosis.

Si consilium dandum sit Rectori civitatis ingratum, quod fides dissimulare vetat, magna opus est subtilitate & cautione ad istud ita proferendum, ut quam minime offendere possit. Si enim ingratum fore prævidetur consilium dandum, quod tamen fides dissimulare vetat, oportebit, ut ipsi detur rectori civitatis (§. 467). Sed prudentia requirit, ut ita detur, quemadmodum animum ejus flectere ad saniora & licita possit (§. 1); & caveatur, ne affectu irritato datum non solum ipsi non prosit, sed & danti noceat. Subtiliter igitur, tectius cauteque dandum erit hujusmodi consilium, ut quam minime offendere queat (§. 13 *seq.*).

Exempla prostant in Ioabo, Absolomi revocationem Davidi persuasuro *2 Sam. XIV. 1-24* item *2 Sam. XIX. 5 seqq.* nec non in Husæo *2 Sam. XV. 34.* & *XVII. 7-14.* Simili prudentia subtili utebatur Nathan, pœnam divinam Davidi nuntiaturus *2 Sam. XII. 1-12.*

§. 504.

Quomodo obtineatur subtilitas?

Quia subtilitas perspicere debet minutias negotii momentum habentes (§. 501): *exercendus erit animus ad omnem attentionem, quam potest, ad rem præsentem afferendam, eamque ita in illa defigendam, & continuandum, donec detexerit, quæcunque alicujus momentis occurrunt.* Neque pigere debebit, reflectere animum sæpius ad eadem argumenta & momenta expendenda profundius, ut *in alia aliaque omnive relatione considerentur, tam quæ prodesse poterunt, quam quæ obesse.*

§. 505.

Regulæ dandorum consiliorum.

Quod cuique fine quæsito potiori cupienti incumbit, idem multo magis consiliario finem omnibus salutarem consequuturo, ut scilicet 1) *solicite distinguat casus omnes in exsecutione negotii publici dabiles*; 2) *investiget subsidia certa, tuta, facilia & in quolibet casu brevissime & ex asse ad finem ductura, modosque illis optime utendi*; 3) *detegat impedimenta, quæ in casu unoquoque se offerre possunt; tandemque* 4) *inquirat in remedia & modos quam optime impedimenta præveniendi aut removendi* (§. 92 P. II. *Phil. pract. univ.*).

Hæ regulæ & peritis consiliariis observandæ sunt, & per se fecundis, cum opus sit in consiliis dandis connubio rationis & experientiæ (§. 487 *seqq.*). Pertinere illas, ad ea, quæ consiliariis incumbunt, patebit, si conferantur cum §. 481. Quid casus sint, quorum hic mentio fit, reperiri potest §. 180 *seqq.* *Pars II. Philosophiæ practicæ univ.*

§. 506.

Quomodo peritia consiliariorum adquiratur.

Peritia consiliariorum adquirenda est tum experientia propria, tum aliena. Notat enim peritia habitum (consiliariorum) haud vulgarem ope experientiæ comparatum, ideoque vel suamet experientia nixum vel aliorum omnis ævi (§. 488). Si propriæ debetur experientiæ, illa certior erit, quam si tantum credatur alienæ, quæ variis de causis fallere potest. Debebitur autem propriæ experientiæ, si quis vel inde a juventute, vel tamen diu multumque interfuit negotiis, aliorum prudentibus consiliis bene gestis aut & male interdum gestis, quibus omnem adhibuit attentionem, & quorum sibi memoriam comparavit integerrimam promtamque. Qua de re seniores plerumque erunt consiliarii periti, & quo sunt seniores, saltem expertiores, eo, cæteris paribus, quoque peritiores erunt. Cum propria experientia non omnia docere possit, addiscenda quo-

que

que ſunt, ex optimis hiſtoriis civilibus omnium populorum temporumque, conſiliorum priſtinorum rationes, fines, exitus cum ſuis cauſis, ut nocitura vitari, profutura in ſimili caſu prudenter adhiberi poſſint. Quo pacto fieri poterit, ut vir juvenis, multæ lectionis & memoriæ æquiparari aut anteferri ſenioribus aut Neſtoribus mereatur, uti & dudum obſervatum fuit.

In hunc finem optandum eſſet, ut *conſiliorum theſaurus* ex omnis ævi memoria colligeretur, vel generalis, vel & ſpecialis, v. c. bellicorum, nauticorum, monetalium, in quo breviter, digeſta in ſua capita, conſilia commemorarentur, citatis autoribus fide dignis, unde plenior hauriri eorum cognitio poſſit. Tentarunt nonnihil tale *Conringius* in libro de *munere Conſiliarii*, & pauci alii, ac ſtrategematum collectores. Sed meliora optantur.

§. 507.

Vbi opus ſit celeritate conſiliariorum.

Quoties occurrunt negotia publica, quæ moram non patiuntur, toties opus eſt conſiliariorum celeritate, in conſiliis ſubito & ex tempore ſuggerendis. Etenim ſi periculum eſt in mora, promte illi occurrendum eſſe, ut avertatur, per ſe liquet. Quod cum fieri nequeat, niſi ex arena conſilium capiatur, quomodo id optime fieri poſſit: manifeſtum eſt, tum opus eſſe inſigni conſiliariorum celeritate in conſiliis ſubitis inveniendis & promendis. Certe qui expedire negotium tale debet, ipſe celeriter conſilium reperire & exſequi debebit. Opus igitur eſſe celeritate in conſiliis excogitandis, exſequendisque, quoties periculum in mora eſt, elucet.

Laudatur hoc nomine conſilium Miltiadis de ponte reſcindendo, a *Corn. Nepote;* laudatur ab eodem Themiſtocles, quod celeriter, quæ opus erant, reperierit, & facile eadem oratione explicuerit, nec minus in rebus gerendis fuerit promtus quam in excogitandis. Laudatur inprimis Datames, Mitrobarzanem

 ſocerum

ſocerum & perfugam cum equitatu omni perſequens ſtatim & exercitui (ac hoſtibus) perſuadens, ſuo juſſu id factum, ut eo recepto facilius hoſtes interficerentur. Quo conſilio & ipſius perfidiæ pœnam & victoriam eſt conſequutus, quod ad ſuam pernitiem erat cogitatum, ad ſalutem convertens.

§. 508.

Celeritas conſulendi uti adquiratur?

Ad celeritatem conſiliorum præſtandam *facit* conſiliariorum *peritorum promta memoria caſuum & conſiliorum ſimilium* uſitatorum, quae expromere illa perſpicue poſſit; *& per ſe fecundorum ingenii egregii* exercitationes ſeu *progymnaſmata*, præconſultationes & *præmeditationes futurorum caſuum* omnis generis, ſeu dudum ante ſuſcepta, quam emergunt, qualibet data & captata eorum meditandorum opportunitate, ſeu tum, quum prima eorum ſemina ſparguntur, vel jam incipiunt propullulare, quatenus & hæc præmeditata firmiter memoriæ inhærent, ac in promtu habentur. Vtroque enim caſu in poteſtate jam & in promtu haberi conſilia, quæ danda ſunt, pateſcit, ideoque illico celeriterque poterunt ſuppeditari.

Huc facit quoque præſentia animi (§. 380), uti ſuo jam ævo inculcavit *Cicero Offic. L. I. cap. 5.* ut quisque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime & celerrime poteſt & videre & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Et c. 23 Conſtantis viri non eſt, perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ſed præſentis animi uti conſilio, nec a ratione recedere. Quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt, aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit, in utramque partem, & quid agendum ſit, & quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum ſit, non putaram.

§. 509.

Si periculum non eſt in mora, præſtat diu multumque ante deliberare, & exactius omnia conſilia expendere, quam ea in ultimum articulum

ticulum procrastinare & tum præcipitare. Exploranda nimirum sunt omnia & singula negotii suscipiendi momenta, & diligenter examinanda (§. 466). Sed quo diutius ista & exactius, quando vacat, diurno nocturnoque tempore, a consiliariis perpendi, aliaque subinde aliis adjici & emendari possunt curis posterioribus: eo erunt limatiora, perfectiora melioraque consilia, positis cæteris iisdem, eoque optatior eventus eorum poterit exspectari. Quod satius esse, quam si consiliorum capiendorum officium differatur in ultimum fere exsecutionis articulum, ut tum temere deproperanda vel præcipitanda sint præter rem, nec satis accurari possint, evidens per se est. Docuit quoque sæpius eventus, sero ejus negligentiæ autores suos pœnituisse ac puduisse.

§. 510.

Quid sint consilia matura & eorum maturitas?

Vti *consilia* tempestive suscepta & tam diu pensitata, donec nihil melius istis dari posse liqueat, *matura* vocamus: ita *maturitas eorum* in omnigena tantaque, quantam capiunt, tempestivitate & perfectione consistit. Quo igitur maturiora erunt consilia, eo & meliora atque exquisitiora; vitabitur autem intempestivitas immaturitasque.

Frugum fructuumque maturitas illum perfectionis gradum designat, quo majorem non capiunt. Ad quem cum conveniens solis calor, pluviæ copia justa, tum aër sanus, nocumentorum aversio & tempus sufficiens, seu ipsorum perfectioni respondens requiritur. Sic & virtutes humanæ tum maturitatem adeptæ dicuntur, cum eo gaudent perfectionis gradu, qui cadere in hominem potest. Ita *pro Cæl. Tullius c. 31.* Quæ studia jam in his ætatibus nostris contractiora esse debent; in adolescentia tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ sint futuræ. „ Jam hæc maturitas pariter ad consilia transfertur & judicia passim. Quemadmodum *Velleius L. II. c. 125.* de Germanico scribit: sed hæc omnia (exercitus

ercitus tumultuantis conamina) veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis . . . . brevi sopiit sustulitque. Consentit *Tacitus Hist. L. I.* c. 32 bona consilia mora valescunt; & *Demosthenes exord. conc.* 22. Lente deliberandum, sed decreta mature exsequenda.

§. 511.

Consiliarii excellant consiliorum maturitate.

Consiliariis opera navanda est, ut maturitate consiliorum excellant, & consilia dent quam maturrima. Si enim periculum non est in mora, diu multumque pensitanda sunt ipsis consilia, quæ deinceps erunt danda, capienda & exsequenda (§. 509). Quam ob rem necesse est, ut consilia tempestive suscipiantur, animo volvantur & revolvantur, elimentur & emendentur, & sic ad eum perfectionis gradum perducantur, qui ipsis dari potest, donec nihil melius illis dari posse liqueat, h. e. ut maturescant, & maturatio eorum consummetur (§. 510). Qui vero hoc fieri posset, nisi consiliarii operam dent, ut maturitate consiliorum excellant, & consilia dare possint quam maturissima (§. *eod.*). Idem eodem modo ostenditur de consiliis celeriter reperiundis, & subito in arena capiendis, ubi maturato opus est, quia & hæc diu ante debent seu per experientiam nota, seu judicio rationis solido præmeditata esse & expedita (§. 507 *seq.*).

Celeritati adversatur tarditas; sed maturescere consilia confestim possunt, dum olim sunt præmeditata & in promtu, & sic maturari dicuntur, dum illico tam perfecta promuntur, ac matura esse possunt. Sic celeritas consulendi cum maturitate prorsus conspirat. Possunt quoque dari ingenia consiliariorum tardiora, quæ tam cito in medium consulere nequeunt, vel potius nova consilia repente detegere nesciunt, quia non sunt ingeniosi; enim vero hi e contrario acrius dijudicare detecta, profundis omnia rimari, & sic maturiora vel maturissima dare consilia possunt, modo tempus deliberandi & examinandi omnia ipsis concedatur, ut festinare lente possint.

§. 512.

§. 512.

Siquidem *consideratus* (bedachtsam) dicitur, quisquis probe perpendit, quidnam ex actione boni malique, sub hac vel illa ejus indole evenire possit; & *considerantia* habitus & usus accuratus operationum intellectus, quarum ope innotescere potest, quidnam ex actione sub iis, quas novit, conditionibus ejus etiam fortuitis, boni vel mali consequi possit (§. 760. *P. I. Phil. pract. univ.*): dispalescit, *consiliarios eximia pollere considerantia, & perquam consideratos esse debere*, ut, quæ ex consiliis dandis bona malave seu per se seu fortuito enasci possint, compertum habeant exploratumve. Ideoque inconsiderantia ipsis admodum fugienda est, cavendumque solicite, ne quid inconsiderate consulant. Quo consideratius consilium datur, eo major erit illius & autoris laus fructusque in salutem publicam redundans; sed quo inconsiderantius, eo & ignominiosius autori, & reip. perniciosius erit. *Consiliarii perquam sint considerati.*

Spectandum in futuris eventibus est, quod est probabilius, cum certiora dari nequeunt. Sed de his vel academia *Ciceronem* docuit *L. II. Ac. quæst. c. 11.* si, quod primo adspectu probabile videtur, arripiatur, eo nihil levius esse posse; nisi ex circumspectione aliqua & accurata consideratione, quod visum sit, id sequantur propter insignia veri. Id circo refellit eorum absurditatem, qui æqualiter omnibus abrogant fidem, dicantque posse accidere sapienti, ut, cum omnia fecerit, diligentissimeque circumspexerit, existat aliquid, quod & verisimile videatur, & absit longissime a vero. Quomodo, addit, si magna parte quidem ad verum ipsum aut quam proxime accedant, confidere sibi poterunt? Vt enim confidant, notum his esse debebit insigne veri. „Quo majoris igitur momenti sunt negotia publica, de quibus consulendum est, eo consideratiores circumspectiores-que esse debent consultores, ne qua sua culpa & se turpiter dent, & magno sint publicæ saluti detrimento. Ad fratrem *Cicero*

L. III. Ep. 9. scribit: Angit unus Milo. Hic facit sic, ut ferri amplius non possit, qui ludos H S. CCC. comparet. Cujus in hoc uno considerantiam & ego sustinebo, & tu ut possis, est tuorum nervorum. Et generatim de omnibus dicit *L. I. offic. c. 27.* & ratione uti & oratione prudenter, & agere, quod agas, considerate, omnique in re, quid sit veri, videre & tueri decet; contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare & mente esse captum.

§. 513.

Consiliarii sint eximia præditi providentia.

Propterea, quod *providus* dicitur, quia mala in dato casu obventura facile, quantum valet, animo prævidere studet, & *providentia* est habitus prævidendi in casu præsenti bona aut mala facile eventura (§. 764. *P. I. Phil. pract. univ.*): res ipsa loquitur, in dandis consiliis probe probeque prospicienda esse bona aut mala, ex eorundem vel usu vel neglectu oboritura, eaque accurate ponderanda esse & indicanda. *Necessum igitur est, ut consiliarii sint eximia providentia conspicui, quanta cadere in viros præstantissimos providentissimosque valet*, ut cavere mala, obtinere bona futura scite studeant. Eo ipso liquet, improvidos esse ad consulendum ineptos, neque a quoquam consulendos; contra quo quis est providentior, quo longius latiusque prospicientia ejus in futura patet porrigiturque, eo rectius illum esse saluti publicæ consulturum (§. 504. *seq.*).

Quo cognitio rerum futurarum e præsentibus circumstantibusque casum datum amplior certiorque habetur, eo & providentia major certiorque erit. Nicoclem monet *Isocrates sub finem Orat. ad illum.* Cordatos viros, qui longius, quam alii, prospicere possunt, magni facito & colito, ac persuasum habeto, bonum consiliarium utilissimam & rege omnium dignissimam esse possessionem. Suo jam ævo *Tullius* providentiam dixit esse, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit *L. II. de inv. c. 53.* & pro *Muræna*, est boni consulis, non solum videre,

dere, quid agatur, sed etiam providere, quid futurum sit. Nec aliter *Seneca* sentit *Epist. 5.*: providentia, qua cogitationes in longinqua præmittimus, maximum bonum est conditionis humanæ.„ Loquimur autem hic de illis, quorum dari prævisio mentis potest, uti medici prædicunt quorundam morborum exitus, gubernatores imminentes procellas, imperatores insidias; David prælii nuntiorum relationes animo præcipiebat, *2 Sam.* XVIII, 25. *seq.*

§. 514.

Quoniam prævidenda sunt consiliariis, quantum fieri potest, consiliorum excogitatorum vel propositorum futura vel bona vel mala inde oritura (§. 513.), hæc nequaquam eo vertenda sunt, ut sua commendare & præferre cæteris consiliarii, aliorum autem mala tantum rimari & exaggerare possint, ut suis illa postponenda esse persuadeant; sed *ex æquo suorum pariter atque aliorum cum bona tum mala prospicienda, & in medio,* quando per se non liquent, *ponenda sunt*, ut rector civitatis eligere possit, quæ ipse meliora deprehendit (§. 481.). Id quod eo facilius obtinebitur, si, quando res moram fert, consiliarii denuo singula momenta ponderare, & quæ expiscati sunt, summa fide communicare in posterum jubentur (§. 509.). *In examinandis suis & aliorum consiliis.*

§. 515.

Prout tela prævisa minus nocent, dum evitandis illis opera datur: ita *consiliarii* quoque *malis prævisis, quæ* consiliis occurrere possunt, *remedia, quæ opponi possint, & quæ cæteris sint præstitura, indagare debent* (§. 505.). Et quia indicare inventa sua debent rectori civitatis vel & consiliariorum collegio (§. 513.): *nihil dissimulare eorum debent, quæ reperere, sed illa de futuris prædicere aperte cauteque* (§. 503.), *quæ prævidere potuerunt,* ex rerum in præsenti negotio concursu haud evitabili, & necessario seu physice seu moraliter effectu, seu præsentium inter se & cum præteritis futurisque nexu divinitus constituto (§. 487.). *Remediisque providendis & prædicendis.*

§. 516.

Fortuita futura sunt conjectanda.

Vbi provideri futura nequeunt, ibi, quanta fieri potest, sagacitate (§. 495.), *conjectanda quam optime sunt a consiliariis* (§. 429. *seq.*). Talia sunt, quæ ratione hominum nonnisi fortuita sunt, vel ab arbitrio aliorum hominum pendent in statu rerum naturali aut morali (§. 431.), sive homini bona sint, sive mala.

§. 517.

Quid sit præsagitio & divinatio.

Vti is, qui ante sagit, quam res oblata est, vel sagiens futura, dicitur *præsagire;* ita *præsagitio* est futurorum fortuitorum acuta conjectatio; sive ope præsentium præteritorumque sagaciter colligatur ingenioseque, quod est sequuturum; sive ope acuminis a priori conjectura profundiori derivetur. Habitus præsagiendi, quia aliquid divini spirare visus est, *divinatio* vel ars divinandi vocatur, græcis *μαντικη*. *Ciceroni* est præsensio & prædictio rerum fortuitarum (*Cap. 5. L. II. de Divin.*).

Sunt hæc *Ciceronis L. I. de divinat. c. 1. seqq.* ita auspicantis: vetus est opinio . . . versari quandam inter homines divinationem, quam Græci *μαντικην* appellant, i. e. præsensionem & scientiam rerum futurarum; & *cap. 31.* præsagiebat animus, frustra me ire, cum exirem domo. Præsagire est futura ante sentire. Inest igitur animis præsagitio extrinsecus injecta atque inclusa divinitus. Ea igitur si exarsit acrius, *furor* appellatur, cum a corpore animus abstractus, divino instinctu concitatur. Quibus postremis verbis ecstasia innuere videtur, de qua videsis §. 475. *P. I. Theol. nat.* Præsagitiones Germani dicere solent Ahndungen.

§. 518.

Consiliarii gaudeant præsagitione eximia &

Consiliarii, cum sagacitate excellere debeant (§. 496), & futura consiliorum seu bona seu mala eventa quam optime conjectare (§. 516.); *eximia gaudere debent præsagitione & arte divinandi* (§. 517).

Socratis inprimis ars divinandi celebratur. Qui postquam exposuit Xenophonti, consulenti, sequereturne Cyrum, quæ sibi videbantur, & nostrum quidem, adjecit, consilium humanum est, sed de rebus & obscuris & incertis, ad Apollinem censeo referendum, ad quem etiam Athenienses publice de majoribus rebus semper retulerunt. Cum Critonis sui familiaris oculum alligatum vidisset, quæsivit, quid esset? Cum ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse. Tum Socrates: non enim paruisti mihi revocanti, cum uterer, qua soleo, præsagitione divina. Plura de eodem ejusque genio vel dæmonio videantur, ubi hæc leguntur, scil. *c. 34. L. I. de Divin.* Divinationes & præsagitiones hodieque dari nonnulli experiuntur, uti nonnulli tempestates aëris futuras præsentiunt. *divinandi arte.*

§. 519.

Præsagitiones vel vigilantium sunt, vel somniantium, & totidem præsagia mentis. Est enim præsagitio acuta conjectura de fortuito futuris (§. 517.). Sed ideæ nostræ sensuales involvunt omnes status mundi futuros, & phantasma rei præteritæ omnes respectu illius futuros (§. 135. *Psychol. empir.*), eaque involutio præteritorum & futurorum in idea sensuali admittenda est in omni hypothesi de elementis rerum materialium, etsi in sola simplicium hypothesi demum recte intelligatur (§. 188 *ibid.*), ut perceptiones sint imagines rerum, quas nulla ars humana imitari valet (§. 189. *ibid.*). Ideo anima nostra vigilans continuo producit ideam totius universi, quoad statum presentem (nos afficientem) omnesque præteritos & futuros (connexos) (§. 190. *ibid.*), idemque facit in somno sed obscure (§. 191.), in somnio confuse (§. 246. 250. *ibid.*), etsi, quatenus ejus conscii sumus, aliquid distinctionis accedit (§. 59. *ibid.*). Jam dantur somnia naturalia, in quibus homines in posterum obventura sibi quodammodo præcipiunt, atque inde præsa- *Præsagitionum divisio.*

 gia

gia eorum deducunt, æque ac ex visionibus naturalibus (§. 476. *seqq. P. I. Theol. nat.*), quæ divinationes animi quidem dici possunt, non vero revelationes directæ (§. 481. & 487. *ibid.*).

Aliam divisionem divinationum *Cicero* affert *L. II. de Divin. c. 11.* naturalem & artificiosam. Qua omissa ut inani, priorem retinemus, quam in concitatione mentis edi, aut per somnum provideri dicit.

§. 520.

An & in consiliis attendi mereantur?

Quatenus profundior consilii meditatio vel naturali visioni per ecstasin, vel somnio locum dare potest, in quo per operationes intellectus futura vivide repræsentantur; eatenus & hæc præsagia nonnihil attentionis merentur, saltem ad cautiorem visorum malorum evitationem. Etenim in visione naturali & cum ecstasi conjuncta operationes intellectus edi possunt (§. 486. *P. I. Theol. nat.*), eaque est somnii quædam species (§. 481. *ibid.*), quod ipsum quoque interdum admixtas habere intellectus operationes experimur. Quo evidentius id patet, quo magis omnia in hujusmodi visione & somnio cohærent, eo minus contemnenda illa sunt prævisa & præsagia, verum instar naturalium monumentorum habenda, quibus mala, quæ visa sunt, solicitius caveamus & evitemus.

Pilati uxor consulebat ipsi, ne quid ipsi rei esset cum innocente Christo, quia perpessa hodie multa sit in somnio propter illum. *Matthæi* XXVII, 19. Si præsentientes aëris tempestates e quodam pruritu cutis corporeæ, si somnambuli mira edunt facinora, carmina v. c. pangunt, quorum sibi conscii non sunt: non adeo mirum videri debet, si & animus curis vacuus, antequam plane expergiscatur, mira interdum prænoscit, præcipit cogitatione, & volvit, præexercitat ac præludit, antequam revera agit. Sunt ista præludia mentis nocturna, haud absurda, haud raro præsagia actuum vitæ venturorum, experientia suffragante; uti alia præteritos actus repetunt, aut paulisper immutant.

§. 521.

§. 521.

Quid sit facundia & facundus?

Facundiam dicimus habitum vel artem animi cogitata illico perspicue, concinne apteque eloquendi. *Facundus* est, qui facundia pollet & utitur, ideoque disertus est, ordine, blande breviter, & cum tanta gratia dignitateque dicit, quæ consulit, ut persuadere possit (§. 503. & 515.). Est igitur facundia oratoria quædam ars sed naturalis extemporalisque, nec ornatu omni destituta.

Posset quoque suada vocari, quia ad suadendum tota quanta est composita, quam pagani divinam, & deam dixere, ob vim, quam in animis hominum exercere potest, rationum ponderibus & momentis invictis.

§. 522.

Ea consiliarii egent haud vulgari.

Consiliarii ut eximia gaudeant facundia, sintque admodum facundi, par est. Debent enim non tantum promte excogitare varios publica negotia tractandi modos, dispicere, quis inter cæteros, qui adhiberi possunt in præsenti rerum facie, omnibus sit præferendus, sed & consilia sua perspicuis verbis, ac argumentis, quæ reperire possunt, firmissimis declarare (§. 481.). Quod cum sine habitu animi sensa ex tempore apte eloquendi fieri nequeat, qui facundia appellatur (§. 521.): apertissimum est, consiliarios eximia gaudere debere facundia; ideoque & admodum facundos & flumine dicendi præditos esse (§. 521.). Cæteris iisdem, eo erunt præstantiores gratioresque, quo erunt facundiores, & facundissimi, cum sunt omnium præstantissimi.

§. 523.

Quid & quotuplex sit prudentia consultatoria?

Ex hactenus dictis consiliariorum virtutibus conficitur ea, quæ vocatur *prudentia consultatoria* (*consultandi*). Quæ duplex statui potest, *activa & passiva*; quarum illa aliorum consilia percontatur, vel alios consulit; hæc consulentibus optima consilia præbet, ut iis bene consulatur. Ita & *consultor* vocatur, tum

tum qui alterius consilium sibi expetit & accipit, tum qui suum consilium petenti dat. Posset illa quoque dici prudentia alios consulendi, seu rectorum civitatis, hæc prudentia aliis consulendi, vel consiliariorum.

Græcis jam Alexandri M. ævo dicta est βελευτική. Ita *Stagirita Nicomach. L. VI. c. 8.* Prudentis id maxime opus esse dicimus, ut recte consultet (βελευεσθαι). Bonus autem consultor (ευβελος) absolute is est, qui, quod optimum homini ex agendis rebus est, ratiocinando conjectare valet (ςοχαςικος κατα λογισμον.). Prudentia architecto est legislatrix, politica autem versatur circa singularia agenda, quæ practica est & consultatoria (βελευτική.). Et paulo post, politica prudentia alia est consiliosa, alia judicialis.

§. 524.

Necessitas prudentiæ consulendi. *Prudentia consulendi eximia & rectoribus civitatis, & consiliariis eorum necessaria est.* Indigent enim rectores civitatis consiliariis (§. 466. *seq.*), eas merentibus virtutum laudes, quas adhuc recensuimus, & quæ vicariis inesse debent (§. 379.). Non igitur promiscue illis consulendi sunt, quicunque occurrere possunt, sed qui ob edita prudentiæ specimina consuli merentur, & prudenter ad consilium dandum sunt electi (§. 481.). Palam ergo fit, prudentiam consultoriam ipsis rectoribus civitatis esse necessariam, ne quid resp. detrimenti capiat.

Sed & consiliarii consilia dare debent caute (§. 503); ingeniosa, acuta & matura (§. 492 - 497. *seqq.* & 511.) Opus igitur est prudentia ad illa detegenda, examinada, eligenda & caute præferenda. Quis ergo neget, consiliariis quoque prudentiam consulendi esse pernecessariam (§. 1.) & (§. 1000. P. *VIII. Jur. nat.*).

Scite *Isocrates ad Demonicum* ait: cum alterius consilium in tuis negotiis expectes, considerabis in primis, quomodo res suas administrarit, &c.

§. 525.

§. 525.

Consiliariorum prudentia insignem requirit circumspectionem cautionemque publicam. Illa enim explorat omnia ad rem optime gerendam publicæ salutis causa pertinentia, ut ea applicare in consilio possit (§. 11). Hæc autem impedimenta & mala impendentia vel utcunque obventura prænoscere & avertere studet (§ 13.). Quod itidem in consiliis dandis attendendum esse liquet (§. 467.). Uti irenarchia indiget eximia circumspectione & cautione publica (§ 12. & 14): ita & consiliariorum, qui illam adjuvare debent (§. 466), solertia (§. 485) & prudentia (§. 524.) eximia esse nequit, nisi conjuncta sit cum insigni circumspectione & cautione publica (§. 503 & 524). *Consiliarii sint circumspecti cautique admodum.*

Subsistimus hic in ea consulendi prudentia, quæ est consiliariorum (§. 512.). De altera, quæ rectorum civitatis est (§. 523.), deinde nonnulla subjicientur. Restant enim alia de consiliariis ante expedienda, quam ab his discedamus.

§. 526.

Quia Consiliarii optima fide versari debent in consiliis inveniendis dandisque (§. 481.): *integritas publica consiliariorum*, quæ in ipsis dari debet, quanta esse potest (§. 378. *seq.*), *requirit, ut rectori civitatis ac reip. sint quam fidelissimi* (§. 722. *Oecon.*), & alienissimi ab omni infidelitate (*ibid.*) & (§ 1000. *P. VIII. Jur. nat.*). *Sint & fidelissimi.*

Dum fidelitas commoda alterius ut suamet curæ ordique habet, nec damna ejus secus ac sua avertere studet, fidelitas consiliarii est habitus vel virtus commoda & incommoda publica ut sua considerandi, ut illa quam optime quærantur & obtineantur, hæc fugiantur avertanturque. Quatenus rectorum civitatis idem est officium, non solum saluti publicæ, sed & rectoribus civitatis fidelissimi esse debent consiliarii, ad hoc ipsum electi (§. 466. *seq.*). Quid? quod nemo civium facere debet, quæ communi civitatis bono adversantur, ne quidem boni proprii studio

(§. 21. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): ideo & consiliarius majori studio & ardore publicæ operam dare debet saluti, quam privatæ suæ (§. 702. *Oecon.*). Infidelitas igitur & perfidia procul abesse a consiliariis debent.

§. 527.

Item veritatis amantissimi veracissimique.

Eximia fidelitas consiliariorum præstari nequit, nisi consiliarii simul sint admodum in officio suo veraces & amantissimi veritatis. Illa enim requirit, ut commoda civitatis & rectoris ejusdem curent tanquam sua, & potius quam suamet (§. 526), nec incommodorum evitandorum minus sint studiosi. Jam quis sani syncipitis, & veræ avidus felicitatis, in re sua non erit amantissimus veritatis, nec verissima, quæ assequi potest, secum cogitabit, tacite loquetur, reputabit volvetque secum? Qua propter & consiliarii veritatis esse amantissimi in cogitando, & loquendis, quæ cogitarunt & sentiunt, debebunt, itaque admodum in officio veraces (§. 181. *P. III. Jur. nat.*) & (§. 1000. *P. VIII. Jur. nat.*).

Veritatis & rerum, & logicæ & moralis studium a consiliariis conjungendum est, ne in rebus cæcutientes, perperam & aliter, quam res sunt, concipiant, judicent, suspicentur opinenturque; nec denique aliter loquantur, quam sentiunt, & rem explorarunt. Sic Plancus ad *Ciceron. L. X. E.* 4. omnia tua consilia non magis prudentiæ plena quam fidelitatis.

§. 528.

Abstinentes a falsiloquio illicito.

Insigne veritatis studium in consiliariis a falsiloquio abhorret, nisi illud unicum vel optimum sit remedium scopum apud rectorem civitatis obtinendi. Verax enim moraliter verum loquitur, seu ita designat, uti animo suo illud cognoscit & exploratum habet, quando alteri animi sui sensa indicare tenetur (§ 181. *P. III. Jur. nat.*). Jam consiliarii debent esse admodum veraces (§. 527.) & vi officii sui ad vera rectori civitatis dicenda obligantur (§.

467.

467. *seq.*). Abhorrere igitur non solum ab omni mendacio, verum & ab ejusmodi falsiloquio debent, quod officio repugnat.

Enim vero quatenus sine falsiloquio officio cuidam erga rectorem civitatis, ipsam civitatis salutem, vel erga se ipsos satisfieri nequit, eatenus id falsiloquium erit unicum saltem optimum remedium ei officio consiliario satisfaciendi (§. 201. *P. III. Jur. nat.*), ideoque illo erit utendum, ut scopus obtineatur.

Per omnem, infit *Isocrates* ad Demonicum, ætatem tuam tantam veritatis habeto reverentiam, ut plus habeatur fidei tuæ affirmationi, quam aliorum jurijurando. Boni viri est, ita se gerere, ut ejus integritas fide dignior esse videatur quam jusjurandum.

§. 529.

A consiliariis eximia quoque sinceritas animi præstanda est rectori civitatis. Est quippe sinceritas habitus actiones externas internis conformandi (§. 314. *P. III. Jur. nat.*). Et consiliarii obligantur ad loquendum in consiliis dandis id, quod revera sentiunt, quoties nullum gravius officium obstat (§. 527. *seq.*). Quapropter consiliariis inesse, & eximio gradu comparari debet sinceritas animi insignis, quæ rectoribus civitatis testanda est, semotis omni fraude, fallacia & dolo, quoties illis consilia danda sunt, nullo potiori officio per eam negligendo, seu repugnante. *Et sinceritatis perstudiosi.*

Non repugnat sinceritati illa subtilitas cauta, in casibus, animo rectorum civitatis adversis (§. 503.). Nam & is verum dicit, qui illud tecte insinuat eo modo, qui quam longissime absit a suspicione offensæ. Vbi enim veritas nuda & incaute proposita odium parit, ibi cautius proposita & animo potitur, & amare jubet prudentiam fidelitatemque. Inde est, ubi ambigue sententia proferri potest, si prævidetur, eam non acceptum iri in sensu a mente dicentis diverso (§. 189. 204. 223. *P. III. Jur. nat.*). Est quoque, ubi falsiloquio & ironia uti licet, ut officio satis-

satisfiat (§. 218. *seqq.* & 245. *ibid.*). Qui ironice loquitur non ad pungendum, sed suaviter docendum, facile ex modo proferendi, vultu, gestuve contrarium ejus insinuat, quod dicit, more Socratis, vel vatis Michæ 1 *Reg.* XXII, 13. 14. 15.

§. 530.

Nec periculis ab ea deterrendi.

Si subtiliores modi sinceritatis adhibendæ scopo non sufficiunt, & officium apertius loqui jubet, consiliariis periculum imminens non est verendum. Etenim si ad verum aperte dicendum obligamur, metu periculi inde nobis vel aliis imminentis falsum & ambiguum loqui non licet (§. 214. *seq. P. III. Jur. nat.*). Sed quando rector civitatis non capit tectius dicta, saltem iis nondum flectitur ad id, quod salutis publicæ ratio poscit, sive ipse apertius loqui jubeatur, sive officii ratio postulet apertius & solidius consilium, id sine violatione officii reticeri aut dissimulari nequit (§. 515.). Idcirco periculum inde sibi aut aliis oriturum, animo forti & intrepido subeundum (§. 599. & 600. *P. I. Jur. nat.*), neque metu illius ab officio fidelitatis recedendum erit (§. 1001. *P. VIII. Jur. nat.*).

Exemplo est *Joab 2 Sam.* XXIV, 3. idemque Michas, qui obtestationi verum dicendi parebat, periculum inde sibi imminens haud veritus, nec eo se deterreri sinens, sed potius patienter fortiterque subiens innocenti illatas injurias. 1 *Reg.* XXII, 16. *seqq.* Eventus tandem fidelitatem comprobat, & adversarios confundit; uti & Danielis fata aulica idem confirmant. Perpessiones calamitatum propter conscientiæ rectæ custodiam, gaudio potius & magno sunt solatio, quam tædio dolorique.

§. 531.

Amantissimi salutis publicæ ejusque rectorum.

Erit id ipsis eo facilius, quo majori charitate salutis publicæ & rectorum civitatis ducuntur. Consilia enim publica declarare debent, quid salutis publicæ causa vel omittendum sit, vel committendum, & quid optimum factu foret (§. 467. *seq.*). Sed charitas

ritas virtus est, qua diligimus alios ut nos ipsos (§. 620. *P. I. Jur. nat.*), ideoque & quæcunque aliorum sunt, ut nostra curamus, & publica magis quam nostra privata (§. 526. *in not.*). Idem postulat quoque consiliariorum fidelitas eximia (§. 527.). Quo major igitur est consiliariis charitas salutis publicæ, quo in ea sunt, uti esse debent (§ 466. & 483.), similiores rectori civitatis (§. 386. *seqq.*), eo etiam majori charitate rectorum civitatis ferentur, eoque minus se periculorum metu absterreri patientur ab eo consilio dando, quod intelligunt reliquis esse omnino præferendum (§. 530.).

Fl. Vespasianus iratus Helvidio Prisco edixit, ne amplius in Senatum veniret. Penes te, respondit, est, ne me senatorem patiaris; quamdiu autem me loco non moves, est in curiam mihi veniendum. Age, ait imperator, at ingressus taceto. Cui ille, ne me roga & tacebo. At est mihi, dixit ille, rogandum; hic, & mihi dicendum, quod putavero rectum. Tum Imp. verum si dixeris, te occidam. Rursus hic: quando ego dixi, me immortalem esse? Tum est occidere, meum intrepide mori.

§. 532.

Et amici regum intimique.

Quo majori charitate ducuntur consiliarii, eo erunt & saluti publicæ & rectoribus civitatis amiciores, & summa ejusmodi charitate præditi, erunt amicissimi omnium, vel intimi amici. Amicus est, quisquis alterum diligit ut seipsum (§. 617 *seqq. P. I. Jur. nat.*), ideoque, qua par est, charitate eum prosequitur (§. 620. *seq. ibid.*), ne scilicet amicitiæ adquirendæ aut conservandæ causa officio contraria audeat agatve (§. 635. *ibid.*). Sed uti servi ad majorem herorum charitatem, quam suorum obligantur (§. 701. *seq. Oecon.*): ita & consiliarii majori charitate publicam salutem quam suammet complecti debent, duce summa fidelitate (§. 526. *not.*). Quo igitur cariorem habent salutem publicam & rectorum civitatis, quam suammet, eo erunt amiciores utrique,

& dum, quanta esse in ipsis potest, charitas & amicitia datur, amicissimi intimique amici merito erunt compellandi.

En rationem, cur antiquitus regum consiliarii eorum amici, & intimi inter eos dicuntur, quos cæteris præferunt. Ita qui Galliarum regis rebus præerant, dicuntur a *Cæsare L. III. bell. civ. c. 104.* amici regis, qui propter ætatem ejus erant in procuratione regni. Alexandri M. Consiliarios *Curtius L. III. c. 12.* vocat amicos, quibus maxime adsueverat, & Hephæstionem longe omnium amicorum charissimum, omniumque arbitrum secretorum. Idem *L. X. c. 6.* principes amicorum & turbam nominat. Tissaphernes ex intimis regis (Artaxerxis) ab amicitia ejus defecisse, & cum Lacedæmoniis coiisse societatem, legitur in *Conone Nepotis.* Intimum Pharaonis factum esse Iosephum Patriarcham, constat *ex Genes. LXI.* 40-45. Dari intimi regum amici possunt, qui non sint ministrorum principes, sed consiliariorum primarii, uti Seneca & Burrhus in primis annis imperatoris Neronis, & apud Augustum Mæcenas & Agrippa &c. Neque tamen omnes amicos regis consiliarios esse existimandum est, sed hoc intelligitur de agitandis capiendisque consiliis publicis. Quæ cum sint permagni in rep. momenti, inter primarios regum amicos merito Consiliarii numerantur, qui ideo & intimæ admissionis in rebus maximi momenti sunt.

§. 533.

Alieni ab adulatione, blanditie & assentatione.

Longissime absint consiliarii ab omni adulandi, blandiendi & assentandi studio. Nimirum adulando modum excederent in aliis laudandis honorandisque (§. 892 *P. I. Jur. nat.*); blandiendo nil dicerent nec suaderent, nisi quæ placere illi arbitrantur, cujus favorem impetrare cupiunt (§. 961 *ibid.*); & assentando laudarent omnia, ut placerent (§. 963 *ibid.*). Enim vero hæc totidem sunt vitia amicitiæ contraria, quæ consiliariis tetanda est erga rectores civitatis (§. 532). Qua propter con-

siliarii longissime abesse debent ab omni studio adulandi, blandiendi & assentandi (§. 1001 *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 534.

Neque etiam morosi sint consiliarii. Etenim moroso nihil recte dictum factumque videtur, nisi quod ab ipsomet est profectum (§. 985 *P. I. Jur. nat.*). Quare in aliorum actionibus semper quærit, quod carpat reprehendatque. Jam morosi difficiles sunt & alieni ab officiositate, & parum curant, num alios offendant (§. 966 *ibid.*), & nemo morosus esse debet (§. 967 *ibid.*). Multo minus igitur consiliarii morosi esse debent officio & amicitiæ suæ satisfacturi (§. 525 & 532), sed potius indefessii, officiosissimi, humanissimi, affabiles, facillimi ad officia sua, & politæ comitatis (§. 890 *P. I. Jur. nat.*). *Item a morositate.*

§. 535.

Optima fides & fidelitas consiliariorum eos quoque cavere jubet, ne a quoquam se pecunia aliisve promissis corrumpi patiantur. Fides enim practica est habitus pacta rite servandi, procul habita omni fraude & culpa (§. 722 *Oecon.*). Sed corruptio quæcunque repugnat ipsorum officio & fidei, qua viri boni esse (§. 1000 *P. VIII. Jur. nat.*), abstinentiæ operam dare, nec quidquam facere debent, nisi ad quod agendum obligantur, multo minus adduci ad id, quod nullo jure facere possunt (§. 967 *P. V. Jur. nat.*), sed & illa omittere, quibus suspicionem famæ & fidei suæ adversam incurrant (§. 968 *ibid.*). Eadem quoque infidelitatem infert, a qua consiliarii omnino abhorrere obligantur (§. 526). Propalam igitur est, consiliariis summopere cavendum esse, ne se a quoquam data pecunia aut promissis quibuscunque corrumpi patiantur (§. 529). *Consiliarii sint incorruptibiles.*

Si unquam in quoquam, maxime in consiliariis dari debet fides & incorrupta & incorruptibilis, ut in Epaminonda, cum, tanquam vicarii rectorum civitatis, itidem obligandi & obligati sint

civiliter

civiliter & ope jurisjurandi, ad fidem incorrupte servandam (§. 462 *seq.*).

§. 536.

Nec prodant arcana sibi nota.

Quando arcana regiminis & redituum consiliariis sunt commissa, vel quomodocunque innotuerunt, ea nemini sunt prodenda. Etenim homines jam natura ipsa obligantur, ad arcana sibi commissa non prodenda (§. 273 *P. III. Jur. nat.*), item ad illa alterius arcana non prodenda, quorum utcunque facti sunt participes (§. 274 *ibid.*), etiamsi alter ille sit inimicus ipsis factus (§. 275 *ibid.*). Multo magis igitur consiliarii fide in pacto data, quo constituuntur & aluntur (§. 362 & 365), & officio fidelitatis integritatisque eximiæ (§. 526), nullo modo corrumpendæ (§. 535), obligantur ad arcana redituum & regiminis sibi vel commissa, vel quomodocunque patefacta & hariolata seu conjectata, nemini ullo modo directe aut indirecte prodenda.

Prodere nempe dicitur, quisquis alterius arcana per se vel alios aliis nota facit, a quibus quidquam metuendum, vel qui ope hujus notitiæ ipsi nocere possunt & cupiunt. Immo & is jam proditor est, qui quomodocunque effutit id, quod potius erat reticendum (§. 271 *P. III. Jur. nat.*), sive per se, sive per alterius voluntatem, cujus rationes ignorat. Nec liber est a culpa, qui loquitur inconsiderate & improvide talia, quæ arcana quidem non sunt, e quibus alius occasionem nocendi ipsi captare potest, qua alias fuisset destitutus (§. 760 *seqq.* & 764 *seqq. P. I. Philos. pract. univ.*). Diligentius, inquit *Isocrates ad Demonicum*, tuere deposita verborum, quam numorum. Nemini arcana tua credito, nisi cui illa æque expediat taceri ac tibi.

§. 537.

Consiliarii excellant

Consiliarii excellere debent taciturnitate. Neque enim ullo modo prodere debent arcana regiminis, quæ ipsis innotuere utcunque

utcunque (§. 536). Ideoque necesse est, ut illa reticeant, & secreto sibi tantum norint, nullo vero modo se induci patiantur, ad illa expresse aut tacite cum iis communicanda, qui illa nosse non debent, etsi expiscari & utcunque odorari student. Quum virtus reticendi veritatem, ad quam reticendam obligamur, taciturnitas sit (§. 258 *P. III. Jur. nat.*): manifestum est consiliarios taciturnitate excellere debere (§. 379 & 526 *seq.*), & ad eam obligandos esse jurato & rigorosissimis pœnis proditionis. ***taciturnitate.***

Damnum sæpe irreparabile oriri ex neglectu taciturnitatis potest, si imprudenter quidquam uxori, vel liberis, consanguineis, amicissimisve, aut secretariis &c. dicant, a quorum fide nihil metuunt, per quorum vel perfidiam, vel culpam consimilem suæ arcanum utcunque saltem ex parte prodi potest. Neque ita vel scribendum ex officio aut memoriæ futuræ & annalium causa, quidquam est, quod inspicere, vel intercipere casu quodam insciis & invitis ipsis alii queant. Fugienda ergo jactantia, garrulitas, futilitasque. Nec utendum est consiliariis, qui in somniis soliti sunt eloqui acta diei præcedentis.

§. 538.

Consiliarii admodum sint religiosi. Debent enim esse integerrimi (§. 379), fidelissimi (§. 526), amicissimi (§. 532) & admodum taciturni (§. 537). Sed integritatis columna est solida pietas (§. 408), & perfectio religiosæ pietatis (§ 410 *seq.*). Religio autem est modus colendi Deum (§. 512 *P. II. Theol. nat.*), & præstat officia non solum erga Deum, sed & erga nos aliosque ex obedientia erga Deum (§. 505 *P. III. Ethic.*). Eadem igitur impellit ad justitiam, æquitatemque, & ad custodiam conscientiæ, ut constans & perpetua insit voluntas nunquam agendi quidquam contra conscientiam (§. 437 *P. I.* & §. 616 *P. II. Phil. pract. univ.*). Quare cum religiosus simul pius sit erga Deum, eumque revereatur, etiamsi nihil ab ho- *Et religiositate.*

minibus verendum haberet, & integerrimus ac fidelis, &c. erga alios, elucescit, consiliarios esse debere religiosos admodum, vel quam religiosissimos, nec alios, quam tales, esse eligendos (§. 364 *seq.*).

Religiosus & notat Dei reverentem piumque, & conscientiæ rectæ custodem, vulgo conscientiosum gewissenhaft. Vtrumque significatum in consiliariis merito conjungimus, more olim recepto. Ita *Cicero pro Cæcina c. 10.* de P. Memmio ait: Huic ego testi gratias agam, quod & in re misericordem se præbuit, & in testimonio religiosum (scilicet religione jurisjurandi & metu Dei.). Idem sæpius conjungit integros, innocentes, sanctos & religiosos, & de se *ad Fam. L. XIII. Epist.* 17 scribit: Manium Curium sic tibi commendo, ut neque majore studio quenquam, neque justioribus de causis commendare possim, faciamque id, quod debent facere ii, qui religiose & sine ambitione commendant, *cæt.*

§. 539.

Æmulandæ sunt optimorum virtutes, citra obtrectationem &c.

Nulla dari debet inter consiliarios invidia & obtrectatio, nulla consanguineorum conspiratio, & privati commodi potius quam publici cura; sed æmulatio potius in veris laudibus virtutum. Consiliarii debent esse alieni ab omni adulandi, blandiendi & assentandi studio (§ 533); alieni a falsiloquio, multo magis mendacio (§. 528); & studiosissimi publicæ salutis (§. 531), item admodum religiosi (§. 538). Sed his repugnat eorum odium ex dissensu, invidia, obtrectatio, (§. 707. 714 *seqq. Psychol. empir.*) & (§. 774 *ibid.*) & (§. 855 *seqq. P. I. Jur. nat.*), item collusio necessariorum & amicorum contra principem, & quæstus privatus in fraudem reip. vel ejusdem rectoris; quod per se liquet, adhibitis verborum notionibus, & modis, quibus illa se exserunt. Nulla igitur laborare debent consultores inter se invidia, & obtrectatione, nulla aviditate se in fraudem civitatis locupletandi. Vid. *Sallustius in Catilin. c. 51.*

Enim-

Enimvero si eminere virtutibus, si in illis æmulari, & paria cum optimis facere connitantur, hoc & officio ipsorum apprime consentit, & omnes decet (§. 354 *Oecon.*), modo æmulatione ipsa ambitionem vanam & vitiosam caveant ad instar rivalitatis, in obtrectationem & calumniam aliorum pronam (§. 355 *ibid.*).

De *Aristide Nepos narrat*, quod cum Themistocle de principatu contenderit, atque obtrectarint inter se. In his cognitum esse addit, quantum antestaret eloquentia innocentiæ. „Obtrectant autem inter se, qui mutuo se contemnunt vel calumniantur, laudibus invicem detrahunt, & sinistris judiciis famæ suæ invicem nocent. De Hannibale idem sic statuit: nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Contra laudat *Atticum* & his verbis: utebatur intime Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius; & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula. Obtrectatio, inquit *Cicero*, est ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupierit, *Tusc. IV. c. 8.* quam & æmulationem dicit, quæ in vitio est, cum & detur æmulatio, quæ in laude, & imitatio est virtutis. De *Hortensio* mortuo in *Bruti L. I. c. 1.* scribit: Cum mihi de Hortensii morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem .... Augebat molestiam, quod non, ut plerique putabant, adversarium & obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, & consortem gloriosi laboris amiseram. Recte statuitur ab ipso *L. III. de offic. c. 6.* societatis humanæ arctissimum esse vinculum, magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia.„ Non sibi sed saluti publicæ consulere consiliarii debent.

§. 540.

Rectorum civitatis partes prudentiæ consulendi.

Jam prudentia rectorum civitatis circa consiliarios (§. 524) occupatur 1) in eligendis dignissimis, nec pluribus, quam opus est; 2) in distribuendis illis in classes necessarias; 3) in modo illos caute consulendi; 4) in danda ipsis libertate ingenue dicendi, quæ sentiunt; 5) in celando, quam diu fieri convenit, consilio capto a rectore civitatis; 6) in illius tempestiva & matura exsecutione. Id quod rem pensitaturo per se lucebit.

§. 541.

Qui & quot consiliarii sint eligendi?

Cum ex iis, quæ de vicariorum electione generatim disputata sunt (§ 364 *seqq.* & 392 *seqq.*), & quæ de consiliariorum virtutibus necessariis adhuc sunt allata, constare possit, quinam sint consiliarii per electionem adoptandi: tantum *de eo quærendum restat*, *quotnam Consiliarii sint eligendi?* Vbi rationi consentaneum est, in regno & rep. temperatis ideo paucioribus opus esse, quia ibi ordines ipsi ad consilia vocantur, & in commune consulunt; in forma absoluta autem eo pluribus opus esse, quo plura ibi sunt negotia consultanda, ut iis eorum numerus commode par sit, nec nimiis obruatur laboribus ærumnisque (§. 474). Præterea ut amissis per mortem vel alia fata præsentibus novi adsint jam initiati, admittendi sunt nonnulli juniores, ut audiant, discant & tententur præparenturque.

Vbi non est magna consiliorum copia, ubi rectores civitatis egregii per se regnant, ubi collegia aliorum vicariorum & ad consilia, quando illis opus est., sufficiunt; ibi vix opus erit peculiaribus consiliariis (§. 480), uti in rebus publicis præsertim res habere deprehenduntur. Plerumque usus & diuturna consuetudo, quid consultum de numero consiliariorum sit, docebit; nisi quis irrepsit quacunque de causa seu defectus, seu

excessus

excessus in eo, qui revera correctione opus habet. Major minorque gradus artis regnandi in ipso autarcha, item artis consulendi in consiliariis justam præbere solet causam, numerum consiliariorum vel augendi vel minuendi, modo autarcha vires suas & aliorum rite æstimare valeat; una cum facie reip. & civitatis florentiori, afflictiorique, cujus diversitatis ratio itidem habenda est.

§. 542.

In qualibet civitate dantur negotia sacra & sæcularia deliberanda, & prudenti consilio regenda (§. 475 & 348). Et in quovis negotiorum genere consiliariis prudentibus est utendum (§. 1008 *P. VIII. Iur. nat.*). Quare & consiliarii in duas abibunt classes, ubi sunt *constituendi* (§. 541), ut alii sint sacri, sive ecclesiastici, alii sæculares. Quia vero negotia diversi sunt momenti, quæ maximi & summi sunt momenti, ea supremo consilio, cui ipse præest rector civitatis, sunt reservanda; reliqua non adeo magni momenti inferiori consilio, ordinaria & legibus definita negotia deliberanti poterunt relinqui, ea lege, ut, si quid arduum & legibus nondum determinatum, seu dubium occurrat, ista præses ejus ad summum consilium deferat decidendum. Illi vocantur *intimi* aut *sanctiores*, hi *consiliarii* carent illo adjecto gradu.

Consiliarii vel sunt sacri, vel sæculares, & nonnulli intimi.

Romæ consilium sacrum supremum conficiunt Papa, ut præses, cum concilio purpuratorum, vulgo cardinalium. Alibi, ubi rector civitatis ejusdem est cum civibus religionis, nec se Pontifici Romano subjecit, ipse præses supremi sacri consistorii vel senatus; ubi est diversæ religionis, vel extra regnum in rep. alii eliguntur Præsides & assessores, vel intimi consiliarii rerum ecclesiasticarum, ad religionis receptæ regimen & incolumitatem tuendam obstricti. Germanis dicitur das Ober Consistorium, vel der ober Kirchenrath. Sæculare supremum vel arcanum Consilium, das geheime Cabinet, der geheime Rath. Vnde consiliarii intimi, sanctiores, Cabinets Räthe, & geheime Rä-

the dicuntur; nisi & inter hos discrimen positum est, ut pauci ex intimis selecti tantum ad summi momenti arcana secreto deliberanda admittantur; vel illi externa, hi interna negotia potissimum curent expediantque.

§. 543.

Consiliariorum sæcularium differentia.

Consiliarii publici sæculares differunt partim pro diversitate rerum consultandarum, partim pro amplitudine civitatis seu multitudine provinciarum regendarum in rerum genere eodem. Prius constat & nititur iisdem rationibus, quibus §. 474. Posterius iisdem, quibus usi sumus §. 541. Sic passim summi momenti rebus internis consulunt intimi consiliarii, geheime; externis vero consiliarii sanctuarii, Cabinetsräthe (§. 542).

§. 544.

Consiliarii hi vel sunt redituum vel regiminis.

Prætermissis consiliariis bellicis, quibus status pacatus civitatis non eget, nisi quatenus & tempore pacis securitas adversus bellum instruenda est & paranda, consiliarii vel rebus seu ærario rectorum civitatis consulunt, vel regimini civitatis intra & extra eandem. Curanda enim rectoribus civitatum sunt cum æraria publica, tum sua domania, suique reditus, ut ostensum est *Capite II. Sect. I.* Curanda quoque ipsis sunt (reliqua) jura Majestatis, eorumque exercitium in regimine publico, ex doctrina *Capitis III. Sectionis ejusdem.* Cum in utroque hoc jurium suorum genere, & eorum prudenti exercitio, opus sit prudenti consilio aliorum (§. 337): nihil est apertius, quam utriusque generis consiliarios esse adhibendos (§ 467 *seq.*) Priores dicantur Consiliarii redituum seu ærarii, posteriores regiminis, nostratibus Cammer- und Staatsräthe.

Non sunt quidem nomina hic satis usu recepta & fixa, sed nil obstat, quominus ipsis fixum tribuamus significatum, quem hic explicuimus. Posteriores quoque dici possent Regiments-Policey & Regierungsräthe non plane invito usu, si strictius capere pro

pro intimis placet die geheimen Staatsräthe. Priores peregino nomine Finanzenräthe alicubi dicuntur Gallorum more.

§. 545.

Redituum consiliarii vel *domania curant* & *fiscum*, vel *ærarium publicum* (§. 127 *seq.*). Illis strictiori sensu tribuitur nomen Hof-Kammerräthe vel Domainenräthe; his Steuerräthe. Quorum superiores vel intimi vocantur consiliarii patrimonii sacri, domaniorum, aut fisci supremi, Obercammerräthe, Oberrechnungsräthe; uti Obersteuerräthe, dicuntur supremi ærariorum consiliarii. Cunjungi hæc officia passim solent cum ipsa acceptione, & erogatione redituum, legibus præscripta, unde & Oberrentmeister &c. tales appellantur, vel Thesaurarii Schatzmeister. *Consiliarii redituum, fisci & ærarii.*

Sicubi multitudo plures requirit, illi inferiores præsertim, denominantur a principatibus, ducatibus, provinciisque, quibus sunt præfecti. Quanquam & superiores in supremo collegio ita differre possunt, si res ita suadeat. Deinceps alii a diversis modis redituum nomina sortiuntur, v. g. qui sumtibus rei militaris destinantur, Kriegsräthe, aut conjunctim Kriegs- und Domainen-Witthums-Cammerräthe, vel General ober Finanz-Kriegs- und Domainenräthe; qui certæ provinciæ præsunt, die Landräthe, Landcammerräthe, Landrentmeister; qui minutis reditibus præsunt, Oberzinse- vel Accisräthe; qui montanorum & fodinarum redibus consulunt, Oberbergräthe, Obersaltzräthe; qui curam rei venatoriæ habent, Oberjägermeister, Gros-item Oberfalkoniere; res piscatoriæ, Oberfischmeistere, sylvarum ferarumque reditus curant die Oberforst- und Wildmeistere; lignorum, navigiorumque devectioni præsunt die Oberfloßaufseher &c. molendinis die Obermühlenaufseher; rei monetariæ, die Obermünzaufseher, rei veredariæ, General-Oberpostmeister &c. Conjunguntur sæpe consiliarii cum exactoribus, cæt.

§. 546.

§. 546.

Consiliarii regiminis rerum theoret. & practicarum.

Qui bono regimini interno consulunt (§. 544), illis in quovis imperii in cives exercitio salus publica suprema lex esse debet, æque ac rectori civitatis (§. 995 *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Quare aliis consulendum erit felicitati, aliis civium fortunis. Qui felicitatis civium consilia agitant, illis opera danda erit, ut tum virtutibus theoreticis, scientiis & artibus corporisque vitæ, sanitati &c. provehendis quam optime consulant; tum virtutibus practicis, saltem civilibus, justitiæ æquitatique. Quid opus est nominibus generalibus inusitatis, cum contenti esse possimus specialibus usu receptis? Fortunis consulunt, quotquot honorum, opum, commoditatum jucunditatumque procurationi intendunt.

Rerum theoreticarum consilia investigari solent primaria in collegiis, quibus cura academiarum didacticarum & heuristicarum & museorum concredita est, quibus rector civitatis gaudet, secundaria artium vulgarium seu illiberalium consiliariis commerciorum, ad quæ faciunt, subesse solent. Practicarum vero rerum consultationes in feudalibus ad consiliarios senatumve feudales pertinent, si peculiares ab intimis dantur; in civilibus ad consiliarios aulicos & justitiæ, Oberhofräthe vel Oberhofgerichtsräthe & Hoff- und Justitzräthe; in controversiis ad provocationum tribunal, an die Oberappellationsräthe und Gerichte; in criminalibus ad eos, qui dicuntur Criminalräthe, vel Oberhofhalsgerichtsräthe; ad rerum mineralium judices (Oberberghauptmänner); commerciorum florem quærunt die Obercommercienräthe; rerum marinarum die Oberseewesensräthe, Admiralitätsgericht; rerum commissarum extraordinariarum, die Commissionsräthe; tutelarum & rerum pupillarium, die Obervormundschaftsräthe; rerum heraldicarum, die Oberheroldsräthe und Meister; rerum ceremonialium, die gros vel Oberceremonienmeister; rerum conscientiæ præsertim dubiæ, die Gewissensräthe; rerum ædilium, die Oberbaumeister, item Oberlandbaumeister,

meister, Oberkriegsbaumeister, ignium missilium, Oberfeuerwerker &c. ludicrorum spectaculorum &c. rerum literis mandandarum. Vid. supra §. 477 *seqq.* quorsum pertinent Gallorum, qui dicuntur conseillers des depeches & secretaires d'Etat. Quæ rursus variis modis conjungi solent inter se, & cum ipsa administratione earum rerum, ut experientia consultores juvet.

§. 547.

Prudentiæ partes in modo consulendi.

Circa modum consulendi *prudentia rectorum civitatis discernet ea, quæ consultatione nulla indigent, ab iis, quæ illa opus habent;* quæ his vel illis consiliariis, quando, ubi & quomodo proponenda sint; quæ omnibus, & quæ tantum nonnullis, seu uni vel alteri sint communicanda. Quæ enim Rector civitatis ex aliis pristinis deliberationibus, aut optimis, qui in historiis occurrunt ipsi notis, modis jam satis perspecta habet, ea cur frustra consultet, ratio nulla est (§. 362), nisi forte tantum explorare quosdam novos, aut & omnes suos consiliarios, hujusmodi rebus destinatos, velit, quid eorum vires valeant, & quid sibi in aliis polliceri de ipsis possit. Aliud sciscendum est, quando res & modi eas gerendi ipsi minus sunt perspecti, aut dubii eventus (§. 467).

§. 548.

Quæ quibusque sint consultanda?

Non alia consiliariis proponenda esse liquet, quam ad quæ delecti sunt propter insignem illarum rerum peritiam, fecunditatem inventionum, & eximiam artem vel solertiam inveniendi publicam (§. 483 *seqq.*). In cæteris enim alios esse consulendos, illorum peritissimos consultissimosque, sana ratio jubet, diversitatis ac multitudinis negotiorum (§. 474), & in illis limitum intellectus humani (§. 466) haud immemor. Inconsultum foret, tales consulere, qui illarum rerum æque sint imperiti, & æque consiliorum inopes, ac ipse consulturus. Vbi locus erit illi Terentiano: fecistis probe, multo incertior sum, quam dudum.

§. 549.

Quo tempore? *Nec alio tempore res sunt consultandæ, quam quo prudenter fieri potest.* Neque enim in ultimum necessitatis articulum res sunt differendæ, ubi nimis sero consuleretur, aut post festum, sed si periculum non est in mora, præstat diu multumque ante deliberare, quid sit futurum optimum factu (§. 509. *seqq.*).

Corollarium. Quapropter quando in præsens graviora negotia non adsunt consultanda, nec otiandum sit, consiliariis proponi possunt, præterita, aut futura, profundius rimanda, num quid melius in his reperiri possit, quam quæ facta sunt, aut fieri solent; item antiqua, & præcurrente animo mere tantum possibilia in casibus effictis, ut præcipua momenta, obstacula & adjumenta expendi et quam optime ad salutem publicam accommodari possint (§. 508). Quia vividior rei imminentis perceptio intendere & acuere ingenium & judicium solet; tum tempestive consilia quæruntur, quum imminent res agendæ, atque omnis earum indoles singularis & nexus præsens cum aliis attendendis momentis accuratius perspici potest, quam alio tempore, ubi nexus rerum fortuitarum tantum sunt comminiscendi pro lubitu. Vnde intelligitur, non sero nec nimis diu antea instituendam esse deliberationem, quando nondum innotuere illa momenta negotii, quæ potissimum attendi merentur, aut quando facile agitata consilia propalari ita possent, ut nesciretur, a quo & quomodo id factum, & quæ interim exsecutioni ejus opposita sunt, difficiliorem aut irritam reddere possent eam.

Sunt, qui existimant, tam brevi tempore ante exsecutionem rem tantum in consilio ponendam esse, ut interim ne prodi quidem consilia possint. Verum illi non perpendunt incommoda deproperatorum consiliorum, in rebus præsertim arduis, nec facilibus investigatu (§. 509.). Quæ pericula majoris momenti fieri possunt, quam vanus proditionis metus, aliis modis melius præcavendus (§. 536. *seq.*). Ex *Isocratis ad Demonicum* præcepto,

cepto, consiliarii tum sunt maxime consulendi, cum res consilium præsens postulat. Cæterum ex consiliis præcurrentibus, repertorium vel thesaurus colligi potest, suo tempore profuturus.

§. 550.

Locus vel sanctuarium, ubi consilia sunt communicanda, non debet esse ejusmodi, ut alii extus, per januam vel fenestram, rimam, subauscultando sermones utut submissos captare & perceptos prodere possint. Facillimum enim est intellectu, ita evulgari aut prodi consilia per callidos & fraudulentos insidiatores posse in magnum damnum rectoris civitatis, & in fidelissimorum consiliariorum injuriam suspicionemve. Quod ne fiat, nemini accessus patere debet ad secretarii; seu conclavis arcanorum consiliorum ostium, fenestras, rimas, parietes, pavimenta & laquearia, facile ita corrumpenda, ut sermones personent; qui itaque submissius sunt proferendi, vel scriptis offerendi & communicandi invicem, ne exaudiri ibi possint, ubi suspicioni subauscultandi locus manet. *Quo loco?*

Est & illud hic de secretario illo, ubi secretiora consilia tractantur, vulgo das Cabinet, non prætereundum, rectori quidem civitatis, quando interesse consiliis librandis & ultro citroque expendendis non vacat, paratum esse posse sanctuarium, in quo si vel ipse sit, vel is, quem habet fidissimum, subaudiri, vel & æque ope structuræ artificialis clare audiri omnia, quæ proferuntur in medium, possint, ac si ipse interesset secretario. Sic enim, si vel neminem ibi collocet auscultatorem, consiliarii, verentes, ne quis ibi auscultet, intra virtutis cancellos ita continebuntur, ac si præsens esset. Cujusmodi ratio sanctuarii in aula Turcica esse perhibetur, ni fallor, & in Anglia. Præsens enim, aut quasi subauscultans, vires consiliariorum, sententiam suam dicentium aut scribentium, subinde explorare & certo nosse poterit, quoties lubet & vacat, ne præsentia frequens ipsa consuetudine minuat reverentiam, & autoritatis sanctitatem. Ex alia

causa scribi sententias consiliariorum, suadet Augusto Mæcenas, teste *Dione Cassio Lib. 52.*

§. 551.

Modus consultandi ubi apertior vel opertior deceat?

Modus communicandi consultanda in rebus haud occultandis sit apertior, sed cautior tectiorque in arcanis & reticendis. Si res consultandæ sint privatorum civium & aliunde manifestæ, uti in litibus fori &c., vel non egent secreto; nil obstat, quo minus aperte in pleno consessu proponantur, tractentur, & consiliis absolutis decidantur seu decernantur, qui nihil ibi est arcani (§. 267. *P. III. Jur. nat.*). Enimvero si res sunt arcanæ, ideoque reticendæ, ipsa quidem taciturnitas, ad quam consiliarii omnium firmissime sunt obstricti (§. 537), non nullius est momenti, ad consilia illa silentio premenda. Facit eo aliquid, si singuli seorsum audiantur, & tacere dicta sancte jubeantur. Liquidissimum tamen est, nullum proditionis ne culposæ quidem metum ibi relinqui, ubi, etiamsi vellent, prodere nihil possunt consiliarii. Id vero accidit, quoties tam involute tecteque proponuntur deliberanda, sub ficta quadam fabula, sindone simulacri seu parœmia, ut de aliis rebus agi credant, quam de quibus revera agitur, & nihilominus id consulatur, quod res est, quæ a rectore civitatis pectore clausa reservatur, eoque est tutior, quo est tectior.

Sæpe servator noster parœmiis usus est in communicandis arcanis regni Dei, v. c. *Luc.* XX, 9-19. interdum & consulendo quasi exploravit animos suorum, probe sciens, quid consultissimum esset, uti *Joh.* VI, 5-9. Apte in hanc rem *Isocrates ad Demonicum* dixit: Quas res aperte dicere vereberis, & tamen cum aliquibus amicis communicari cupies; tanquam de re aliena orationem instituito. Sic & eorum sententiam intelliges, nec te ipse aperies. Ita recordor consilii juridici a facultate juridica Lips. petiti fictis sub involucris ab academia ibidem, quod deinceps in controversia cum facultate sopienda in pleno consessu recitabatur,

batur, & contra eandem ob similitudinem argumentorum vertebatur. Sic ingenium variis modis mutare deliberanda potest in tam dissimiles casus, ut de vero ne quidem suspicio oriatur, modo præcipua momenta peregrina veste circumdentur, & probe tegatur res vera sub obsoleta illa aut nova larva conficta, ut tecte patefacta restet occulta.

§. 552.

Gradus hujus prudentiæ consulendi alius.

Si quid arcani adeo tegi non possit, ne suboleat sagacioribus, quod res est, præstat peritissimo, perspicacissimo & fidelissimo uni tantum vel alteri id ita communicari, ut nesciat alter, & alteri id esse eadem cautione detectum, & secretissime deliberandum datum, & se solum sub perpetuo silentio summa confidentia dignatum esse opinetur. Quando enim cautissime facta est communicatio alii sub alio involucro (§. 551.), neuter vera certo comperta habebit, & ne quidem de eadem re agi existimabit, si vel civitatis rector & alteri aliquid negotii datum esse non dissimulet, & uterque eo secretius sibi communicata habebit, quo certior sibi esse videtur, nemini quam sibi id esse secreto commissum, nec alium, quam se in suspicionem proditionis venire posse, si quid patefieret illius. Constat inde, & hæc pertinere ad prudentiam modi consultanda communicandi (§. 540. 547.).

§. 553.

Parrhesia consiliariis concedenda.

Posito autem hoc, consiliariis non dari libertatem, ingenue, quæ sentiunt, dicendi nisi periculosam; aut ad adulandum se component, & ad sibi potius consulendum, quanta possunt calliditate, quam saluti publicæ, quo nihil potest esse perniciosius (§ 533.), & ad obtrectandum detrahendumque melioribus, quantum possunt (§. 539.); aut si neutrum fiat, deerunt recte suadentes, vel perinde erit, acsi nulli habeantur consiliarii, dum vera animi sui sensa ingenue dicere non audent. Quare cogitur, *consiliariis concedendam esse plenam libertatem, uti par est, veram*

animi sententiam, prout conscientiæ certæ indoles jubet, proferendi, nec quidquam inde sibi metuendi; aut illis plane non utendum esse.

Nihil præsidii in ea rep. esse potest, ubi elinguis est curia, in qua dicere, quod velles, periculosum est, quod nolles, miserum, judice *Plinio* in *Ep. 14. Lib. VIII.* Conf. *Sueton. in Tiberii c. 28. Plin. Ep. 9. Lib. III.* & *Isocratis Or. ad Nicoclem.*

§. 554.

De concedendo jure privatæ admonitionis.

Bene sibi & reip. simul consulunt rectores civitatis, si uni vel alteri fidelissimo consiliario concedant jus privatissimæ admonitionis, si quid vel ipsi animadverterint in ipsis emendandum, vel reprehensa non sine ratione ab aliis acceperint. Neque enim quidquam debet esse prius rectoribus civitatum, quam ut personam a Deo sibi impositam, h. e. Dei vices, dignissime gerant (§. 338. *P. I. Polit.*), ut, quam fieri potest maxime, imitentur divinæ gubernationis mundi suique exemplum (§. 339. *ibid.*), ut contendant de principatu in gloria Dei illustranda, & aliis optimis rectoribus, si non antecellere, saltem pares censeri possint & vivi & post fata (§. 343. *seq. ibid.*). Hoc si assequi cupiunt, non potest non ipsis gratissimum esse, si ex intimis amicis habeant saltem unum, vel & alterum, qui opportune amicissimeque moneat, si quid vel ipse observavit emendandum, & ad majestatis excellentiam evehendum, vel ab aliis non nisi ratione, aut quadam veritatis specie reprehendi. Si enim erronea sunt, quæ proferuntur, error facile poterit ostendi, & rationes speciosæ dilui. Si recte se habent monita, nil melius fieri poterit, quam ut officio locus detur summus.

Haud abs ratione consiliarii, præsertim intimiores, more Persarum dicuntur rectorum civitatis oculi, aures, & ora. Oculi, per quos vident manticæ quod in tergo est, aut quæ ipsi videre nequeunt. Aures, per quas audiunt studiose ab aliis celata, sibi tamen scitu necessaria. Ora, quæ non tantum aliis imperata exponant,

ponant, ſed & ipſis dicantur maxime ſalutaria, in regimine obſervanda. In regnis temperatis ideo dantur primates optimatum obligari ad monendum regem, ſi quid legibus adverſum pertinacius ſequatur. Neque quidquam derogat autocratori & monarchæ abſoluto, ſi ejusmodi alat amicum unum alterumve. Sane Alexander magnus, minime ineptus fuit, quod Hephæſtione ad hunc finem utebatur. De quo *Curtius L. III. c. 12. fere medio* ſcribit: libertatis in eo (Alexandro) admonendo non alius jus habebat, quod tamen ita uſurpabat, ut magis a rege permiſſum, quam vindicatum ſibi ab eo videretur. Vnde Syſigambi (matri Darii captivæ), quæ ignoratione nunquam viſi regis, ob corporis habitus præſtantiam loco regis venerata illum erat, errorem dein excuſanti reſpondit: non erraſti, mater, nam & hic Alexander eſt. *Lib. X, c. 4.* narrat Hephæſtionem, quem rex unice & fratris loco dilexerat, febricitantem exſpiraſſe, ex quo rex incredibili affectus dolore, multa, quæ regiam majeſtatem minime decerent, poſtea admiſiſſe dicatur. Alibi & Craterus, Philotas aliique, regi in paucis chari amici & arcanorum arbitri fuiſſe perhibentur *L. VI. c. 8.*

Bene *Cicero de offic. L. I. c. 26.* ut equos ferocitate exſultantes . . . ſic homines ſecundis rebus effrenatos ſibique præſidentes tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunæ. Etiam in ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum, hisque etiam major, quam ante, tribuenda autoritas, iisdemque temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt. Tales enim nos eſſe putamus, vt jure laudemur. Ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus.

§. 555.

Partes prudentiæ conſilii ineundi.

Si auditis conſiliariorum ſententiis *rector civitatis prudenter conſilium capere velit, ſententiæ non erunt numerandæ, ſed ponderandæ; neque quædam ex allatis amplectenda, quando melior ab illis plane diverſa,*

aut

aut ex illis pro parte conjunctis emendatisque reperiri potest, aut a re tota abstinendum est, quia dubia nimis est; neque pandenda illa, quæ est electa, sed vel tacenda, vel pro diversitate rationum simulanda a mente aliena, & genuina tamdiu dissimulanda, quamdiu exsecutio est opportunitate destituta. Consiliarii tantum consilia in nostra hypothesi suppeditant, non vero suffragandi jure gaudent, ut senatores (§. 469. *seq.*). Quare nulla ratio adest, cur ex eorum sententiis conclusum formetur publiceturque, sed potius prudenter opperiendum est, quid forte dies rectius sit docturus, ut tum demum, cum opus est, maturum consilium capiatur (§. 510.). Præcavetur sic simul, ne prodi consilia nondum capta, aut patefacta possint, ut prudentia jubet (§. 551. *seqq.*). Reliqua per se sunt manifesta ex jam allatis.

In statu naturali, & in societate, cujus membra æquali suffragandi jure gaudent, valet illud, quod *Plinius L. II. Ep. 12.* scribit: sed hoc pluribus visum est: numerantur enim sententiæ, non ponderantur. Nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa. Nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est. Sed in consilio publico consiliariorum, nullum est suffragandi sed tantum consulendi jus. Ea propter hic opus est, ut sententiæ non numerentur, sed ponderentur. Non nisi in dubio admodum casu bellico valeat illud M. Antonini Philosophi *apud Capitolin. c. 8.* æquius est, ut ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam ut tot talesque amici meam unius voluntatem sequantur, aut Ferdinandi II: securius esse principi, ut consiliariorum consilium sequatur, licet quandoque eventus contrarietur, quam suum, secundum narrationem *Lamormainii de ejus virtutibus c. 20.* Scite eam in rem *Polybius L. IX. c. 12.* Qui rebus gerendis præsunt, nihil quidquam eorum in consiliis inceptisque omittere debent, quod cura sua non complectantur. Omnium, quæ diximus, primum est silentium, ut neque ob gaudium lætæ spei ex inopinato tibi ostensæ, neque ob metum aut familiaritatem

tem vel amorem erga tuos affectus, rem gerendam ulli eorum detegas, ad quos illa nihil pertinet, sed iis solis communices, sine quibus perduci ad finem propositum nequit; & his quoque non ante, quam usu postulante cujusque rei necessitate cogaris. Silere autem oportet, non lingua duntaxat, sed animo multo magis. Sæpius factum est, quod multi, qui rem quod ad verba, clam habuerant, partim vultu ipso, quem præ se ferebant, alii per ea, quæ gerebant, consilia animi manifestarent. De Persis *Curtius L. IV. c. 6*: Alexander, quam regionem Darius petiisset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat, more Persarum, arcana regum mira celantium fide. Non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta. Vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum, nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. *Cæcilius in Plutarchi Apopthegm.* interrogatus a centurione, quid esset facturus, respondit, se tunicam suam, si sciret consciam esse consilii sui, exuturum & crematurum.

§. 556.

De exsecutione consiliorum.

Cum consilia non capiantur, nisi ut, quid optimum factu sit in re præsenti, reperiatur & decernatur (§. 467); reperta autem & decreta irrita forent, nisi exsecutioni prudenter darentur (§ 1. 20.): matura eorum exsecutione opus est (§. 540). Quia vero matura dici nequit, nisi & tempestiva sit, ne occasione prætermissa senescant, &, quantam capit, tanta gaudeat perfectione (§. 510); ideoque & prudentissime instituatur seu auspicetur tempestive celeriterque, pergat quam cautissime, & strenue absolvat, ne se vel præcipitet, vel remoretur in cursu, vel ante adeptionem finis desistat (§. 13. & 20.): patescit, *exsecutionem consiliorum non nisi eo modo & tempore prudentissime esse suscipiendam, quo spes maxima scopum ex asse consequendi apparet.*

Polybius L. IX. Hist. c. 12. Tertium & maximum eſt, ut temporum notitiam habeas, & ut poſſis eorum rationes ei, quod agere decreveris, ſine ullo errore accommodare. Sed nec gerendæ rei modum parvi pendere oportet, quoniam ſæpe per hanc obſervationem uſu venit, ut, quæ videbantur fieri non poſſe, fierent; quæ facilia exiſtimabantur, ea fieri non poſſent. Conf. exemplum *L. III. c. 4. ſeq.* Bene *Cicero L. II. de off. c. 9.* fides ut habeatur, duabus rebus effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti conjunctam cum juſtitia prudentiam. Nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur, quosque & futura proſpicere credimus, &, cum res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. Hanc enim utilem omnes exiſtimant veramque prudentiam. Juſtis autem & fidis hominibus, i. e. bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis injuriæque ſuſpicio. Prout *Ep. 23. L. XIV. ad Attic.* conſilia, inquit, temporum ſunt, quæ in horas mutantur, & *Seneca Ep. 71.* conſilium ſub manu naſci debere: quia puncto temporis ſæpe maximarum rerum momenta vertuntur, *Livio L. III. c. 27.* obſervante; conf. *L. 25. c. 12.* In præcipiti & lubrico ſtanti conſilium a præſenti neceſſitate, tempore & re repetendum eſt. Neque enim permanendum eſſe, monet *Cicero L. I. Ep. 9. ad Fam.* in una ſententia converſis rebus, ſed temporibus cedendum, uti in navigando artis eſt, obſequi tempeſtati, & mutata velificatione potius, quo velis, pervenire, quam eundem cum periculo tenere curſum. Cæterum *Salluſtius* teſtatur *Bello Catil.* & priusquam incipias, conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Quam celeritatem diu deliberata peragendi *Stagirita L. V. Eudem. c. 9.* inculcat, qui & in exſecutione δεινότητα vehementiam ſeu omnem virium contentionem deſiderat in eo, qui, quæ ad propoſitum ſcopum pertinent, agere & conſequi velit. *L. VI. c. 12. Nicom.*

§. 557.

Conſilia mala nec capienda nec danda. *Conſilia ad facinora injuſta nec ineunda ſunt nec danda; ne quidem ad ea, de quibus merito dubitandum, ſintne juſta an injuſta?* Nem-

Nempe rectorum civitatis est, bene regere remp. eaque propter voluntate constanti & perpetua non ferri nisi ad ea facienda, quae saluti publicae conducunt (§. 995. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), & fugienda, quaecunque obsunt, quo minus resp. perpetuo floreat (§. 86. *ibid.*). E quibus manifestum est, vel suopte marte, vel aliorum instinctu nulla illis ineunda esse consilia inceptorum, quae sint injusta, ideoque saluti publicae adversa (§. 533. & 1033. *seq. ibid.*), neque consiliarios ad talia excogitanda esse adhibendos (§. 467.), neque audiendos, si sponte sua talia suggerant (§ 1002. & 1037. *ibid.*).

Consiliarii debent esse viri boni (§. 1000. *ibid.*), & summae integritatis publicae ac fidelissimi (§. 526.), salutis publicae amantissimi (§. 531.), & amicissimi (§. 532.), atque admodum religiosi (§. 538.). Tales vero esse nequeunt, si sint injusti & injusta suadeant, vel justa dissuadeant. Praeterea malum consilium consultori saepe pessimum, certe consilium danti, etiamsi non obliget alterum ad agendum, nec dans alio modo ad factum alienum concurrat, recte tamen id factum propter consilium datum imputatur (§. 674. *P. I. Phil. pract. univ.*), atque eo magis imputatur, quo luculentius liberiusque consilium approbans omnia in modo propositum exsequendi suggessit (*not. ejusd.* §. & (§. 606), cum fuisset solide dissuadendum (§. 985. *P. I. Theol. nat.*). Cavere igitur consiliarii debent, ne fiant participes & correi omnium malorum ex dato consilio injusto oriundorum. Idem quoque valet de consiliis temerariis & protervis.

Cum facienda neutiquam sint, de quibus dubitamus, sintne justa aut injusta, bona an mala (§. 447. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*): haud obscurum est, nec consilia de his dubiis moraliter rebus esse agitanda, nec danda, nisi eo collineent, ut vel justitia vel injustitia in lucem protrahatur, vel si neutrum fieri

liquidum possit, ab eo abstinendum esse consulatur (§. 555.). Multo igitur minus exsequenda erunt consilia injusta vel per errorem arrepta, quem dein curæ posteriores ostendunt, aut aliorum acumen detexit.

Bona consilia dicuntur, quæ & in se sunt licita, & saluti publicæ pro præsenti rerum facie consentanea atque amica. Hæc proprie consilia vocari merentur. Mala autem consilia dicuntur illicita, & saluti hominum contraria & inimica. Quæ potius *nequitiæ, strophæ, offuciæ & vaframenta*, schlaue Räncke, & quatenus celant pravitatem, *præstigia*, Blendwercke dici merentur. Saltem semina nequitiæ ibi & officinæ sunt, ubi vaframenta excogitantur, & ad nequitiam fenestræ aperiuntur. Sane *Tullius L. III. Tusc. c. 8.* nequitia, inquit, ab eo dicitur (etsi hoc erit fortasse durius, sed tentemus & lusisse putemur, si nihil sit), quod nec quidquam (boni) est in tali homine (nequit quidquam), ex quo idem nihili dicitur. Et *Horatius Serm. II. 3.* par nobile fratrum nequitia & nugis pravorum & amore gemellum, h. e. nugacitas. Ita liquet, quid sit vir perdita nequitia *Ciceroni pro Cluent. c. 13.* & Chrysippus somniorum vaferrimus interpres. *de Nat. Deor. L. I. c. 15.* Si frugalitatis proprium est, *Tullio in cit. Tuscul. loco*, magistro, motus animi appetentis (aversantisque) regere, & sedare, semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam; quid nequitiæ proprium sit, inde patescit, quia illa contraria est frugalitati, ideoque affectibus dedita est, & unice ducitur, quo illi feruntur. Vulgo consilia perperam bona aut mala ex eventu judicantur, qui non est in manibus hominum, nisi quatenus prævideri & caveri potest.

§. 558.

Quinam dicantur machiavellistæ & monarchomachi.

Machiavellistæ dicuntur, qui in præjudicium salutis publicæ legumque cardinalium, omnia ad privata rectorum civitatis suaque commoda in vicariis functionibus suis agunt. *Monarchomachi* vero, qui non tendunt nisi ad jura rectorum civitatis

tis

tis subvertenda, & ad popularem vel optimatum potestatem transferenda.

Machiavellus Nicæ quis fuerit, quid in suis libris docuerit, quos nactus sit refutatores, notius est, quam ut hic repetendum sit. Qui ejus seu sectatores sunt, seu perversi discipuli, vocantur machiavellistæ, & in privata principis commoda, in augendam in immensum ejus potentiam, opulentiam, libidinem exlegem, omnia rapiunt, nulla pactorum, legum, religionis & conscientiæ ratione habita, nisi ad speciem utilitatemque. Hobbesiani quidam in eundem censum referri solent, ac inter Pseudopoliticos poni merentur (§. 24. *P. I. Polit.*), qui rei suæ causa non verentur detrimentum afferre reip. & cives sacrificant suis cupiditatibus perditissimis. Monarchomachi contra rectoribus civitatum, regibus præsertim infesti sunt, & in eorum jura evertenda, ipsamque vitam interdum haud secus grassantur, ac machiavellistæ in civium jura & vitam.

§ 559.

In regno temperato consiliarii nec sint machiavellistæ, nec monarchomachi. Etenim in regno temperato & regibus & ordinibus regni salva relinquenda sunt sua jura, ut amico consensu salus publica procuretur (§. 471), nec danda sunt consilia injusta (§ 557). Sed machiavellistæ omnia jura regi vindicare, & ordinibus clam aut vi eripere nituntur. Monarchomachi autem utcunque regi subtrahere, & optimatibus vel ordinibus vindicare nituntur, quæ sunt illius (§. 558.). Quare cum illi injurii sint in ordines regni, hi in jura regis, neutro modo consultum esse potest publicæ saluti, ideoque in regno temperato consiliarii nec esse debent e numero machiavellistarum, nec monarchomachorum. *Consiliarii nec sint machiavellistæ nec monarchomachi.*

Dum consiliarios in regno limitato nolumus esse tales, qualis Machiavellus, Haman, Ahitophel, multique alii ante ipsum fuere, qui regnandi causa jus violandum esse, vel omnia, quæ libent, lice-

licere putant, & persuadere aliis nituntur, eo ipso non negamus, idem quoque in imperio regnoque absoluto seu monarchia valere. Potius in omni reip. forma a machiavellismo seu dolosa salutis publicæ & virtutum conculcatione, privati commodi, ambitionis aut libidinis suæ studio, abhorrendum esse, ipsa earum natura superius explanata commonstrat. Restat, ut de ministris aulicis nonnihil subjiciamus.

§. 560.

Ratio divisionis aulicorum.

Quia ministri aulici, qui & aulici vulgo dicuntur, sunt personæ, rectorem civitatis in officiis communibus & parergis juvantes, eique eminentiori quodam ordine servientes (§. 466.): *hi* vel *officiis necessitatis, vel commoditatis, vel jucunditatis sublevandis inserviunt.* Sunt enim rectores civitatum homines, ideoque & cæteris hominum officiis communibus adstricti, quibus si propter curam publicæ salutis fungi nequeunt, nec publice ea ipsorum majestatem decerent: aliorum ope indigent, qui in his ipsorum vices subeant, illisque eximia ratione serviant. Quare cum opus proprium (ἔργον) rectorum civitatis sit exercitio summorum jurium majestatis bene regere remp. hæc minoris momenti negotia hominibus fere universis communia, ipsorum veluti sunt parerga, in quibus aliorum indigent adjumento honorifico, ministeriove. Neque dispar in aliis hominum vitæ generibus est ratio, ut præter proprias functiones primarias, alias habeant communes & secundarias velut parerga.

§. 561.

Doctores sacri & curam animi gerentes.

Officiis necessitatis qua animum perficiendis adsunt & inserviunt *doctores sacrorum aulici*, in primis intimi, qui solent esse *a cura animi confessionibus & casibus conscientiæ*, quocunque nomine appellentur. Qui simul misericordiæ per eleemosynas exercendæ adhiberi solent, nisi comites sacrarum largitionum

num alii habeantur. Bibliothecarii, anagnostæ &c. eodem referri possent quadamtenus.

§. 562.

Vitæ conservationi præfecti qua nutrimenta.

Iisdem officiis qua corpus sublevandis varii admoventur. Alii *ad vitæ conservationem prospiciunt salubritati alimentorum* vel comparandorum & asservandorum, vel præparandorum, vel subministrandorum in usu. Comparandis conservandisque alimentis præsunt architridini, vel *cibariorum* & potulentorum, sive *Cellarum magistri;* præparandis condiendisque *pistores* in furnis, in culina *archimagiri* ac *bellariorum magistri* varii, & in cella *pincernæ;* afferendis & præbendis *dapiferi* & *pocillatores*, item *incisores dapium* & mensarum structores. Quorum partes varie admodum conjungi possunt & passim solent.

Imperii romano germanici *archipincerna* (Erzschencke), vel Præfectus Pincernarum est Rex & Elector Bohemiæ; *archidapifer*, Erztruchses, Elector Bavariæ. Reliqui dici possunt Oberspeisemeister, Oberküchenmeister, Oberkellermeister, Oberschencken, Obervorschneider, Obertafeldecker, Obercondítor &c. Quanquam horum nonnulli simul ad commoditatem & jucunditatem nutrimentorum curandam pertinent, ut conviviorum, bellariorum, ciborum scindendorum magistri, aliique. Salomoni legimus duodecim fuisse, quorum quisque suo mense procurabat, quidquid ad nutrimenta aulica requirebatur *1 Reg.* IV, 7-23. X, 5. Taceo pistores dulciarios, crustularios, pastinarios, placentarios, saccharitas, cæt.

§. 563.

Qua præsidia externa.

Alii domicilii seu palatii, vestimentorum, lectorum, cubiculorumque curam gerunt, ut & vitæ conservationi & majestati conveniant. Qui architecturæ palatiorum &c. conservationi & reparationi præsunt, *curopalatæ seu architecti summi* vocantur, inter quos & *tridiniarchæ*. Qui rei vestiariæ curam gerunt, *comites vestiarii* & *Protovestiarii* dicuntur. Saluti rectorum civitatis

tis aſſidue invigilant circa cubicula, interdiu noctuque, *camerarii*, *ſuccamerarii* & *cubicularii*, *ſtipantes eos in itinere lectis*, *cubiculo &c.* caventes, ne quid inſidiarum, incommodi & a dignitate alieni creetur, ſubminiſtrantes manutergia, pelves, claudentes fores, unde primicerii clavis inſigni ornantur. Iidem & *ſilentiarii* ſunt, & quietis miniſtri, niſi peculiares alii huic muneri ſunt præfecti.

Architectura aulica ſ. cura palatii, das Oberbaumeiſter Amt, complectitur ſimul curam cæterorum ædificiorum regiorum, cujuscunque ſint nominis, ut eorum ſtabilitati, dignitati, immunitatique ab incendiis aliisque incommodis quam optime proſpiciatur. Triclinia & notant cœnacula, ſeu conclavia conviviorum ſolemnium; & cubicula dormitoria, in quibus diſcumbitur, quibus præfecti ſunt tricliniarchæ. Veſtibus ſacris curandis, cuſtodiendis, promendisque operam dant primiceriam magiſtri rei veſtiariæ, vel veſtiarii curatores cuſtodesque, die Kleiderkämmerer Drapirte. Camerarii noſtratibus, die Cammerherrn und Ertz, vel Obercämmerer &c. cubicularii die Cammerjunker audiunt. Neque enim hic nobis niſi de honoratioribus ſermo eſt. S. Imperii germanici *Archicamerarius* eſt Elector Brandenburgicus, qui pelvem argenteam & manutergium imperatori inaugurationis ſolemnibus offert, & ſceptrum dignitatis inſigne nactus eſt; ſubcamerario gaudens principe Zollerano cæt.

§. 564.

Sanitatis integritatisque procuratio. *Valetudinis & integritatis membrorum cura prudenter demandari ſolet archiatris, Archichirurgisque, quibus archipharmaceutæ ſubjunguntur, ad medicamenta omnis generis præſtantiſſima ſuppeditanda.* Præter illa enim, quæ ſalubritas alimentorum, integumentorum corporis, ædium & aëris in civitate requirit, uti *P. III. Polit. Sect. 2. c. 2.* oſtenſum eſt, peculiaris requiritur cura ſanitatis conſervandæ, & ſi quis morbus adeſt, reſtituendæ rectori civitatis, ope diætæ & medicinæ ſalutaris. Hinc opus

eſt

est alendis soliditate, experientiaque & therapeutica celeberrimis Archiatris, ad morbos tum præcavendos, tum expellendos (§. 471 *P. III. Polit.*). Qua curam integritatis membrorum & in genere organorum corporis tuendæ, &, quantum datur, reparandæ consimilibus opus est chirurgis, suas operas cum medicorum therapeutica arte consociantibus (§. 469 *ibid.*). Ne neutris desint, quibus pro re nata utendum est, remediis, Pharmaceutis regiis præparanda & comparanda affatim sunt præstantissima omnis generis medicamenta (§ 466 *ibid.*).

Archiatri sunt, qui Germanis appellantur **Kaiserl. und Königl. Leibärtzte**; archichirurgi, **Königl. Wundärtzte**; Pharmaceutæ autem, **Königl. Apothecker**. Quanto plus momenti situm est in conservanda vita & sanitate bonorum autarcharum, omnibus civibus exoptanda, tanto majori cura eligendi illius administri, & tanto diligentius solicitiusque ipsis cavendum est, ne quidquam omittant, committantque, quo culpæ rei postulari possint, nedum doli.

§. 565.

Præ se ferendo commodius majestatis splendori in solemnitatibus inserviunt archimareschalci, ensem præferentes, quo equites creantur, & simul *stabuli comites*, regiorum equorum curæ præfecti; *summi vexilliferi*, præferentes vexillum regium; *archithesaurarii*, cimilia regni custodientes, coram præferentes, & missilia spargentes in populum in solemnitatibus inaugurationis &c. Ita gestare ac præferre possent *Archicancellarii* sigilla majestatis & regia, *Archimelophorus* pomum regni aureum; *curopolatæ*, ut Constantinopoli olim architecturæ, auream virgam; *protovestiarii* pallium regium, insignia exhibens &c. *Archicamerarii* sceptrum & claves aureas; præfectus prætorio imperatorium caduceum; mareschalci scipiones summæ jurisdictionis; *archiepiscopi* aureum vasculum balsami, & olei unctionis ampul- *Præferentes majestatis insignia.*

lulum; item alius annulum; ensifer aut alius gemmatum balteum, vel cingulum regium &c.

Archimareschalli in imperio romano germanico hujusmodi sunt, quales hic designantur. In Polonia est peculiaris ensifer, diversus a mareschalcis, qui scipiones præferunt, vivo rege erectos, mortuo demissos. Ibidem coronam, sceptrum, pomum singuli præferunt senatores, vexilliferi autem vexilla sua. Habitus sacer sandalia, dalmaticam, pallium &c. complectitur. Elector Saxoniæ, qui est archimareschallus, imperatori præfert gladium evaginatum, vaginam ejus vicarius, geritque ideo in insignibus duos gladios, decussatim cuspidibus sursum versis; in campis ordines militum instruit, exercetque in expeditionibus jurisdictionem militarem; indeque vexillum imperii majus gerit; & in comitiis diversoria assignat ope vicarii, curamque & pretium rei annonariæ & excubiarum itidem exercet &c. Peracta coronatione primus officio suo fungitur, adiens equo vectus avenæ cumulum, accipiens inde velut pro equis mensuram argenteam plenam, hostorio argenteo æquatam, qui acervus postea diripiendus populo datur. Sed longum foret reliqua similiter persequi. Paucis igitur submonemus, non omnia hæc ubique, & quædam nusquam usurpari, uti ampulla dei præferri non solet, nec annulus, nec alia, quæ similiter adhiberi potuissent, aut novis muneribus locum darent, v. c. corniculum veredarii argenteum, tanquam insigne summi juris cursuum publicorum; corniculum venatorium, ut insigne summi venationum magistri cæt.

§. 566.

Aulica decoramenta & oblectamenta uti procurentur.

Aliis commoditatibus principum & recreationibus subserviunt aulæ primicerii, sive *magistri ceremoniarum*, ceremonias omnis generis instruentes, *magistri admissionum*, intromittentes principem adituros; *museis* naturæ & artium *regiis varii generis præfecti*, ut statuarum, gemmarum, pinacothecarum; summi *venationum magistri*, inter quos *protocynegi*, canibus venaticis

naticis præfecti, & *protohieracarii*, h. e. summi accipitrarii in aucupiis illustribus ardearum &c; Eretarchæ vel *navarchæ* in regundis itineribus navalibus seriis aut voluptariis; *ludorum equestrium magistri*; item chorearum, comœdiarum, tragœdiarum, ignium ludicrorum varii artificii, spectaculorum, ludorum regiorum, *musicorum concentuum* varii generis, *magistri*; denique hortorum, topiariorum, viridariorum, xystorum, vinearum, cryptoporticuum, piscinarum, *artium hydraulicarum*, *oxinum*, *Theriotrophiorum* & similium amœnitates natura & arte excellentes. Taceo egregios pictores statuarios, artificesque varii generis; taceo θηριομαχιας, seu certamina ferarum aliarumque bestiarum terrestrium, natatilium, volatilium, v. c. aquilarum, cæt. Taceo visceratione, naumachias, artes petauristarum, opticas, perspectivas, electricas, edoctarum dociliorum bestiarum mirificas imitationes hominum, σκιαμαχιας castrenses, pugilum, opificum variorum, artificia funambulorum, gesticulatorum, præstigiatorum, laternæ magicæ, urinatorum, mergorumque, sub aquis degentium, ope reclusi foraminis ovalis; scandentium, nudis manibus pedibusque rependo malum, præaltum glabrum, unctumque, obtinendi præmii causa, in fastigio collocati &c. Commoditatis, decori & jucunditatis officia hæc regent (§. 432 - 511 *P. I. Jur. nat.*).

Nolo immorari his, quod facillimum foret, ulterius dilucidandis, quæ in vulgus maxima ex parte nota esse arbitror. Ob eandem rationem quoque supervacuum foret, si horum singulorum influxum docerem in officia commoditatis, decoris aulici, & jucunditatis rectorum civitatis. Neque omnium hujusmodi usus vel omnes, vel crebro decet, sed alia semel spectasse sufficit, alia nunquam: eoquod meliora saluti publ. cum virtutibus & dignitate summa conjunctiora etiam in commoditatibus, ornamentis, oblectamentisque sensuum, & animi remissionibus præferenda sunt cæteris vulgo relinquendis (§. 192 *P. I. Philos.*

pract. univ.). Consulendæ sunt omni loco, tempore & casu, quæ rationi, quæque legibus divinis consentanea sunt, ideoque nec sunt illicita, nec indecora. De quibus *Phil. pract. univ.* & *Jus. nat. & Gent.* passim præcepta tradit.

§. 567.

De supremis aulæ magistris seu mareschalcis. Quia aulicorum quoque regundorum tanquam civium ratio habenda est, ut se intra officii limites contineant, & si quid admiserint, quod pœnam capitalem haud meretur, judicio subesse debent, quod causas examinare, & in delinquentes animadvertere possit (§. 540 *P. VIII. Jur. nat.*), quamdiu opus non est, ut ipse rector civitatis jus dicat, aut sententiam remotionis ab officio vel capitalem ferat, aut confirmet in supremo judicio criminali latam (§. 291 *seq.*): judex aulicorum dari debet unus vel alter, ad quem cognitiones hæ sacræ jure pertineant, nec tantum ministrorum aulicorum, & multo magis inferioris generis servientis familiæ, sed etiam sequioris sexus ministræ aulicæ, & matronæ eximiæ, virgines, conjuges, viduæ, liberi in genere & domestici aulicorum, quibuscunque veniant nominibus, si quid litigii componendi aut delicti puniendi inter eas personas occurrat (§. 539 *P. VIII. Jur. nat.*). Est enim gratiæ & dignationis privilegium, quod tales personæ exemtione gaudeant a vulgari jurisdictione, & secretius earum res cognosci debeant dirimique, appellatione & ipsis non denegata, si justa graviorem sententiam, reformatione aut mitigatione rectoris dignam, fore haud vane sperent (§. 320) & (§. 547 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Hujusmodi judices aulicorum, vel simul & referendariorum, consiliariorumque, dici consueverunt *supremi aulæ magistri* (Oberhofmeister), vel supremi aulæ mareschalci (Oberhofmarschalle).

Quanta olim potestas fuerit præfecti prætorio, in *Gutherio* aliisque reperiri potest. Tandem sub Commodo imperatore

Perennis

Perennis obtinuisse videtur, ne a se provocatio ad principem detur. Arcadius tamen & Diocletianus jus supplicandi iis concessere, qui se læsos in amplissimo præfecturæ judicio affirmarent. Theodosius & Valentinianus ei quæstorem palatii collegam adjungunt in judicio aulico. *l. 29 & 32 Cod. de Appell.* Licebat in re gravi & alios consiliis & tribunali sociare assessores, uti Paulus & Vlpianus antea Papiniani prætorio præfecti assessores fuere, quam ipsi dein prætorio præficerentur. Nonnunquam adsidebant & ipsi imperatores vel mistim, vel in parte primori. Mæcenas Augusto jam suasit, quia periculosum sit uni committere cohortes prætorias, duos esse constituendos præfectos ad insidias melius præcavendas, quod & successu temporis Augustum fecisse, *Dio* docet. *L. 52.* Erant hi præfecti semper in aula seu comitatu Cæsarum. *In Codice Theodosiano* Magister officiorum, vel palatii, & quæstor palatii sæpe conjunguntur, tanquam illi, ad quos omnis disciplina palatii quoad mores, & jurisdictio pertineret. Magistri officiorum dignitas ICto aut Philosopho dabatur, qui in tanto honore fuit, ut ab Augustis frater diceretur, secundum *Novell. Theodos. de agent. in reb. Cod. Theod.* Interdum idem Magister vel comes domesticus simul erat quæstor sacri palatii, & mero gaudebat imperio in raptores virginum &c. Quæstorem Palatii Autores æquiparant summo Cancellario, dum ab imperatoribus vocatur justitiæ custos, armarium & vox legum. Vid. *Novell. Valentin. de homicid. casu fact. &c. A Symmacho L. III. Ep. 17.* concilii regalis particeps dicitur, precum arbiter, conditor legum. Dudum curiæ Mareschalcum eodem loco esse, ut scilicet cum imperio sint in aulicos superiores & inferiores, & antiqua praxis, & ipsius quoque Archimareschalci in imperio germ. dignitas docet, qui tempore comitiorum, coronationis cæsareæ &c. jurisdictionem habet in familiam electorum & statuum imperii, item in advenas & extraneos cum in civilibus, tum in criminalibus. Qui vero ad aulam cæsaream referuntur, in eos jurisdictionem exercet Cæsaris Mareschalcus.

§. 568.

De aliis regum inter aulicos amicis.

Iam si quis inter aulicos peculiari fide & moribus rectori civitatis ita se commendet, ut eum peculiari favore dignetur, eoque familiarius in quibusdam rebus, cui par est, utatur; is etiam *amicis regiis vel familiaribus, saltem gratia rectorum civitatis florentibus*, seu gratia singulari multum apud eum valentibus *accensendus erit*, quanquam consiliarius aut intimus minister non est (§. 532 *not.*). Favore enim & indulgentia, qua gaudent tales amici, precibus & commendatione impetrare poterunt forte, quæ nemo alius. Idem quoque de illis alterius sexus personis habendum est, quæ gratia plurimum valent in aula (§. 405). *Autarchæ prudentia discernet, quid quantumque his amicis sit, nec non sit tribuendum.*

Indigent enim rectores civitatis variis amicis, quorum aliis in his, aliis utuntur in aliis rebus. Equidem de jure omnes, quos alunt vicarii ministri & ministræ, eximia plane amicitia & fidelitate complecti dominos suos deberent (§. 368. 379. 526. & 539.). Cum tamen, teste experientia, non omnium idem sit zelus & ardor in officio, non omnium iidem mores, nec eadem fidelitas charitasque sui benefactoris & domini, & morum similitudo ad amicitiam plurimum momenti habeat; fieri nequit, ut omnes æque cari acceptique sint rectori civitatis, sed & hic amicitia vera & intimior non nisi inter paucos detur. Quod non tantum ita habet inter bonos, de quibus hic loquimur, verum quoque inter eos, qui remp. non bene, sed male regunt. Germani tales principum amicos vocant Lieblinge, vel Günstlinge, aut Favoriten.

§. 569.

Consiliariorum & aulicorum ratio pericula vitandi.

Generatim submonendum est, consiliarios, aulicos & vicarios rectorum civitatis, in qualibet reip. forma, nihil de jure timendum habere; si illis, quibus debent, virtutibus excellere, quantum possunt, nituntur; & eo majori periculo se exponere, quo longius ab illis recedunt.

dunt. Virtutes enim genuinæ omnis veræ felicitatis prosperitatisque fundamentum sunt præsidiumque (§. 381 & 400 *P. I. Phil. pract. univ.*). Quapropter & consiliarii, & aulici ministri, & vicarii, quo altiori loco sunt positi, eo magis omnium virtutum studio incumbere debent, quo feliciores constanter esse cupiunt, & quo profundius cæteroqui cadere possunt. Neque sui tantum causa tales se gerere debent, sed etiam Dei & rectorum civitatis causa, quibus ut summis benefactoribus & autoribus fortunæ suæ eo gratiores se præbeant par est, quo majori donati sunt sublimitate (§. 39 *P. IV. Jur. nat.* & §. 784. *Psychol. empir.*). Immo & alios cives quoscunque, quo sunt celsiores, eo plus exemplo virtutum suarum perficere possunt debentque (§. 639 *P. I. Jur. nat.*). Quod si faciunt pro viribus, & a dolo & culpa immunes erunt (§. 699 *P. I. Philos. pract. univ.*) & (§. 680 *jurid. P. II.*). Jure igitur nihil a quoquam metuendum habebunt.

Contra ea dum in publica vivunt luce, & inter tot argorum oculos, quorum alii meritis suis, alii quoque invidia & pravis artibus altius adspirare, &, quos editiori loco positos vident, amovere student, spe illo loco potiundi, aut & vindictam tantum suam satiandi: eo majori lapsus gravioris periculo se exponunt, quo incautius aut lubentius a virtutum tramite vel sponte sua aberrant, vel abduci se & corrumpi ab aliis huc intentis patiuntur, in suammet ruentes perniciem. Sero nimis tum experiuntur, vitio deditos in lubrico, etsi summo, loco versari, ac perpetuo felices prosperosque esse non posse (§. 403 *P. I. Philos. pract. univ.*). Reliqua ex hic præmissis cuique in mentem venient.

Egregie *Cicero* monet *L. I. de Off. c. 26.* In rebus prosperis & ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam, fastidium, arrogan-

rogantiamque magnopere fugiamus . . . . Recte præcipere videntur, qui monent, ut, quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus. Conf. *Livius L. 45. c. 8.* „Hinc tanto major cura ipsis adhibenda est aulicis, ut constare in vitæ flore & perpetuitate possint sibimetipsis, nec in ullo officio claudicare. Quare omnino, qui reip. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reip. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. *c. 25. ibid.* Adhibenda quoque est *sec. c. 28.* quædam reverentia adversus homines & optimi cujusque & reliquorum. Nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti. Id observando & mediocre ingenium bene præfuit, utendo nonnullis, qui, quid omnes laudarent & optarent, ad ipsum deferrent, ut id, si fieri posset, præstaret. Consultum idcirco quoque est, ne opulentia, potentia, & asseclarum multitudine se suspectos reddant, multo minus eo rem deducant, ut suum nomen supra principis extollatur, quod maxime periculosum esse recte statuit *Tacitus in Agric. c. 39.* Ideo adversus fortunæ obsequia tam cauti esse debent, quam qui cautissimi, cuncta sine jactantia & ostentatione agere, dissimulare suas virtutes, velut soles in nubibus, more Pisonis, non pervicaces adversus peritos, multo minus propter privatas simultates remp. in discrimen adducentes.

Multa præstant eorum exempla, qui discedentes ab officio misere perierunt. *Forstnerus ad Taciti annal. L. III. c. 30.* meminimus, inquit, in Gallia, Bironium, & Concinum Ancræ Marchionem, in Hispania Lermæ ducem, in Anglia Sommersetum, in Belgio Olden-Barneveltum, in Germania Melchiorem Cleselium, omnes de summa dignitatis arce deturbatos. Quibus addi potest Hamannus, Ioabus, Sejanus, Comes de la Garde, Theodorus Regis Christiani II. Petrus, Comes de Greiffenfeld, Christiani IV. in Dania Ministri, Ferrandus Valenzula, Alberonius, aliique complures.

§. 570.

§. 570.

Si qui innocentes, volentibus aut invitis rectoribus civitatum, de suæ dignitatis gradibus dimoventur, illi propterea infelices non evadunt, sed calamitatem sentiunt sibi profuturam. Si enim sunt innocentes, nullo vitio talem adversitatem meruere, neque ideo infelices erunt (§. 406 *P. I. Philos. pract. univ.*), neque per infirmitatem (§. 408 *ibid.*), aut culpam tales dici possunt (§ 685. *P. II. Ejusd.*). Quidquid ergo ipsis contingat, id læto animo subire possunt, apud Deum & homines, recte rem æstimantes, carissimi & laude dignissimi futuri, calamitatem vero sibi profuturam patienter fortiterque subituri. *Et felicitas in calamitatibus salva.*

Caracalla Celebrem ICtum *Papinianum*, teste *Spartiano c. 8.* ideo occidi jussit, quod dixerat, non adeo facile defendi fratricidium, quam perpetrari. *Ioannes Baptista* simile fatum expertus est, quoniam fas esse negaverat fratris uxorem in matrimonio habere. Cui haud dissimile est fatum *Thom. Mori* in Anglia, divortium regis improbantis, autore *Sleidano L. IX. Comes Sancerræ* pari de causa capitalem sententiam Ludovici, principis Condæi, a Francisco Rege latam, subscribere supplex & in lachrimas effusus deprecatus est, rogans, ut sibi potius caput amputetur, quod *Thuanus* narrat *Lib. 26.* Quæ in extremo casu facta docent, quid conveniat in aliis, ubi reges vel inviti cedunt invidiæ aliorum, uti in *Danielis* & sociorum fatis talia habentur *c. VI. & III.* Rari enim sunt, qui ad instar Neronis degenerant, ut vel Burrho & Seneca carere, quam uti malint, & rogantibus quietem denegent, complexu & osculis, aliisque blanditiis odium velantes, uti habetur in *Taciti annal. L. XIV. c. 51-56.*

SECTIONIS II.

CAPUT III.

DE

Magiſtratibus prudenter adhibendis.

§. 571.

Quis recte applicet præſcriptas leges?

Oſtenſum eſt ſupra §. 362., inter civitatis pacatæ vicarios Rectorum civitatis, dari debere magiſtratum, cujus partes in eo ſunt poſitæ, ut ſecundum modos bene regendi remp. jam inventos & præſcriptos, bene præſit, & eosdem ad caſus ſibi occurrentes rite ac quam optime applicet. *Applicare* autem *rite præſcripta* is dicitur, qui ea ipſe accurate obſervat ac agit in partibus regiminis ſibi concreditis, quæ legibus ſunt præcepta, & omittit, quæ iisdem ſunt prohibita; item, qui aliorum actiones ita dijudicat, ut leges jubent. Quod dum prævio examine diligenti facit, legibus obtemperat, vel ſatisfacit (§. 120. *P. I. Phil. pract. univ.*). Id circo bene applicaturus leges, operam dare debet, ut iisdem ex aſſe ſatisfaciat, & obſequatur (§ 516. *P. II. Phil. pract. univ. in not.*).

§. 572.

Hypomnema de magiſtratus definitione latiori.

Uſurpatur magiſtratus nomen modo latius, modo ſtrictius. Latiori ſenſu magiſtratus eſt civis, cui partes quædam imperii exercendæ committuntur a ſuperiore in civitate (§. 162. *P. VIII. Jur. nat.*). Qui latiſſime ſenſum extendunt, quotquot gaudent jure imperii in civitate exercendi, magiſtratus vocant, & ſic quoque regem, & collegium optimatum in Ariſtocratia, vel regem & ordines in regno temperato, &c. ſummum dicunt magiſtratum. Sed ob diverſitatem juris proprii & delegati præſtat, ab eo ſignificatu, cui nomina propria non deſunt, abſtine-

ſtinere. Latiori illo ſenſu omnes magiſtratus forent, quorum miniſterio in adminiſtrando imperio utitur ſuperior (§. 163. *ibid*). Vnde Proreges, miniſtri, principes, conſiliarii, legati, belli duces, aliique etiam forent magiſtratus. Sed cum & his ſua ſint nomina uſu recepta, ac jura diverſa, *hic inhærebimus* eo lubentius *ſtrictiori uſui* (§. 562.), quo ille & Romanis eſt receptior frequentiorque; nec deſerit, ſed includit latiorem.

Varro de Ling. lat. IV. 14. docet, magiſtrum populi dictum eſſe dictatorem, reliquos, hoc magiſtro minores, magiſtratus, ut ab albo albatus. Ita & *Cicero de Legibus Lib. III. c. 1.* videtis, magiſtratus hanc eſſe vim, ut præſit præſcribatque recta & utilia & conjuncta cum legibus. Vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus, vereque dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum. „Vbi etſi non omnia exaſciata ſunt, id tamen facile ſuppleri poteſt & explanari. Ex Romanorum placitis diſcernebantur magiſtratus tum ab imperio, tum a poteſtate. Vbi eos inveniemus, inquit *idem in Lælio c. 17.* qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes, amicitiæ non anteponent? . . imbecilla enim natura eſt, ad contemnendam potentiam. *Suetonius in J. Cæſ. c. 54.* Abſtinentiam neque in imperiis, neque in magiſtratibus præſtitit. Magiſtratus nempe, docente *Pomponio l. 2. ff. de orig. Jur.* (*concrete*) eſt, qui juri dicundo præeſt. *In abſtracto*, ut ſupra, dignitas & munus jus dicendi ſecundum leges. Subauditur, quod Cicero habet, qui populo (rom. in urbe) præeſt. Qui extra urbem in provinciis eidem præerant, dicebantur poteſtates; qui exercitui præerant, iis imperium vindicabatur, a quo imperatores dicti. Diſerte de *Claudio c 23. Suetonius*: Jurisdictionem . . . per provincias poteſtatibus demandavit. Sed mox etiam, qui extra urbem jurisdictioni & exercitio imperii præfecti erant, magiſtratus dicebantur, uti *in Verrem IV. c. 61. Tullius* ſcribit: venit ad me Heracliusis, qui tum magiſtratum Syracuſis habebat, qui ſacerdos Jovis fuiſſet . . . *C. 62.* In curiam venimus: Honorifice conſurgitur, nos rogatu magiſtratus

affedimus. *C. 65.* Prætor appellatur. At quis appellat? Magistratus aliquis? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracufanorum aliquis? Minime . . . Quibus verbis magiftratus poftremo pro perfona, tum pro collegio Senatus, & primo pro munere accipitur.

§. 573.

Quæ in eligendis magiftratibus attendenda fint?

Quoniam magiftratus vicarii funt rectorum civitatis, neceffarii ad recte applicanda & adminiftranda ea quam optime, quæ jam inventa funt, falutaria reip. pacatæ inftituta, ubi ipfi rectores id facere non poffunt (§. 361. *feq.*): *oportet, ut in eligendis magiftratibus attendatur, num fatis dilucide inftituta præfcripta vel nota fint, quæ fequi debent, num ea intelligant, quantum fufficit, ut obfervare poffint, num teneant modum ea recte applicandi, num denique conftanti & perpetua gaudeant voluntate præfcriptis fatisfaciendi & longo ufu comprobatis?* Huc enim redeunt in his, quæ fupra oftendimus in vicariis dignis dari debere (§. 377. 379. & 382.).

Capite 1. hujus *Sectionis* præmiffa hic funt repetenda, ut paucioribus ea abfolvi poffint, quæ hic monenda reftant. Quisquis vult confequi finem, ea nolle nequit, fine quibus is vel omnino, vel melius obtineri nequit (§. 941. *Ontol.*). Sed fi ignotum fit, quid velint rectores civitatis, ut falutis publicæ caufa fiat a magiftratibus, injungere nequeunt, ut faciant ignota. Præfcribere ergo diferte illa debent, quæ ex confuetudine, dudum ufu recepta & pervulgata, conftare illis nequeunt.

§. 574.

Leges fcriptæ & non fcriptæ quales effe debeant?

Inftituta falutem publicam quam optime procurandi, magiftratibus civibusque pro regula actionum civilium obfervanda, funt leges civiles (§. 965. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ fi literis perfpicue confignatæ funt, appellantur *fcriptæ;* fi ufu longo receptæ, *non fcriptæ*, feu *confuetudines civiles.* Ambæ quatenus recte fe habent, naturalibus Dei legibus nequeunt repugnare

gnare

gnare (§. 973. *ibid.*). Si vero repugnant, vel per inscitiam temporum, quibus latæ aut receptæ sunt, vel per insecutam depravationem; aut abrogandæ sunt, aut, quatenus bono communi seu adversantur, seu non satis inserviunt, emendandæ, ubi lux major affulsit (§. 972. *ibid.*).

Possent & leges naturales non scriptæ, sed natæ & insitæ menti humanæ & naturæ cum *Cicerone* vocari, *pro Milon. c. 4.* ac *de Legg. L. I. c. 7.* Sed quia de civilibus hic sermo est, usitatius est, ut consuetudines publicæ leges non scriptæ dicantur, quæ differunt a privatis consuetudinibus, item clandestinis, pravisque. Dicuntur ejusmodi leges non scriptæ aliis jus tacitum, usus fori vel judicii antiquus, das Herkommen. *Isocrates ad Nicoclem* ait: edicta & instituta vitiosa loco move & muta, optimorum inventor.

§. 575.

Quales esse debeant plerumque leges?

Cum ex antecedentibus constet, in omni negotiorum publicorum genere, quæ frequenter occurrunt, & haud vulgare ad salutem publicam vel emolumentum & adjumentum, vel obstaculum afferre possunt, opus esse legibus civilibus, ex theoria earundem (*Cap. V. P. VIII. Jur. nat.*) petendis: hic tantum notamus, nisi necessitas aliud requirat, propter corruptissimos mores, ut leges civiles facile capi possint, opus esse, ut *sint breves, perspicuæ admodum, paucæ, ac generales, & inter se concordes.* Brevitas & paucitas conducit memoriæ, ut facile memoria arripi & retineri possint, ut præsto statim sint, cum ad negotia sunt applicandæ, ut fieri par est (§. 362.). Perspicuitas requirit & vocabula propria usuque recepta in se & in constructione, quibus obvia clara notio respondet, & rationes applicationis probatu faciles, quæ veris, sed probatu difficilioribus, ut plurimum æquipollent (§. 986. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia leges sunt regulæ, secundum quas membra societatis obli-

gantur determinare ſuas actiones in illis, quæ communis boni cauſa conſtanter ac ſemper eodem modo fieri debent (§. 45. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*): liquidæ veritatis eſt, leges civiles paucitatis cauſa valde generales eſſe debere. Denique quia leges civiles e naturalibus ſunt petendæ, quæ amiciſſime conſentiunt (§. 574.); eas inter ſe quoque concordare oportet (§. 989. *P. VIII. Jur. nat.*).

Dudum *Iſocrates ad Nicoclem:* ſi optima invenire nequis, imitare, quæ apud alios recte ſe habent. Leges quære in univerſum æquas & utiles, & inter ſe conſentientes (σφισιν αυτοις ὁμολεγομενες), atque etiam tales, quæ & controverſias civium quam pauciſſimas, & compoſitiones, quam fieri poteſt, celerrimas efficiant. Negotiationes effice lucroſas, lites vero detrimentoſas, ut has fugiant, illas appetant. De controverſiis ſententias neque ad gratiam ferto, neque inter ſe contrarias, ſed de iisdem rebus ſemper eadem decernito. *Idem in Areopag.* multitudinem, ait, legum eſſe ſignum civitatis male ſe gerentis. Vbi enim delicta copioſa aggeribus quaſi objectis ſint coërcenda, ibi oportere leges cumulari. Decere autem magiſtratus, non porticus implere legibus, ſed efficere, ut cives animis inſitum habeant juſtitiæ ſtudium. Homines male inſtitutos leges etiam exquiſitiſſimas negligere, recte autem educatos bonis legibus ſponte obtemperare. *Seneca Ep. 94.* legem, inquit, oportet eſſe brevem, quo facilius ab imperitis teneatur. *Tacitus Annal. L. III. c. 27.* ubi corruptiſſima reſp. facta, plurimæ ſunt leges ortæ. Quemadmodum ubi multi ſunt morbi, ibi multis opus eſt medicis medicamentisque: ita ubi maxima eſt injuſtitia, ibi multis legibus eſt coërcenda. *Stob. ſerm. 41.*

§. 576.

Legum amplitudo eſt loco multitudinis.

Amplitudine legum ſuppleri poteſt ac ſolet, quod multitudini earum deeſſe videtur. Amplitudo legum adeſt, dum generalia complurium legum principia adhibentur, e quibus innumera facile

cile derivari possint, quæ eminenter leges civiles dici merentur, uti leges motus (§. 303. *Cosmolog.*). Tam amplæ igitur leges plurimas alias complectuntur, ideoque supplent, quod multitudini deesse videtur, vel earum amplitudo est loco multitudinis. Juvabit hæc nonnullis illustrare exemplis.

§. 577.

Magistratus agat ut neminem celaturus.

Magistratus ita omnia agant, quasi neminem quidquam sint celaturi, & quasi præsente rectore civitatis agerent, immo uti intime præsente Deo agere decet. Jubet illud studium perfectionis, quantum datur, seu vitæ perfectæ (§. 9. & 30. *P. II. Philos. pract. univ.*); jubet propria securitas & reverentia aliorum, præsertim optimorum & civitatis rectorum (§. 569.); jubet multiplex facilitas, qua, teste experientia, sæpe produntur, aut mirifice innotescunt studio occultata; jubet denique Dei omnia intime perspicientis falli nescia scientia (*P. I. Theol. nat.* §. 302.), & summa justitia (§. 1070. *ibid.*).

Inculcavit similia suo ævo *Isocrates ad Demonicum:* omnia ita te facere para, quasi neminem sis celaturus: etsi enim quidpiam occultaris in præsentia (παραυτίκα), postremo tamen innotescet. Et *in Nicocle:* probate actiones, & putate malas esse, quas ignorari a me velletis. Et ante hæc: cujus rei unusquisque vestrum sibi conscius fuerit, eam ne me quidem clam fore existimet. Nam etsi corpus meum præsens non fuerit, mentem tamen meam putet singulis, quæ fiunt, adesse. Efficacius ante ipsum id urget Josaphat 2 *Chron.* XIX, 6. *seq.*

§. 578.

Qualis esse debeat erga subditos.

Tales sint magistratus erga alios sibi subjectos, quales erga se esse velint rectorem civitatis ipsumque Deum. Vnusquisque enim quod jure suo sibi non vult, aut vult fieri, ab aliis sibi obligatis, id quoque aliis non facere, vel facere debet, quibus itidem obligatur (§. 98. *seq. P. I. Jur. nat.*). Qua propter quales erga se

ſe eſſe volunt rectores civitatis, tales & ipſi magiſtratus ſint erga ſibi ſubditos oportet. Quod iterum multo fortius ſtringit, ſi loco rectorum civitatis ponamus Deum, contendentes, ut tales eſſe debeant erga eos, qui ipſis ſubſunt, qualem in ſe experiri cupiunt Deum, regum omnium regem. Quæ regula etiam rectoribus civitatum tenenda (§. 338 *P. I. Polit.*) & (§. 125.).

Nicocles ab *Iſocrate* ita ſiſtitur verba facere: Tales erga alios vos præbere debetis, qualem erga vos me eſſe vultis, οἷονπερ ἐμὲ περὶ ὑμᾶς ἀξιοῦτε γίνεσθαι . . . Rurſus: Quæ vobis ab aliis fieri ægre fertis, eadem aliis ipſi ne feceritis. Item *ad Demonicum:* talem te præbeas delinquentibus, quales in te delinquentem alios eſſe velles.

§. 579.

Qualis erga Principem?

Quales erga ſe eſſe cupiunt magiſtratus alios, quibus præſunt, tales & ipſi ſint erga rectores civitatis. Id quod eodem fere modo evincitur, ac §. 578. factum eſt.

Ita dictus *Nicocles* ſub finem diſſerit: caput eſt omnium, quæ diximus, quales exiſtimatis eos, qui vobis parent, erga vos eſſe oportere, tales vos erga meum imperium eſſe debetis. Quæ ſi feceritis, & veſtras opes creviſſe videbitis, & meum imperium auctum, & civitatem eſſe factam felicem.

§. 580.

Quorum virtutes ipſis imitandæ ſint?

Magiſtratus ſtudeant virtutibus, uti optimos quosque æmulari, ita & reges imitari, Deumque. Neque enim niſi virtutum ope bene gerere partes regiminis ſibi demandatas poſſunt (§. 379. & 411.). Quare ſtudendum ipſis eſt, ut virtutibus, quibus poſſunt, excellant, ideoque optimos æmulentur magiſtratus, qui nunc ſunt, aut olim fuerunt, aut & extra magiſtratum virtutibus eminuere; imitenturque optimos reges, vel rectores civitatum, ſuum præſertim, cujus vicibus funguntur, & ſimiles eſſe debent (§. 368. *ſeqq.*) & quemadmodum ipſi debent autarchæ, ſummum numen (§. 90.).

Regum

Regum mores imitare, infit *Isocrates ad Demonicum*, & ad eorum studia te confer, ut eos probare & æmulari videaris. Vnde fiet, ut & populus de te melius existimet, & tu illorum benevolentiam erga te confirmes.

§. 581.

Fugiendum ministerium & usus improborum.

Caveant sibi magistratus ab usu & ministerio improborum. Improbi enim vitiis sunt dediti, iis denique indulgent, præsertim si impunitatem sperant, prout omnis ævi memoria testatur. Quidquid igitur illi designant, id tribuetur ei, in cujus sunt ministerio, saltem dabitur illi vitio, quod his utatur, & talia indulgeat (§. 678. *P. I. Philos. pract. univ.*). Vix enim erit quisquam, qui sibi persuadeat, id fieri ipso prorsus inscio, præsertim si sermones & rumores de his non sint obscuri, nec illi nequam vel magnopere celent vel metuant sibi. Ne igitur magistratus ob aliena vitia accusentur, aut suspecti fiant, cavere sibi prudenter debebunt ab improborum commercio, familiarique ministerio.

Ad Demonicum Isocrates: Magistratum adeptus, nullius improbi ministerio vel opera in obeundis negotiis utitor. Nam quidquid ille deliquerit, id tibi imputabitur (σοὶ τὰς αἰτίας ἀναθήσουσιν) . . . . Magis cave reprehensionem quam periculum. Nam ut vitæ finis improbus, sic bonis viris ignominiosa. Quare *Nicocli* consulit *Isocrates:* diligenter inquirito in eos, quibus familiariter uteris, teque scias talem ab omnibus, qui consuetudine tua non utuntur, judicatum iri, quales illi fuerint (ὅμοιον σε τοῖς χρωμένοις νομοῦσι). Sic alios iis præfice rebus, quas ipse non geris, ut tibi adscribendum scias, quidquid illi fecerint.

§. 582.

Studendum innocentiæ apertæ.

Tam innocenter præsint suis partibus, ne quis calumniæ vel suspicioni speciosæ locus relinquatur. Nullum quippe firmius præsidium est felicitatis ipsa innocentia (§. 570.), quæ virtutis debetur perfectioni (§. 406. 495. *P. I. Phil. pract. univ*), & neminem

ullatenus lædit (§. 689-712. *P. I. Jur. nat.*). Non habent ergo magiſtratus, cur ſibi metuant vel ab accuſatione, vel a calumnia, quam facta luculenter refellunt, & perſpecta omnibus innocentia vitæ. Et quo apertiora illa omnia ſunt, quo melius improborum conſortio abſtinent (§. 581.), eo minus vel ſuſpicioni anſa dabitur his, qui præ odio aut invidia cuperent nocere.

Innocentia, ut integritas (§. 378.), pæne omnes includit virtutes morales. Innocens enim nullo facto ſuo pœnam meruit (§. 1085. *P. I. Jur. nat.*). Quod quia non tantum de pœna humana vel civili capiendum eſt, ſed & de divina: innocens expers eſt doli & culpæ in facto, de quo agitur. Prout innocens merito dicitur, qui ad factum ejus, qui alterum læſit, nullo modo concurrit, qui nec alii nec ſibimet nocuit violando officia erga ſe, nec Deo, officia erga illum omittendo, vel iis contraria committendo. Vnde vere innocens, qui nullius culpæ eſt reus; & *innocentia eſt* immunitas a culpa, oritur e cuſtodia conſcientiæ rectæ, certæ, & tutioris, ideoque ex cultura & ardore virtutum præſertim moralium in liberis actionibus quibuscunque. Germani ipſo nomine Unſchuld denotant vacuitatem a culpa, nedum a dolo. *Nicocles Iſocratis* ideo præcipit: ne ſtudeatis occulte & callide gerere remp. ſed ita ſimpliciter & aperte, ut ne quis, etiamſi velit, vos calumniari queat. Talis fuit Daniel cum ſociis ſuis in aula Babylonica Nebucadnezaris *Dan. III, 8. ſeqq.* & Darii *Dan. VI, 4. ſeqq.* Quemadmodum ibidem *Iſocrates* addit: Felices putate non eos, qui clam habent maleficia ſua, ſed qui nihil delinquunt. Par enim eſt, alteros meritas ſcelerum pœnas daturos, alteros factis ſuis præmia digna percepturos . . . Fugite non tantum peccata, ſed etiam ejusmodi ſtudia, quæ ſine peccati ſuſpicione eſſe nequeunt . . . Freti eſtote non tam mea clementia, quam veſtra innocentia ſeu virtute. De Attico *C. Nepos* narrat, quod ſuſpiciones quoque criminum vitarit. *Tullius pro Planc. c. 25.* Populus romanus deligit magiſtratus, quaſi Reip. villicos, quorum virtute & innocentia contentus eſt.

§. 583.

§. 583.

Ad conſuetudinem civilem, legis inſtar habendam, ut plurimum requiritur, ut ſit rationalis, publica, frequens, nec interrupta contrariis, multo minus abrogata. Rationalis vel conſentanea rationi eſſe ideo debet, quod legibus naturalibus, quæ ſummæ rationi ſunt conformes, neutiquam debet repugnare, ſi inſtar legis non ſcriptæ eſt habenda (§. 574.). Si clandeſtina fuerit, ignota erit, legis loco nequaquam habenda; ſi privata tantum, privatus is leges ferre nequit, dum non eſt omnibus ſuperior in civitate (§ 813. *P. VIII. Jur. nat.*). Publica igitur eſſe debet, quæ omnibus ſaltem plerisque conſciis & approbantibus, aut concedente & conſentiente ſaltem tacite rectore civitatis, introducitur. Vnicus actus nondum poteſt dici conſuetudo, quanquam initium ejus fieri poteſt. Conſuetudo proprie vel formaliter accepta eſt habitus agendi ſecundum confuſam determinationem priſtinam (§ 923. *Pſychol. empir.*). Habitus autem nonniſi prævio exercitio adquiritur (§. 410. *ibid.*), & exercitium iteratio eſt actuum homogeneorum (§. 195.). Hinc improprie vel materialiter conſuetudo dicitur iteratio ejusdem naturæ actus, & ſunt, qui ad minimum duos actus ad civilem conſuetudinem requirunt. Si autem & diſſimiles actus & contrarii aliis interceſſere, conſuetudo interrupta per contrariam vi legis carebit. Comparari tamen inter ſe frequentia actuum ſimilium & diſſimilium poterit, ut liqueat, num certa ratio & conditio doceat, diverſas eſſe conſuetudines illas. Quando autem non gaudent fixa ratione illæ diſſimiles actiones, lubrica erit conſuetudo aut vaga, vel nulla. Quod de abrogata multo eſt manifeſtius.

Requiſita conſuetudinis civilis.

Quia conſuetudines ſunt leges non ſcriptæ, illæ vix aliter quam ex praxi ipſa pervulgata ante diſcantur, quam obſervandæ ſint magiſtratui, aut ab alio in praxi dudum occupato, & fideliter omnia communicaturo. Vbi plures ſunt ſuffragantes,

ibi ſenſim ex propria praxi diſci poterit id, quod alii ſequuntur, tanquam conſuetudine receptum, ſi id memoriæ mandet, vel diligenter connotet. At ſi uni ea gerenda ſunt, oportet ut antea mores recepti conſtent, quam agi ſecundum illos poſſit. Non abs re tamen erit, ſi moribus recepta a peritiſſimis conferantur, & confirmata ſatis ſaltem in mſto ſerventur, ne in uſu, quæ recte habebant, degenerent, & ideo abroganda penitus ſint, bonis ſimul cum pravis ſublatis.

§. 584.

Quomodo exploretur legum intellectus Candidati?

Num intelligant futuri magiſtratus, ut par eſt, leges ſcriptas & non ſcriptas, id per ſe judicaturo patebit vel ex præcedente functione, ſi qua gaviſi ſunt; vel ex prævio brevi examine præcipuarum non nimis uſitatarum, vel difficiliorum, objectis etiam dubiis quibusdam, e quorum reſolutione pateat, num rationes legum quoque ſint perſpectæ. Neceſſe nimirum eſt, ut magiſtratus bene intelligat leges in regimine ſibi commiſſo applicandas, nec eligendi ſunt, niſi de quibus conſtet, eos illas intelligere (§. 364. & 573.). Id vero ex parte quidem aliorum fide dignorum teſtimonio conſtare poteſt, qui ipſos penitius norunt (§ 413. & 427.), certius tamen conſtare nequit, quam propria ſeu experientia ante ita actorum, ut leges recte intellectas eſſe liqueat; ſeu inquiſitione ope inſtituti examinis accuratioris, quale hic ſuggerimus, vel eidem æquiparandi ſpeciminis in cauſa difficiliori edendi proprio marte (§. 422. *ſeqq.*).

§. 585.

Quomodo eas recte applicandi ratio inſtituenda?

Modus rite applicandi leges nititur ſyllogiſmo practico, cujus propoſitio eſt lex bene intellecta; aſſumtio factum rite exploratum, ut, quantum pote, diſtincte, certo aut probabiliter admodum liqueat. Neque enim aliud tunc notat *applicatio legis*, quam judicium verum de facto probe cognito ſecundum leges formatum (§. 516. *ſeqq. P. II. Phil. pract. univ.*) & (§. 571.). Intelligi ergo ejus veritas & probari poteſt ope ſyllogiſmi practici, cujus præmiſſæ ſint

veræ,

verae, &, quantum fieri potest, certae. Cujus generalis formula ita circiter habebit: quaecunque actio ita est comparata, vel non nisi has habet rationes, conditiones determinationesque, de ea secundum leges sic & non aliter est pronuntiandum. Hujusmodi vero est actio rite explorata, de qua nunc agitur; ergo de ea non aliter est pronuntiandum. Conf. §. 789. *ibid.*

Ex antecedentibus constat, in assumtione hic intelligendas esse leges civiles scriptas & non scriptas, quarum indolem supra exhibuimus. Quae cum naturalibus non debeant repugnare, in subsidium quoque vocandae sunt aliae leges communes, quae praeter privilegia & statuta loci propria antiquasque illius consuetudines legitime receptas, vel injunctae sunt a Rectore civitatis, vel dudum usitatae. Sic dantur praeter privilegia, statuta, aliasque leges & consuetudines proprias, leges provinciales, quae per integram provinciam obtinent, quatenus illis per leges proprias non est derogatum, leges regni aut universae reip. tunc consulendae, quando nec propriae nec provinciales, exceptionem offerunt (§. 287.). Interdum & leges peregrinae communes in supplementum legum propriarum sunt receptae (§. 968. P. VIII. Jur. nat.), uti passim leges civiles romanae tanquam communes usitantur. Communissimae omnium suo quidem merito, nec pro arbitrio humano, sunt leges divinae naturales, normam omnium legum humanarum praebentes, quae & in omnibus civilibus sunt attendendae (§. 275.).

§. 586.

Vtrum modus leges applicandi probe perspectus sit candidatis ad magistratum adspirantibus, nec ne, simili modo explorari poterit, §. 584. Inter plures vero quis praestet caeteris, aut quinam pari fere gaudeat dexteritate, & solertia, id optime innotescet e speciminum majore minorive perfectione & accuratione, quae de casibus paulo abstrusioribus iisdem ex parte, & ex parte diversis ita edere jubentur, ut constet indubie, illa non nisi *Quomodo eadem exploranda?*

 suo

ſuo marte eſſe præſtita (§. 369. 374. 376. *ſeq.* 383. 386 *ſeqq.* 421. 426). Quo minus prævideri potuerunt caſus tractandi ſpeciminis loco, eo melius inſervient documento capiendo. Quæ per ſe tam ſunt manifeſta, ut non indigeant luce ulteriori.

§. 587.

Integritatis exploratio & ſtabilitio. *Conſtans denique & perpetua voluntas candidatorum magiſtratus legibus obſervandis ſatisfaciendi non aliter intelligi & explorari poteſt, quam de vicariorum integritate ſupra expoſitum eſt* (§. 424 *ſeqq.* § 440 *ſeqq.*). Vt de eadem certiora habeantur, addenda eſt quam validiſſima obligatio civilis (§. 462 *ſeqq.*). A qua ſi fraudulenter recedatur, adhibenda ſunt remedia, ſcopo, perſonis & tempori præ cæteris aptiora, quæ civili obligationi innexa eſſe ſolent, ipſoque uſu reliquis palmam præripuiſſe deprehenduntur (§. 585 *ſeq.* & 915 *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 588.

Vt legibus ex aſſe conformetur. *Magiſtratus integritas huc potiſſimum redit, ut in partibus regiminis ſibi commiſſis legibus obſervandis, vel ad quas eſt adſtrictus, ex aſſe ſatisfaciat.* Sunt enim hæ propriæ magiſtratus partes, ut leges in partibus regiminis ſibi demandatis quam optime applicet (§. 571). Quod aliter fieri nequit, quam ſi & ipſe eas ſancte obſervet in ſuis functionibus quibuscunque, & aliorum quoque actiones non aliter quam ad earum normam examinet, dijudicet, atque legibus ex aſſe ſatisfaciat (§. *eod.*). Quam ob rem integritas magiſtratus huc potiſſimum redire intelligitur, ut in partibus regiminis ſibi concreditis legibus ſibi obſervandis (§. 514), quam optime poteſt, faciat ſatis & obſequatur.

§. 589.

Magiſtratus non eſt leges Quia magiſtratus integritas huc potiſſimum redit, ut legibus ſibi obſervandis ex aſſe ſatisfaciat (§. 588), *is ipſe ſibi arrogare*

arrogare non debet jus leges ferendi, nisi quatenus id ipsi in rebus mino-ris momenti vel diserte vel tacite consentiente rectore civitatis concessum est (§. 813 *P. VIII. Jur. nat.*) instar privilegii (§. 853 *ibid.*). Hinc si adjuncta est conditio, ne ejusmodi lex valeat, nisi confirmetur a superiore, ut lex jubet, ante illam confirmationem lex condita non obligabit. Si autem tantum id requiritur, ne lex nova aliis receptis repugnet, nec in ullius fraudem & gravamen vergat, illa non valebit, nisi his conditionibus conformata sit; ideoque nemini ansam det, de ea conquerendi, & vel superiorem adeundi, ut eam corrigat aut abroget, vel ejus observantiam ita negligendi, ut in usum deduci nequeat (§. 961 *seq. ibid.*). *ferre, nisi ex concessione.*

Hujusmodi leges esse solent statuta urbium, oppidorum, provinciarum, opificiorum, SCtorum, plebiscitorum &c. (§. 278). De quibus si a multis statuendum est, quot capita tot diversi sensus fere esse solent, ut, quod his prævalentibus autoritate placuit, aliis displiceat, & iisdem præpollentibus abrogetur, saltem pro lubitu mutetur, vel non observetur. Caute igitur utendum est illa autonomia, ne insciis & invitis illis obtrudantur, qui per illas leges sunt obligandi, at sine convictione, illas esse salutares, obligari ita nequeunt, ut lubenter eas observent. Libertas enim naturalis præter rem restringenda non est, præsertim si id non communis sed privati cujusdam aut quorundam boni causa tantum fiat, quod non possunt non reliqui ægre ferre (§. 47 & 814 *P. VIII. Jur. nat. in not.*). Considerandum quoque, num lex lata vel statim, vel data opportunitate possit querelæ justæ locum dare, per quam superior moveatur ad eam reprehendendam aut abrogandam, vel num aliis modis irrita sit futura (§. 970 *seq. ibid.*). Talia enim autoritati magistratus non respondere, liquido constat.

§. 590.

Etiamsi leges in civitate conduntur a superiore vel ejus indultu a magistratu, nequeunt tamen pro arbitrio ferri (§. *Qualis scientia ad leges*

965.

ferendas requiratur? 965 *P. VIII. Jur. nat.*), quanquam ſolis ſubditis (§. 967 *ibid.*); ſed ita ferendæ ſunt, ut non præſcribant niſi ea, quibus commune civitatis bonum obtinetur (§. 969 *ibid.*), & (§. 274 *ſeq.*), nequaquam autem eidem adverſa, quia omne jus ſuperiorum ex fine civitatis metiendum eſt (§. 30 & 141 *ibid.*). *Neceſſe eſt, ut & rectores civitatis & magiſtratus leges laturi abunde perſpectum habeant, quænam actiones communi civitatis bono & flori inſerviant & proſint, quæ vero obſint, item quænam magis & minus, quam aliæ, eidem conveniant aut noceant.* Id ex eo quoque elucet, quia omnes leges civiles ad ſupremam in civitate legem, quæ eſt ſalus publica, collineare debent (§. 86 *ſeqq. ibid.*).

Vel ſumma poteſtate in rep. præditis Leges XII Tabularum, e Græcia, & a Platone potiſſimum inculcatis legibus, petitæ hanc normam præſcripſere: regio imperio duo ſunto . . . militiæ ſummum jus habento, nemini parento. Ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Vid. *Cicero L. III. de Legg. c. 3.* Multo igitur magis reliquis magiſtratibus in legibus condendis ſollicite cavendum eſt, ne quid in leges irrepat ſaluti publicæ detrimento futurum. Quod quia legi naturali repugnaret (§. 86 *cit.*), ſi imperaretur a ſuperiore, non foret obediendum (§. 1044 *ibid.*).

§. 591.

Quorum conſilio ſit utendum? Quoniam ipſe rector civitatis inſtructus eſſe debet ſcientia eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur, fieri autem nequit per finitam hominum indolem, ut omnia negotia publica regenda ipſi vel cum optimatibus intime ſint perſpecta; indiget relatu & conſilio virorum prudentum, qui in ejusmodi negotiorum genere excellunt (§. 998. *P. VIII. Jur. nat.*). Multo magis *magiſtratibus, leges conditturis, ut par eſt* (§. 590.), *incumbit, ut conſulant & adhibeant viros, illarum rerum peritiſſimos, prudentes, bonos & veritatis ſalutisque publicæ amantes, quarum optima agendi norma*

norma est eligenda & legibus injungenda (§. 1000. *ibid.*), cui sponte sua obtemperent.

Notum in vulgus est, omni ævo ad leges condendas adhibitos esse viros præstantissimos, Mosen, Solonem, Lycurgum, Zaleucum, Minoem, cæt. Fieri quidem potest, ut inter plures magistratus uni alterive theoria illius negotii non sit ignota, utque praxi quadam ejus sit imbutus. Quoniam tamen & illi nonnihil humani pati possunt privati commodi causa, & cæteri ipsorum autoritatem vel cœco impetu tanquam in re sibi ignota sequuntur, vel & ex aliis causis diversa & deteriora illis sentiant; neque sic omnis ambitus ejusmodis negotiorum satis habebitur perspectus, ut quam optime de omnibus judicari possit in legibus ferendis (§. 589 *seqq.*). Taceo, non melius leges observari, quam dum optima & saluberrima continere intelliguntur.

§. 592.

Modus leges optimas condendi.

Bene condituris leges & rectoribus civitatum & multo magis eorum vicariis, magistratibus incumbit, ut consulant illarum rerum, quibus leges præscribendæ sunt, peritissimos, prudentissimosque (§. 591). Sed tales non sunt, nisi primum magistri, ejusmodi rerum agendarum scientia & usu præstantissimi (§ 374 *seq.*), iique non peregrini sed potissimum domestici, qui longo suo & majorum usu compertum habent, quibus modis ibi optime floruerint ea negotia, & quibus defloruerint, & ob quas rationes id contigerit, ut judicari possit, num & præsenti ac futuro tempori eadem respondeant (§. 357. 499 *seq.*). Quibus adjungendi rerum connexarum & ex parte oppositarum similes magistri, ne & illis officiatur, dum aliis prospicitur, & præficiendi sunt e magistratu, & hujusmodi rerum haud imperiti, & publicarum peritissimi salutisque publicæ amantissimi, qui illos rationibus idoneis ad æquitatem & concordiam perducant, sicubi emolumenti privati

caufa diffentire deprehenduntur, ut tandem in legibus id eligatur, quod omnibus proficuum, noxium nulli, & omnium florem ex æque procurat (§. 590). Conficitur inde, *magiſtratus non rectius in legibus condendis verſari, quam ſi conſulant rerum, de quibus in legibus ſtatuendum, & connexarum aut contrariarum magiſtros, ſcientia & uſu præſtantiſſimos, & rationibus eorum auditis, expenſis, conciliatisque, id eligant, quod & ſingulis & univerſæ civitati ſaluberrimum deprehenſum eſt, florentiſſimarumque civitatum inſtitutis reſpondet* (§. 288). Neque enim, ut in domo, cum rudibus liberis aut ſervis, ſed in rep. cum liberrimis civibus, adultis & intelligentibus res eſt, qui optime parent, dum ipſorum intelligentiſſimi leges lubenter ſequuntur & commendant.

Poſſunt & ſolent quoque peritiſſimis eorum, qui per leges iſtas ſibi conſuli cupiunt, libera relinqui ſuffragia circa ea, quibus arbitrantur ſibi optime proſpectum iri, ut ex his inter ſe exactius diſcuſſis conſignent ea, de quibus inter ipſos convenit, pro conſilio quodam. Quod ſi tradiderunt magiſtratui examinandum, id, quando opus, cum aliis communicatur, quorum ratio ſimul habenda eſt, ut illi viciſſim ſua dubia, ſi qua habent, aut incommoda ſibi inde metuenda, ob oculos ponere, & magiſtratui pariter inſinuare poſſint. Quibus examinatis, & ſecundum rationes prolatas, prout fieri potuit, conciliatis cum communi civitatis bono, eligi id poteſt in diſſidio, quod æquius eſt viſum, & tam diu pro lege proponi, donec optimus rerum magiſter uſus, vel & aliorum exemplum ſuggerat meliora. Quod in legibus antiquis refingendis aut emendandis non minoris uſus eſſe propter ea, quæ in illis mutanda videntur, haud ſecus excutienda, res ipſa loquitur (§. 289).

§. 593.

Quænam interpretatio Vt magiſtratus legibus ſibi obſervandis ſatisfaciat, recte eas intelligere (§. 573), &, num intelligat, conſtare debet (§. 584),

(§. 584), ut eas rite applicare possit (§. 585), in qua re præcipuæ ejus partes regiminis dantur (§. 571). Qua propter *concedenda est magistratui, aliisque,* qui leges docent, *interpretatio doctrinalis, secundum regulas rectæ interpretationis facienda, ubi ea per claritatem legum habere potest* (§. 829 P. VIII. *Jur. nat.*), & *usualis, in foro recepta, nec a superiore improbata, sed potius comprobata, vel diserte vel tacite,* ratihabendo sententiam secundum eam latam, & ut in consuetudinem abeat, patiendo (§. 831 *ibid.*).

[Margin note:] legum magistratui concedenda?

Vtraque interpretatio dividi solet in ampliantem & restringentem. Quarum illa ob rationem legis perspectam alia inde infert, quæ tacite sub ea latent & comprehenduntur, vel pari gaudent ratione & conditione. Hæc autem verba generalia ad casum verbis legum expressum unice pertinere statuit ob disparem aliorum casuum rationem, vel ne præter mentem legislatoris in ejus præjudicium quidquam admittatur, quod ipsi displiceret. Cæterum si recte facta est interpretatio, illa tenet mentem legislatoris, uti par est, & sic nihil a lege lata diversum habetur. Si vero discedit a mente ejus, & usu invalescit, consuetudo oritur seu lex non scripta, tolerata tamen instar legis illius. Ita Lex XII. Tabularum erat: *in urbe ne sepelito, neve urito:* usu tamen excipiebantur illi, qui ante legem latam virtutis causa obtinuerant, ut in urbe sepelirentur, quod eorum posteri jure retinuerunt, & qui postea virtutis causa soluti legibus id consecuti sunt, ut *Cicero* docet *L. II. de Legg. c. 23.*

§. 594.

Si qua autem lex propter verborum obscuritatem aut ambiguitatem ab aliis aliter accipitur, non potest magistratus eam interpretari sic, ut aliis ea interpretatione standum sit; sed si dubitet, ipse authenticam interpretationem petere debet, vel si, quam putat, probabiliorem sequitur, iis, qui aliter eam accipiendam esse arbitrantur, provocatio ad authenticam interpretationem concedenda erit. Etenim in hoc casu qua-

[Margin note:] Quando ad authenticam interpretationem recurrendum?

quacunque de causa ea deficit claritas, per quam de vera mente legis interpretandi arte præditis ita constare possit, uti §. 593. Idcirco nec doctrinalis nec usualis hic pro lege ipsa haberi potest. Arbitrara igitur illa, quam magistratus in causa vel lege dubia eligit, pro lege haberi nequit, etiamsi ipse sit autor legis. Ita enim ejus lex non valet, nisi quatenus superior eam ratihabet & confirmat (§. 589). Ex §. 963 *P. VIII. Jur. nat.* constat, superiorem irritos reddere posse actus magistratuum, ipsius voluntati non conformes, cujusmodi esse potest & interpretatio illa verborum legis dubiorum aut obscurorum. Multo magis idem valet, si magistratus non est legis autor, sed rector civitatis, authentica ejus interpretatione jure suo utens (§. 819 & 828 *ibid.*), in qua & magistratui & subditis adquiescendum.

Quam ob rem si magistratus de vera mente legis dubitet, nil temere ipsi audendum est (§. 448 *P. I. Philos. pract. univ.*). Antequam ergo ex tali lege sententiam ferat, expetere sibi debet illius authenticam explicationem (§. 828 *P. VIII. Jur. nat.*). Si qua autem mens ipsi probabilior videtur, quam alia, pronuntiare quidem secundum illam potest, sed ita, ut libera maneat provocatio ad interpretationem authenticam, si quis in judicis sententia adquiescere nolit (§. 830 *ibid.*).

Posset quoque in eo casu magistratus aliter pronuntiare, quam verba legis habent, si ex mente & ratione legis perspecta, intelligit, legem ad casum præsentem applicari non posse. Potius enim mentem legis, quam verba sequi debet, si illam exploratam habet. V. g. si quis viginti & unum annos natus sui juris per legem statuatur, intelligit magistratus, rationem hujus legis esse hanc, quia tum intellectus usu gaudere plerisque solent, quo se ipsos regere possint. Nequaquam vero hanc, si vel is homo sit impos animi, & per illam impotentiam animi in

in contractu mirum quantum læsus sit. Petente igitur tali homine, ut a curatoribus liberetur, vel subdole cum eo paciscente, ut contractus impleatur: merito magistratus non exaudiet preces, vel amandabit curatores ejus ad superiorem.

§. 595.

Num sit magistratus interpretari leges fundamentales?

Ne quidem in republica, regnis opposita, aut regno temperato, magistratus est, leges fundamentales interpretari pro suo lubitu, quanquam earum est autor. Quando enim res publica regno opponitur, illa vel est Aristocratia, vel Democratia (131 & 135 *p. VIII. Iur. nat.*), utraque autem vel simplex seu absoluta, vel mixta seu limitata (§. 138 *ibid.*). Jam sive magistratus in republica simplici sive in mixta consideratur, is tamen partes imperii sibi demandatas non exercet proprio nomine, sed nomine superiorum suorum, h. e. in Aristocratia nomine optimatum, in Democratia nomine populi (§. 142 *seq.* 162. 164 *ibid.*). Talis est senatus Democratiæ & Aristocratiæ (§. 190 & 248 *ibid.*). Par ratio est magistratus in regno temperato (§. 262 *ibid.*). Licet igitur hi magistratus e numero eorum sint, qui leges fundamentales condidere, ipsi tamen eas tanquam altera paciscentium pars adversus alteram partem æque interpretari nequeunt, ac reges ipsi eas nequeunt interpretari, (§. 820 *ibid.*), vel omnis populus, (§. 821 *ibid.*), vel collegium optimatum (§. 816 *ibid.*). Sed si lex fundamentalis est interpretanda, id fieri debet paciscendo secundum leges Juris naturæ; ideoque diffidentibus inter se de interpretatione, qui eas pacti instar iniere & recepere, necesse est, ut vel amica compositione, vel transactione, vel per arbitros interpretatio fiat secundum æquitatem naturalem (§. 822 *ibid.*); nisi in sortem compromittant, aut bello intestino ac vi debilior cedat paciscens. Quod & in pactis gentium interpretandis usu venit, quæ leges sunt earum.

§. 596.

Vel dispensare nonnunquam.

Multo minus dispensare vel liberare quenquam possunt ab observatione legis, nisi id ipsis in certis casibus concessum est. Dispensatio enim est permissio actus prohibiti in casu singulari (§. 823) *P. VIII. Jur. nat.*), & liberat quenquam ab ejus obligatione. Quod cum idem sit, ac legem tollere in casu singulari, non est, nisi ejus superioris, qui legem ferre potest, & mutare vel abrogare (§. 824 *ibid.*). Si ergo magistratui nullum est jus legem ferendi, mutandi & abrogandi; nec illi jus dispensandi esse poterit. Quatenus vero illi concessum in rebus minoris momenti leges ferre, mutare & abolere, eatenus & dispensare, vel liberare & eximere ob idoneas rationes quenquam poterit a legis observatione (§. 589).

Ponamus, cuidam magistratui concessum esse jus condendi statuta. Si illis statutis, v. g. jus civitatis denegatum sit cuidam rationi aut religioni ob rationes peculiares plerisque communes; poterit id nihilo secius uni alterive concedi ob merita peculiaria, aut in quo illæ rationes non dantur, qui tum velut ab initio illa lege jam sunt excepti.

§. 597.

Aut suo nomine exercere imperium?

Propterea quod magistratus non suo nomine regunt remp. sed tantum ut vicarii rectorum civitatis delegata gaudent potestate regendi, & bene gerere partes imperii sibi commissas debent (§. 571): *expedienda ipsis omnia sunt nomine sui superioris, a quo suam accepere potestatem, & cavere sibi debent, ne quid in partibus exercendi imperii sibi demandatis proprio nomine agant, sibique proprium imperium arrogent, vel arrogare videantur, pro imperio & autoritate acturi.*

§. 598.

Reddendæ sunt ipsis ra-

Quia magistratus non nisi nomine rectorum civitatis fungi suis partibus debent (§. 597): *ita semper agere debent, ut,*

quoties

quoties requiritur, promte rationes reddere suarum functionum (§. 465), *& luculenter commonstrare possint, se omnia secundum leges egisse* (§. 577 & 588) & (§. 562 *P. VIII. Jur. nat.*). *tiones suæ functionis.*

§. 599.

Dum non suo nomine præsunt imperii publici partibus magistratus (§. 598): *operam omnem dare debent, ut digne tueantur personam rectorum civitatis, nec quidquam agant, quod personæ sibi impositæ dignitatem dedeceat, in partibus imperii sui administrandis.* Neque enim suam tantum dignitatem autoritatemque sibi delegatam considerare debent, quæ & ipsis omnibus virtutibus est exornanda, & illibata atque a contemtu ac vituperio promerito immunis servanda; sed potissimum ejus majestatem paternumque animum, cujus vices gerunt, ne qua in re ab illa sancta salvaque omnino servanda aberrent (§. 739 *P. I. Polit.*). **Recte gerenda est persona superioris**

Bene *Tullius L. I. de offic. c. 34.* scisit: Est proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suæ commissa meminisse . . . . Reperietur, quid deceat, si intelligatur, quid aptum sit personis, temporibus, ætatibus. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioque capiendo servare constantiam. . . ordinem, ornatum ad actionem aptum, ut probemur iis, quibuscum & apud quos vivamus.,, Addo, & quorum nomine agamus. Huc pertinent illa, quæ de autarcharum virtutibus laudibusque supra, & de vicariorum imitandi eos studio (§. 580) inculcavimus.

§. 600.

Probe cavere sibi debent magistratus, ne locum relinquant pravis affectibus suis in partibus imperii sibi commissi exercendis. Affectus enim pravi impetu suo abripiunt homines ad transgrediendum leges naturales (§. 537 *P. II. Phil. pract. univ.*) & civiles, ideoque ad male agendum, & vitia inducunt, & ad culpam varii generis **Caveant sibi magistratus a pravis affectibus.**

generis admittendam, eoque ipſo bonas & legitimas actiones non poſſunt non impedire (§. 538. *ſeqq. ibid.*). Fieri igitur ſic nequit, ut magiſtratus pravis affectibus indulgentes pares ſint rationibus actionum ſuarum ſuperiori reddendis, quibus evincant, eas non niſi legitimas fuiſſe, uti par eſt (§. 598), aut recte ſe geſſiſſe perſonam principis vel rectorum civitatis (§. 599). Potius convicti pravitatis ſuæ pœnas luere promeritas cogentur (§. 587).

§. 601.

Vitandi ſunt affectus pravi.

Cum cœcus amor & favor, æque ac odium immeritum, ira, invidia & vindictæ cupido ſint pravi erga alios affectus, ut e Pſychologia empirica liquet: *magiſtratui non eſt indulgendum vel cœco aliorum amori & favori, vel immeritis odio & iræ, vel invidiæ aut vindictæ cupidini* (§. 600.). Semper iniquus dicitur *Ciceroni pro Planc.* qui aut invidet aut favet.

§. 602.

Quis ſit expers partium ſtudii?

Quisquis non indulget pravis erga alios affectibus, vitiisve, is dicitur *a partium ſtudio alienus* (§. 924. *P. V. Jur. nat.*), unparteiiſch. Nam *partium ſtudium* eſt pravitas affectuum erga alios, & multo magis vitiorum erga alios occultius exercitium, vel vitium pravis affectibus indulgens, quo alterutri parti magis quam alteri favetur. Qui partium ſtudio laborant, illi in ſuis actionibus vel amori vel odio perſonarum aliquid, vel multum tribuunt. Ideo perſonis hoc dediſſe vel tribuiſſe breviter dicuntur, quod ſuo in illos affectui dedere partium ſtudioſi. Iidem diſcrimen perſonarum illicite aut ſepoſita veritate feciſſe perhibentur, quod noſtrates dicunt die Perſon anſehen vel das Anſehen der Perſon, προσωποληψίαν, cui ineſſe aut præeſſe ſolet reſpectus rerum privatarum ſeu utilitatis alterutrius, loco curæ boni communis & publicæ ſalutis (§. 964. *ſeq. ibid.*).

§. 603.

§. 603.

Magistratus sit ab omni partium studio alienus. Neque enim debet indulgere vel cœco aliorum amori & favori, vel odio invidiæque, tanquam pravis affectibus (§. 600); itaque nec partium studio (§. 602.). Necesse ergo est, ut ab omni partium studio sit alienus, nulloque ducatur pravorum affectuum impetu, neque ex cujusquam vel amore vel studio patiatur se abduci a veritate, legum custodia & cura salutis publicæ summa. Nullo igitur personarum discrimine habito adversus leges personis quidquam tribuere aut negare, sed eodem omnes ordine habere, eademque charitate, æquitate & integritate omnibus quam optime consulere debet, nulli præ cæteris æquior iniquiorve, patris instar (§. 599.). *Talis sit magistratus.*

Ita canente *Juvenali Sat. 8.* Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Magistratus nempe tanquam publicus parens in locum liberorum adoptasse (aut accepisse) populum videtur *Floro Lib. I. c. 9.* & *Ciceroni* quasi bonus parens ac tutor fidelis esse jubetur *L. III. de Orator. c. 1.* quem nec studere, nec odisse, multo minus irasci decet. *Sallust. in Bello Catilin. c. 51.* & quæ apud alios iracundia, ea in imperio superbia & crudelitas appellatur. Nec immerito jurant, nihil se gratiæ, nihil precibus daturos, nihil odio. Non interest, inquit *Plinius L. IX. Ep. 13.* cujus ordinis quis sit, sed quam causam habeat. Decet rem ipsam probare in qualicunque persona, ait *Quintil. L. IX. c. 1.* cum offensio optime vitetur æquabilitate decernendi, monente *pro Muræna Cicerone.*

§. 604.

Cum inanis gloriæ studium itidem pravus sit affectus, ut abusus gloriæ & ambitionis fomes (§. 771. *in not. Psychol. emp.*), quæ ambitio recte inter vitia censetur (§. 570. *P. I. Jur. nat.*); pravis affectibus autem neutiquam sit indulgendum (§. 601.): *Abhorreat ab ambitione.*

601.): *in propatulo eſt, abhorrendum eſſe magiſtratui ab inani gloriæ ſtudio, & multo magis ab omni ambitione* (§. 571. *P. I. Jur. nat.*).

§. 605.

Et pudore turpi.

Neque ſiniſtro aliorum judicio magiſtratus ad perverſum pudorem ſe dimoveri patiatur. Quod fieret, quoties falſum eſt ſiniſtrum judicium aliorum, licet ab aliis pro vero habeatur (§. 775. *Pſychol. empir.*). Sic nempe & is affectus foret pravus & turpis, cui nequaquam eſt indulgendum (§. 601.).

Oportet quidem, ut pudori ſerviant, quicunque boni ſunt futuri, autore *Platone L. IV. de Legg.* Sed honeſto, non nimio, quem *Plutarchus* recte malum & noxium affectum dixit, *de vita pud.* . Quis enim vitiis dubitet adſcribere affectum, propter quem honeſta facere pudet, interrogat *Quintil. L. XII. Inſtit. Orat. c. 5.*

§. 606.

Nec metu vano moveatur.

Nec metu malorum aut minarum abſterreatur a recta virtutis via, niſi impar vi cedere prudenter compellatur. Gaudet enim magiſtratus forti præſidio adverſus omnis generis metuenda & pericula, quæ innocenti creari poſſunt, dum vicarius eſt præpotentis divinæ ac humanæ majeſtatis in ſua functione (§. 571.). Nihil igitur eſt, cur vano urgeatur metu, & ab officio recedat, nihil, cur comminationibus ſceleratorum & periculis intentatis abſterreatur a tramite recto partium ſibi curandarum. Si qua autem vis repentina oriatur ab infrunitis & ſeditioſis, cui imparem ſe in præſenti rerum articulo ſentit, ei prudenter cedet, donec bona cauſa triumphare poſſit. Quod & de vi hoſtili valere, me non admonente, patebit (§. 530.).

Omnia ſunt majora vero, metu interprete, ſemper in deteriora inclinato, inquit *Livius L. VI. c. 44.* Non igitur vanis ſed juſtis tantum formidinis cauſis apud viros, qui cum imperio ſunt, & magiſtratus conſtituti, locus eſt relinquendus, ut fortes

esse agnoscantur, & quibus pares sunt conaminibus intrepide resistant, illis tantum prudenter cessuri ad tempus, quibus omnino succumberent, si resistere auderent.

§. 607.

Nec donis & spe cupiditateque habendi.

Nec donis corrumpi se patiantur aut cupiditate & spe eorum, vel ullius alterius illicite consequendi opum incrementi. Donationes enim corrumpendi alterius causæ factæ sunt illicitæ (§. 123. *seqq.* P. IV. *Jur. nat.*), id circo nec dona eo animo facta sunt accipienda, cum acceptio æque repugnaret officio ac donatio. Quare dona a corrumpendi studio profecta, omnino sunt repudianda. Nec minus aviditas & admissio hujusmodi donorum pravo debetur affectui, ac pravus foret affectus grati animi titulo alteri illicite gratificaturus. Par est his pravitas cupiditatis cujusque alterius & spei sub quovis specioso obtentu alterius facultatum detrimento suarum opum incrementa quærendi obtinendique, vel locupletandi se alterius damno, quo repetundarum rei fierent.

Illud est *Tullio pro Cluent.* dicenti, hominis magni atque sapientis, cum illam judicandi causa tabellam sumserit, non se putare esse solum, neque sibi, quodcunque concupierit, licere, sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem. Libidinem autem, odium, invidiam, metum cupiditatesque omnes amovere, maximique æstimare conscientiam mentis suæ, quam ab diis immortalibus accepimus, quæ a nobis dividi non potest. Exemplo est *Epaminondas*, qui *Nepote narrante* inter alia dixit: si rex ea vult, quæ Thebanis sunt utilia, nihil opus est pecunia; si contraria, non habet auri argentique satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ charitate &c. Repetundæ dicuntur erepta aliis & inique accepta.

§. 608.

Quid sit abstinentia & abstinens?

Abstinens vocatur, quisquis alienis per nefas consequendis neutiquam inhiat, nec sponte oblata violandi officii causa,

admittit, ſed citra acciſſandi morem generoſo animo aſpernatur & repellit, ſua ſorte contentus. Hinc *abſtinentia* eſt virtus injuſtam iniquamque opum adquiſitionem fugiens, vel ab illicito quæſtu abhorrens & incorruptibilis (§. 535.).

Sic appellat *Cornelius* Epaminondæ repulſionem donorum hamatorum Artaxerxis abſtinentiæ ejus teſtimonium. Quam noſtrates dicere poſſent die Enthaltſamkeit vel Uneigennützigkeit, quia privati commodi gratia negligere publica nefas ducit. Acciſſare ἀκκίζεσθαι dicitur, qui diſſimulat animum habendi ſub ficta renuentis ſpecie, vel ſimulata tantum abſtinentia. *Conf. not.* §. 569.

§. 609.

Magiſtratus ſint abſtinentes. *Magiſtratus ſint abſtinentes, ſorte ſua contenti, nec illicite ad rem attenti.* Non enim debent eſſe donorum cupidi (δωροφάγοι), nec donis corrumpendi (§. 607.). Rejecta igitur omni δωροδοκίᾳ, debent eſſe abſtinentiſſimi, incorruptibiles, ſorte ſua contenti, nec illicite ad rem attentiores, ſeu rei faciendæ utcunque deditiores (§. 608.), ſimulata ſolum abſtinentia.

§. 610.

Sint memores promiſſi & fidei juratæ. *Magiſtratus ſemper ſint memores in fungendis partibus ſuis & promiſſi ſui, & jurisjurandi exacte obſervandi, ne incurrant in pœnas graviſſimas.* Obligandi enim ſunt tanquam vicarii a ſuperiore ad bene fungendum partibus ſuis, non ſolum fide pacti & promiſſi mutui, ſed & ſanctitatis religioniſque conſcientiæ rectæ cuſtodiendæ & jurisjurandi ſui, cujus violati pœnas ignorare non debent (§. 463.). Ne igitur ullo actu & modo violent jurato promiſſa, omnino ſemper in fungendis partibus ſuis memores eſſe debent promiſſi & jurisjurandi ſui exactiſſime obſervandi, ut decet viros religioſos (§. 538.).

§. 611.

§. 611.

Perquam diligentes & fideles.

Quia magistratus memores esse oportet promissi sui (§. 610.); promittunt autem, se partibus imperii sibi demandatis bene præfuturos esse secundum normam præscriptam (§. 571. & 588.): concludi aliter nequit, quam *diligenter & fideliter admodum magistratus suis partibus injunctis fungi debere* (§. 451.) & (§. 526.).

Idem præcepit *Isocrates in Nicocle*, quem ita loquentem sistit: ideo de me ipso & de cæteris rebus plura verba feci, ne ullam excusationem vobis reliquam facerem, quo minus libenter & alacriter meis imperatis & consiliis duceretis obtemperandum. Jubeo igitur unumquemque vestrum, id, quod sui officii est (*ἐφ' οἷς ἐφέστηκε*), & diligenter & fideliter (juste) administrare. Nam quatenus alterutrum horum omiseritis, eatenus actiones deteriores esse necessum erit. Nihil igitur ex mandatis negligite, neque contemnite, arbitrantes, non esse in eo, quod violetur per se, tantum momenti, sed sic in ea intenti estote, ut sentiatis, singulas partes id efficere, ut res universa bene vel male se habeat.

§. 612.

Ne occulte quidem se contaminantes.

Memoria jurisjurandi commonefaciet semper magistratus, ne vel tam occulte prava designent, ut nulli homini innotescere possint. Est enim jusjurandum invocatio Dei, ut testis de veritate dictorum, & vindicis mendacii ac perfidiæ (§ 852. *P. III. Jur. nat.*). Ea propter & promissi mendacis Deus ut testis & vindex semper est reverendus, ac ab omni perfidia summopere cavendum. Sed omniscium nemo quidquam celare & fallere, etiamsi tam latenter ab officio suo recedere possit, ut argui a nemine possit, nec ultionem humanam unquam habeat metuendam (§. 294. *P. I. Theol. nat.*). Numinis igitur reverentia & conscientiæ religio & ab iis avocare magistratum debet, quæ occultissime perpetrare contra fidem datam posset, cum sciat, occultissimam

pravitatem & nequitiam Deo æque esse perspectam ac apertissimam; ideoque justissimi numinis vindictam & in his sibi esse paratam, nec effugiendam vel propterea, quod eum in se jurando poposcit & provocavit (§. 1070. & 1081. *seqq. ibid.*).

Deliberanda, inquit *Tullius L. III. Offic. c. 8.*, omnino non sunt, in quibus est turpis deliberatio ipsa, atque etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi spes opinioque removenda est. Satis enim nobis, si modo in Philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Hinc ille Gyges inducitur a Platone ex fabula, qui annulo aureo sumto, ejus palam ad palmam convertendo a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; itaque annuli opportunitate usus reginæ stuprum intulit, eaque adjutrice regem Lydiæ interemit, ac sustulit, quos obstare arbitrabatur. Hunc annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi putaret peccare licere, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur. Hæc est vis hujus exempli, si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis causa feceris, si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus? Negat id fieri (moraliter) posse. Multo minus igitur salva fide jurata fieri poterit. Hæc ergo & in abditissimis rebus magistratui semper ob oculos habenda esse patet.

§. 613.

Quid sit prævaricatio? *Prævaricatio* dicitur corruptela cujusdam in contrarias partes. Vti si magistratus se pecunia corrumpi patiatur ab dissidentium parte, neque minus ab altera; vel si in alteram sententiæ partem hoc, in alteram alio pravo affectu rapiatur, v. c. si amore cœco alterius, alterius inimicitia ducatur. Si reus colludat cum accusaturo. Item si advocatus utrique litigantium parti inserviendo utriusque causam male agat, alteri clanculum prodens & inserviens in fraudem ejus, cujus partes

aper-

aperte suscepit. Vnde patet, committi prævaricationem meditate & clam in plures.

Ita *Cicero Partit. Orat. c. 37.* Si in reo pecunia absoluto rursusque revocato prævaricationem accusator esse definiat omnem judicii corruptelam ab reo; defensor autem non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo. In qua contentione etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur. Negat enim probari oportere, eos, qui leges scripserunt, ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere. Nititur æquitate cæt. . . . Defensor autem testatur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet, quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen prævaricationis . . . ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis quasi varie esse positus videatur. *cæt.* „Infert igitur crimen causam prodentis, nec serio quod debet, sed ei contrarium agentis, ut, si dissimulet vel supprimat veras rationes & solidas, nec nisi vanas proferat & ficulneas. Sic *Plinius ad Tacitum L. I. Ep. 20.* infit: frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æque in causis agendis, ut brevias placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat. Alioqui prævaricatio est transire dicenda: prævaricatio etiam cursim & breviter attingere, quæ sunt infigenda & inculcanda. Et *Cicero de Arusp. Resp. c. 20.* A Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur; & *pro Cluent. c. 21.* interdum non defendere sed prævaricari accusationi videbatur.„ Quid hoc est, nisi clam patrocinari & subservire? Inde *Vlpianus de his, qui notantur infam. ff. l. 4.* scisсit: prævaricator est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua, quod nomen labeo a varia certatione tractum ait. Nam qui prævaricatur, ex utraque parte constitit, quin immo ex adversa. „Non vero tantum malæ fidei advocatus, sed & magistratus ampliori sensu prævaricare dicatur.

Ger-

Germanis prævaricatio dicitur eine Unrichtigkeit, Uebertretung latius, strictius eine Zweyzüngigkeit, Zweyächselnmummerey.

§. 614.

Nec occulte prævaricantes.

Abhorreat magistratus ab omni prævaricatione, quæ merito infamiam parit. Magistratus debet esse incorruptibilis, & expers omnis partium studii (§. 602. 607. & 609.). Quapropter multo minus in utramque partem corrumpi & affectibus pravis ferri debet. Sed corruptela in utramque contrariam partem est prævaricatio (§. 613.). Est igitur necesse, ut magistratus ab omni etiam occultissima prævaricatione penitus & perpetuo abhorreat (§. 612.). Quoniam prævaricatio omnis non potest non esse sua indole duplex aut multiplex legis violatio, ea erit fraudulenta & subdola admodum, præmeditata, valde noxia & periculosa reip., nisi coërceatur, admodum frequens, & difficilis impeditu (§. 613.). Sed delicta quo graviora sunt, eo graviori pœna sunt coërcenda (§. 626. *P. VIII. Jur. nat.*), & sunt eo graviora, quo majora & plura afferunt nocumenta & pericula (§. 625. *ibid.*), quo sunt frequentiora (§. 629. *ibid.*), quo majori debentur malitiæ præmeditatæ (§. 631. *seq. ibid.*), quoque difficilius detegi & impediri possunt (§. 630. *ibid.*). Cujusmodi gravior pœna est pœna infamiæ (§. 628. *ibid.*). Luculenter inde efficitur, prævaricationes manifestas infamiam omnino mereri, idque eo magis, quo majoris momenti sunt res, in quibus contra publicam salutem iis peccatur.

Ad minimum duo læduntur prævaricatione, & læduntur tam subdole, ut neuter se lædi opinetur, vel si quid suspicetur, facile evincere possit, se læsum esse. Mirumne igitur, vel hoc solo nomine duplionem luendam esse. Sed cætera, quæ commemoravi momenta, multo plus in recessu habent, ad asperitatem pœnæ & capitis diminutionem, quam romani dicebant, statuendam. Quoniam jus puniendi per se definitum non est, sed ex præsentibus facti determinationibus limites ejus sunt constitu-

stituendi (§. 636. *ibid.*); & si leviores non sufficiunt, graviores sunt adhibendæ (§. 637.): habet & pœna infamiæ suos gradus, gravitati prævaricationis prudenter attemperandos (§. 618. *ibid. in not. &* 620. *seq.*), ne in puniendo modus excedatur (§. 1066. *P. I. Jur. nat.*)

§. 615.

Divisio magistratuum ratione ordinis.

Magistratus ratione ordinis vel sunt alii magistratui subjecti, vel nulli. Priores salutantur *inferiores*, posteriores autem *superiores magistratus*. Hi igitur non subsunt, nisi rectori civitatis, quem proprie magistratum non esse supra ostendimus (§. 572). Quanquam & is rectori civitatis subesse dicitur, qui collegio subest, cujus præses est Rector civitatis, saltem in summi momenti negotiis (§. 291). Nostratibus hi sunt die hohe Obrigkeit, illi die Obrigkeit.

§. 616.

Ratione locorum & rerum.

Ratione regionum seu locorum, quibus præsunt, magistratus dividuntur, ut ipsa loca, v. g. ut alii sint provinciarum, alii urbium, quorum illi provinciales, Landsobrigkeiten, hi urbani magistratus, Stadtobrigkeiten, compellantur. Infimi generis sunt pagani, qui vicis, pagis & agris tantum præficiuntur, die Dorfobrigkeit. Ratione rerum, de quibus coram magistratu nec sine ejus autoritate agendum est, h. e. ratione causarum, alii tractant causas publicas, alii tantum privatas. Publicæ nempe dicuntur, quæ civitatem universam, privatæ, quæ non nisi singulos vel nonnullos cives afficiunt (§. 23. *P. VIII. Jur. nat.*).

Causæ nimirum publicæ pertinent ad exercenda minora majestatis jura, quæ a majoribus & maximis differunt, de quibus §. 77. *P. II. Polit.* diximus, & uberius hic præmisso *Cap. III. Sect. I.* & ad illa majora, quorum nonnihil communicare placuit cum magistratu. E. g. in ultimo supplicio merentibus secundum leges dictando & infligendo; in publica securitate & tranquillitate civium extemplo tuenda &c. Causæ autem pri-

vatæ civibus quibusdam privatis intercedunt, in quibus nec de bono communi, sed de privato consequendo, & de damno privato singulorum aut paucorum vitando vel reparando agitur. In publicis ad communia universorum, in privatis de rebus singulorum agitur, in illis salus publica est suprema lex, in his privata tantum, quatenus illa publicæ non repugnat, sed subest. Causa, inquit *Cic. L. III. de Inv. rhet. c. 6.* est res, quæ habet in se controversiam, & *de Orat. L. II. c. 19.* res posita in disceptatione. Quia publicum vocat, quod universitas vel civitas universa frequentat, patet, quod publicam causam non aliam dixisset, quam nos. *Quintilianus L. I. c. 1.* Crispum in privatis causis quam publicis meliorem dicit.

§. 617.

Subdivisio superiorum. Quoad partes imperii superiori magistratui commissas, illæ vel sunt causæ privatæ & controversiæ civium legibus generatim jam determinatæ; vel sunt solitæ publicæ causæ, moræ impatientes, item legibus nondum definitæ, si qua ipsi est potestas leges ferendi (§. 589.), aut res causæque cæteræ ne quidem controversæ (§. 616.). His præest *senatus*, illis *judicium*, quod græcorum nomine *dicasterium* vocatur, sæpe & *scabinatus*.

Senatus est dominus consilii publici, & reliqui ordines ejus consilio remp. gubernari volunt, cæt. Secundum *L. III. Cic. de Legg. c. 12.* Extincto senatu delectisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus. *L. III. de offic. c. 1.*

Senatus (§. 188. *P. VIII. Jur. nat.*) vocatur cœtus certarum personarum, cui regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ administrationis sunt, vel quæ moram non ferunt, & exsecutio illorum, quæ a superiore decreta sunt, committitur, & qui ad consilium de rebus publicis superiori subministrandum adsciscitur. Sed recte ibi monet nota subjecta, consiliarios a senatoribus distingui. Quo circa opus non est, ut consilii mentio fiat in defi-

definitione senatus, qui tunc simul consiliariis seu adjicitur seu subjicitur. Præter ea & judices a Senatu discernuntur, qui controversias civium vel privatorum cum privatis cognoscunt, decidunt, & victum ad præstanda alteri, ceu victori debita, si sponte obsequi nolit, vi adigunt (§. 540. *ibid.*). Relinquitur ergo, controversias civium privatas, ut leges jubent, excutiendas & definiendas a judice, & exsecutionem sententiæ ad eosdem referri. Restant igitur pro senatu non nisi ea, quæ dixi, si a dicasterio sejunctus est. Potest enim quoque pro re nata cum eodem vel ex toto vel ex parte conjungi, ut v. c. quidam Senator simul sit prætor & præses judicum, exsecutionem quoque sententiarum præstans.

§. 618.

Causæ civium privatæ vel sunt *faciliores*, & apertæ ad legem habitudinis, vel *difficiliores* & occultioris moralitatis, ideoque altioris indaginis. Quæ scilicet operosa indigent discussione & comprobatione eorum momentorum, unde earum dijudicatio pendet, altioris indaginis esse dicuntur. His accuratior perquisitio est adhibenda, ad abditos earum recessus penetrandos, & spatium ad comparationem eorum, quæ liquida fieri debent ope probationum necessariarum, indulgendum. Quæ autem illico per se manifestas ostendunt rationes decidendi, in continenti liquidæ dicuntur, & breviter ac summatim cognosci decidique possint.

Causæ vel faciliores vel difficiliores.

§. 619.

Difficiles causæ vel ad liquidum perduci & manifestari invicta ratione possunt, vel nequeunt. Posteriori casu erunt & manebunt dubiæ aut *incertæ;* priori ope demonstrationis fieri poterunt *certæ* & indubitatæ. V. g. si res ipsæ inspici, mensurari & erui, si argumenta, documenta & testimonia haberi idonea possunt. Hæ perviæ seu demonstrativæ sunt ac pote-

Difficiliores vel pervestigabiles, vel non.

runt perveſtigari; illæ minime, ideoque perplexæ & inextricabiles dici merentur. Vlpianus has vocat ambiguas, illas abſolutas.

§. 620.

Diffidentes vel placabiliores, vel minus.

Ipſi vero cives diffidentes vel proniores ſunt ad concordiam, vel ad diſcordiam. Illi placabiles facili negotio poterunt conciliari; hi ita conciliari ſe non patientur, ſed experiri omnia, & concedere ſponte ſua alteri nihil malent, niſi ad officium redire compellantur.

§. 621.

Vbi utendum ſit amica conciliatione.

Cauſæ in continenti liquidæ, & civium placabilium poſſunt debentque breviter & amice componi. Illæ enim non egent altiori indagine, nec mora, ad rationes probandi inveniendas, diſceptandas, evincendas, & contrarias refellendas, ſed tam manifeſtæ ſunt, ut confeſtim pateant ea, unde queant dirimi, ideoque breviter dijudicari poſſunt (§. 618) & debent (§. 192 *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quæ agitantur inter cives placabiles, illæ ob hoc ipſum etiam breviter & facile poterunt conciliari, ut in æquitate adquieſcant (§. 620). Quare ambæ amica transactione vel compoſitione poterunt & debebunt finiri (§. 869. 878 880 & 885 *P. V. Jur. nat.*) & conciliari (§. 925 *ibid.*).

§. 622.

Quid de cauſis perplexis tenendum?

Cauſæ inextricabiles aut exitum habere non poterunt, itaque prætermittendæ ſunt; aut amice ſopiendæ ſunt. Sunt enim inextricabiles & tam perplexæ, ut ad liquidum perduci nequeant, ſed perpetuo maneant ambiguæ ancipiteſque (§. 620). Quapropter ſi diſceptandæ ſunt in foro, lis exitum habere non poterit, ideoque præſtabit, ut omittatur, & plane ab ea abſtineatur, quam ut fruſtra diſceptetur (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*). Si earum autem cupiatur exitus, uti curandum eſt in civitate, ut omnia negotia, omneſque lites in foro exitum habere

bere poſſint (§ 983 *P. VIII. Jur. nat.*): opus erit promta & amica compoſitione vel transactione, ſive per ſe inita, ſive ope conciliatoris (§. 621) arbitrive (§. 945 *P. V. Jur. nat.*).

§. 623.

Prima notio vel cognitio vocatur ea tractatio cauſæ, quæ ſtudet diſſidentes amice conciliare, ſive eſt inveſtigatio magiſtratus, num amice componi poſſit cauſa. Quia continet periculum amicæ conventionis diſceptaturorum, noſtratibus ein Verſuch der gütlichen Beylegung, vel die Behandlung der Güte dicitur. Primam dico, quia notio quoque de perfecta dici conſuevit *l. 5. ff. de re judicata & l. 99 de verb. ſignif.* ***Quid ſit prima notio?***

Sic *Livius L. 27. c. 27.* contendiſſe Medios, refert, notionem de eo non ad ſenatum ſed ad cenſores pertinere. Sic *Cicero* Clodium, ait, ſuſtuliſſe judicium cenſorium, ac notionem & illud morum ſeveriſſimum magiſterium. De *Prov. conſ. c. 19.* Sunt, qui ſubtilius notionem a cognitione diſcernunt, ut illam more romano ſine jurisdictione fieri arbitrentur, de qua ſententia ipſi viderint. Certe judicio cenſorio ſua non deerat jurisdictio, quam *idem in Piſonem cap. 5.* notionem cenſoriam vocat, quam *cap. 4.* dixerat ſeveritatem cenſoriam.

§. 624.

Prima notio cauſarum nemini eſt deneganda, ſed ſponte impertienda partibus. Etenim licere cuique debet, ut privatim concordiæ ſit ſtudioſus, & juri ſuo in gratiam alterius renuntiet naturali libertate (§. 103 & 106 *ſeq. P. III. Jur. nat.*), vel in totum, vel ex parte tranſigendo. Quare & magiſtratus hoc ſtudium concordiæ & conciliationis amicæ ſua autoritate adjuvare debet (§. 395 *P. VIII. Jur. nat.*), ideo, ut ne negligatur actus externus, curare, &, ne contra legem naturalem agatur, vel legibus civilibus cavere debet (§. 973 *ibid.*), & ſi quid pluribus modis fieri poteſt, eum poteſt præcipere, quem ſentit ***Cui ſit concedenda.***

 eſſe

eſſe meliorem (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*). Cum prima notione inveſtigetur, num amice res componi poſſit (§. 623), pateſcit, primam notionem nemini eſſe denegandam, ſed ſponte partibus injungendam, & publica autoritate promovendam.

§. 625.

Quando ſit ſuperioris magiſtratus. Cum prima notione inveſtigandum ſit, num rês amice componi poſſit, momenta cauſæ præcipua in ea breviter ſunt ob oculos ponenda, ut magiſtratui perſpicuum fiat, num & quomodo conciliatio fieri ſummatim poſſit, & eam ſuadendo & adhortando commendare poſſit (§. 623): liquet, notioni primæ præeſſe debere viros, qui intimos cauſarum receſſus facile animadvertere, &, quid ibi optimum factu ſit, oſtendere poſſint. Quare ſaltem *in majoris momenti rebus prima cognitio magiſtratui ſuperiori*, uni aut pluribus ſat cordatis, *eſt tribuenda*, & uſu ipſo tribui conſuevit, ut eadem cauſæ extemplo perſpicuæ, inextricabili modo perplexæ, & placabilium ſuaviter componantur (§. 621 *ſeq.*).

Nota & uſitata ſunt judicia aut judices, qui amice & breviter conciliare diffidentes ſerio nituntur, & ad ipſum obligantur vi muneris ſui, antequam ad exquiſitius examen res amandetur. Quod Germani dicunt **die Sache von der Güte zum Rechte verweiſen**, aut **dem Rechte übergeben**. In majoris momenti negotiis, a delegatis ad concordiæ amicam reſtitutionem, cauſa amandatur ad univerſum collegium, a quo ſunt delegati; in aliis ad alios magiſtratus vel judices, prout illa determinare viſum fuit in ordinanda civitate. Pro alia enim rerum facie, & paucitate, vel multitudine cauſarum &c. alia etiam munia conjungi aut ſeparari poſſunt ſolentque §. 626 *p. ſeq.*

§. 626.

Conciliatio argumentis eſt elicienda. Quia prima notione ſtudendum eſt, ut cauſæ amice componantur, diffidenteſque concilientur (§. 623): *utendum eſt*

est argumentis, quibus proni evadant ad illam conciliationem ineundam, & sopiendam controversiam. Hujusmodi sunt partim generalia, ex officiis juris naturæ communibus deducta, partim specialia ex causæ indole ambigua (§. 622), & litis subeundæ incommodis, sumtibus, impedimentis, periculis, & ancipiti ob varias improvisas adversitates exitu petita. Quæ indoles causæ subministrat, enarrari ob innumeras varietates nequeunt, sed ex illius facie præsenti, visceribus intimis, connexisque aut facile concurrentibus rebus aliis haurienda sunt pro re nata. Respiciendum in his non tantum ad abstrusam & ambiguam rerum naturam, sed & variarum personarum dissidia, fraudes, vitia, errores, corruptiones, quibus evanescere spes ostensa solet.

§. 627.

Et exemplo promovenda, quod cæteris specimen sit.

Erunt argumenta eo efficaciora, si magistratus ipse suo exemplo præeat, quod cæteris specimen sit, & in controversiis vitandis, & in reliquis partibus boni civis. Nullæ enim rationes plus momenti habent, ad aliorum animos flectendos & perficiendos, quam quibus vita respondet ejus, qui illas aliis pro norma actionum inculcat, dum ita ipse de earum veritate, salubritate & obligatione secundum illas agendi, intelligitur esse convictus (§. 37 *seq. P. II. Phil. pract. univ.*). Imo exempla vel sine rationibus additis multum valent in moribus (§. 269 *seq.* 273 *seqq. ibid.*). Quare si ipsi magistratus a litigiis & alendis controversiis abhorrent, multum ponderis addet ipsorum conciliationi amicæ aliorum, proprium exemplum. Quod ipsum de cæteris officii partibus itidem statuendum esse, eædem rationes docent (§. 579 & 582).

Apud Romanos magistratibus auspicia erant & judicia. Judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur. Auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent mo-

ræ

ræ . . . . Ex his, qui magiſtratum ceperant, ſenatus efficitur . . . . Senatus autoritas lege confirmatur; ſequitur enim: ejus decreta ſunto . . . . Sic cum poteſtas in populo, autoritas in ſenatu eſt, ex illa temperatione juris efficitur & tenetur ille moderatus & concors civitatis ſtatus, præſertim, ſi proximæ legi paretur. Nam proximum eſt: is ordo vitio careto, *cæteris ſpecimen eſto* . . . . Hoc ſi eſt, tenemus omnia. Vt enim cupiditatibus principum & vitiis infici ſolet tota civitas: ſic emendari & corrigi continentia . . . . Nec tantum mali eſt, peccare principes (quanquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum), quantum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuiſſe; quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſequuturam. Nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum cernuntur. Quo perniciosius de rep. merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed & ea infundunt in civitatem. Neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, plusque exemplo, quam peccato nocent. Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam poteſt. Pauci enim atque admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere poſſunt. Quæ ſunt præcepta *Ciceronis L. III. offic. c. 12. ſeqq.* inſerta.

§. 628.

Num in prima notione adquieſcendum ſit?

Nemo cogendus eſt, ut adquieſcat in prima notione; niſi manifeſta ſit ejus injuſtitia malitiaque. Nam in prima notione id agitur, ut diffidentes amice concilientur (§. 623). Sed ad amicum animum erga alterum induendum nemo poteſt cogi (§. 927 *Pſychol. empir.*), verum argumentis ad eum eſt adducendus (§ 627 *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Cujusmodi præter obligationem naturalem ſunt commemorata (§. 626 *ſeq.*). Quibus ſi alia opponat validiora, aut quæ nunc nondum in promtu habet, ſed

pro-

propediem habiturus est, quibus plura se consequuturum esse haud vane sperat, permittendum ipsi est, ut viam juris experiatur, sua usurus libertate (§. 47 *P. VIII. Jur. nat.*)

Enimvero si manifestam prodat malitiam injustitiamque erga alterum placabilem, magistratus superior illum compescere & inhibere potest, sententiam in re manifesta contra illum confestim dando (§. 621), sub comminatione pœnæ gravioris, nisi adquiescat (§. 532 & 631 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*)

§. 629.

Quæ causæ prima notione terminari nequeunt, & altioris indaginis esse deprehenduntur, perviæ tamen, eæ cognitioni judicum tradendæ sunt, quibus ejusmodi causarum pervestigatio & sententia ferenda est demandata. Etenim si prima notione terminari nequeunt, ulteriori indigent cognitione, cum altioris indaginis, perviæ tamen, necessitas appareat (§. 618 *seq.*). Quia propterea accuratior perquisitio illis est adhibenda, illi committendæ tradendæque sunt judicio, quod earum causa est institutum & fovetur (§. 617). Liquet igitur, si quæ causæ prima notione terminari nequeunt, sed altioris esse indagationis deprehenduntur, nec tamen omnino imperviæ, eas cognitioni judicum esse tradendas, quibus illarum pervestigatio & sententia ferenda rite est demandata, ut suum cuique tribuatur (§. 538 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*).

Quæ causæ judicibus tradendæ sint?

Pependit ab arbitrio eorum, qui remp. constituere, quibusnam causarum disceptationem demandandam duxerint, sibine an aliis? Igitur quid legibus receptum & injunctum sit, erit disquirendum & sequendum. Romæ v. c. prætor judices dabat, quos volebat, qui pedanei dicebantur, & minora judicia exercebant. Graviores causæ merito aliis judicibus & judiciis sunt attributæ, prout satius pro locorum, temporum, rerum, & hominum diversa indole visum est.

§. 630.

Quid sit jurisdictio. *Jurisdictio* est regimen vicarium. Nempe regimen est exercitium imperii publici (§. 218 *P. VII.* & 881. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed magistratus non suo, sed alterius, nempe rectorum civitatis nomine regunt remp & regere, ut par est, debent (§. 597 *seqq.*). Ideo non gaudent nisi regimine vicario (§. 571), quo ipsorum jurisdictio continetur.

Non desunt, qui & regimen proprium & absolutum jurisdictionem dicunt, eamque summam, & regem quoque magistratum dicunt, v. c. *n. 13. 14. ff. de Orig. Jur.* Verum cum his sua nomina non desint, in usitatiori manendum est sensu, ubi magistratus nonnisi delegatam habent imperandi potestatem, & publici judicii exercitionem delegatam seu vicariam *l. 1. ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio.* Sic imperio utens magistratus jurisdictionem exercere dicitur. Strictis eam accipiunt, qui vocant potestatem publicam jus (justitiam) & æquitatem statuendi, quam brevius potestatem jus dicendi appellant, item rectam sententiæ ferendæ rationem. Hæc enim & sine imperio ullo dari potest, quatenus non nisi sententiam secundum acta & probata ferendam vel responsionem de jure notat. Germanis jurisdictio audit die Gerichtbarkeit vel Botmäßigkeit.

§. 631.

Est vel ordinaria vel extraordinaria Jurisdictio vel est *ordinaria* vel *extraordinaria*; quarum illa in causis perfrequentibus & fere quotidianis occupatur, ideoque semper domestica ibi est, ubi est exercenda; hæc autem non nisi in causis, ordinariæ jurisdictioni haud obnoxiis, & raro est exercenda. Quemadmodum onera, ita & jurisdictionem ordinariam perpetuus usus in regenda rep. exigit; extraordinariam vero tantum casus raro emergens (§. 774 *P. VIII. Jur. nat.*).

Hujusmodi casus sunt, quando inter ipsos magistratus controversiæ altioris indaginis agitantur; contra magistratum tumultus

multus vel seditio est oborta, vel quærelæ adversus magistratum audiuntur, quæ discussionem superioris autoritate suscipiendam merentur. De Claudio narrat *Suetonius c. 23.* quod jurisdictionem de fideicommissis quotannis & tantum in urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum etiam per provincias potestatibus demandavit.

§. 632.

Magistratus gaudet jurisdictione ordinaria. Vicario enim gaudet regimine, in applicatione legum quam optima ad civium actiones occupato (§. 571). Quæ actiones civium cum quotidie contingant, & ad salutem publicam regendæ sint, & corrigendæ, si ab illa aberrarunt (§. 630 *seq.*), causæ ad magistratum pertinentes sunt admodum frequentes & perpetui usus, ideoque illius jurisdictio est ordinaria (§. 631). *Magistratus jurisdictio est ordinaria.*

§. 633.

Commissarii & recuperatores vocantur, quibus jurisdictio extraordinaria est (delegata vel commissa) (§. 641 *P. IV. Jur. nat.*). Nonnunquam jurisdictio extraordinaria vocatur cognitio, item cognitio sacra; uti & judices cognitionum & constitutionum sacrarum. *Commissarii quinam?*

De Claudio *Suetonius c. 15.* dicit: negantem cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere confestim apud se coëgit; *c. 9.* cognitio falsi testamenti recepta est; & *c. 12.* cognitionibus magistratuum, ut unus e consiliariis frequenter interfuit. Vt *c. 46.* in ultima cognitione pro tribunali, accessisse se ad finem mortalitatis, pronuntiavit. Multa in legibus Romanis de jurisdictione extraordinaria occurrunt *Tit de extraord. cognitionibus* & alibi. A cognitionibus sacris delegati ad eas a Cæsare quoque dicebantur *cognitores sacri l. 3. cod. ubi senatores.* Fere uti commissarii regii hodie dicuntur. Quando agitur de rebus recuperandis, recte dicuntur recuperatores, ut apud *Sueton. in Neron. c. 17.* quod tamen & latius patet; vid. *Livius L. 26. c. 48.*

 Alias

Alias & judices quæstionis, & quæsitores regii dici possunt, ut in criminibus excutiendis.

§. 634.

Diversitas commissariorum & magistratuum. *Commissarii non sunt magistratus, nec hi illi; & brevi restrictaque tantum jurisdictione funguntur.* Commissariorum enim jurisdictio non est nisi extraordinaria (§ 633); magistratuum autem ordinaria (§. 632). Horum jurisdictio est perpetui usus & domestica (§. 631); illorum igitur tantum temporaria, vel ad breve tempus restricta, & missorum vel delegatorum aliunde. Illorum jurisdictio ad unicam aut nonnullas tantum causas restricta est, quando magistratibus ampla satis, & omnium causarum usitatiorum est.

§. 635.

Officium commissariorum. *Recuperatoribus opus est mandatis, quibus instruantur, & satisfaciant; si vero rem extricare nequeant, sententiam pronuntiando, ea referenda, uti est, & delegantis judicio reddenda est.* Destituuntur enim ordinaria ejusmodi rerum jurisdictione, nec nisi cognitionem extraordinariam exercere debent (§. 633 *seq.*). Quam ob rem mandatis sunt instruendi, quid & quomodo ipsis in causa data extra ordinem sit agendum, velut procuratoribus (§ 640 *P. IV. Jur. nat.*) Enimvero procuratores obligantur ad id perdiligenter faciendum, quod ipsis committitur, & ad nil aliud nec aliter faciendum, quam quod, & prout illis est commissum (§ 649 *ibid.*). Ergo, ne fines mandati excedant (§. 673 *ibid.*) mandatis sibi est satisfaciendum.

Si vero rem sic expiscari nequeant, utique nil restat, quam ut rem, uti gesta est & comparata, referant, tanquam ministri, ad delegantem & autorem mandati, ut dispiciat, quid sibi ea in re sit statuendum, (§. 701 *P. IV. Jur. nat.*), quo negotio exitus dari possit (§. 983 *P. VIII. Jur. nat.*)

Exemplo esse potest Scipio, qui Carthagine nova capta coronam promisit muralem, præcipuum decus ejus, qui murum primus ascendisset. Cum duo suum nomen profiterentur, qui non tam acriter inter se contendebant, quam studia sui corporis hominum excitaverant, eaque contentio prope ad seditionem veniret; dedit eis tres *recuperatores*, qui, cognita causa, testibusque auditis, judicarent, uter prior in oppidum transcendisset. Re cognita, Lælius relicto concilio de sententia collegarum refert ad Scipionem: rem sine modo ac modestia agi, ac prope esse, ut manus inter se conserant. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes Deos paratos jurare magis, quæ velint, quam quæ sciant vera esse, & obstringere perjurio, non se solum suaque capita, sed signa militaria, & aquilas & sacramenti religionem. Scipio collaudato Lælio pronuntiat, se compertum habere, ambos pariter in murum ascendisse, eosque ambos virtutis causa coronis muralibus donare.,, Sufficit igitur, recuperatores mandata rite ob oculos habere, digerere, exacte persequi, & conficere, qua possunt, prudentia diligentiaque.

§. 636.

Satis intelligi ex magistratus superioris & inferioris explicatione (§. 615) potest, quænam ratione graduum *jurisdictio superior*, quæ *inferior* appelletur. Illam quoad pœnas Romani vocarunt merum imperium, hanc mixtum imperium: quia illud ut purum & absolutum, hoc ut limitatum & restrictum spectarunt. *Quid imperium merum & mixtum.*

Imperium, inquit *Vlpianus l. 3. ff. de jurisd.* aut merum est, aut mixtum. Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est imperium, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia. Paullus vero *l. 2. ff. de publ. Judic.* quædam judicia publica vocat *capitalia*, quædam

non capitalia. Capitalia ſunt, ex quibus mors aut exilium eſt, h. e. aquæ & ignis interdictio. Per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera non exilia, ſed relegationes proprie dicuntur; tunc enim civitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria pœna, aut in corpus aliqua coërcitio eſt.„. Vbi capitales pœnæ pertinent ad merum, non capitales ad mixtum imperium. Sunt, qui tertium addunt, ſimplicem jurisdictionem, omni imperio deſtitutam, & tantum in cauſæ cognitione & ſententiæ pronuntiatione occupatam (§. 623).

§. 637.

Jurisdictio ſæcularis & eccleſiaſtica.

Vtraque hæc *jurisdictio* vel *ſæcularis* eſt vel *eccleſiaſtica* ratione cauſarum & perſonarum, quæ eidem ſubſunt Quæ nempe præeſt rebus & cauſis eccleſiaſticis diſceptandis regendisque, ea vocatur eccleſiaſtica (§. 485 *P. VIII. Jur. nat.*); quæ autem præeſt aliis rebus & cauſis civium dirigendis ad communem ſalutem, ſæcularis vocatur (§. 348). Illa noſtratibus weltlich, hæc geiſtlich vocatur. Sæcularis tempore pacis & militares cauſas involvit, quæ & ſeorſum tractantur & hic ſeponuntur.

§. 638.

Magiſtratus vel ſæcularis vel eccleſiaſticus.

Quapropter & *magiſtratus* vel eſt *eccleſiaſticus*, vel *ſæcularis.* Ille gaudet ordinaria jurisdictione eccleſiaſtica; hic ordinaria jurisdictione reliqui regiminis publici (§. 637). Et alius utrobique magiſtratus ſuperior eſt & major, qui vocatur ſenatus eccleſiaſticus ſeu ſacer priori, & ſenatus provincialis Landrecht, vel urbanus Stadtrecht poſteriori caſu (§. 616), aut judicium (§. 617); alius inferior vel minor, qui minoris momenti negotiis præeſt utrobique, h. e. vel in ſacris, vel ſæcularibus (§. 615).

Nomina magiſtratuum hodie recepta plurimum differunt non tantum ratione civitatum ſeu nationum linguis diverſarum; ſed

&

& religionum ac dialectorum & ſæpe locorum ejusdem dialecti, v. c. Saxonicæ, Helveticæ, & Belgicæ; ut ſuperfluum foret, his immorari. Nec minus jurisdictionis indoles variis modis differt, prout illi vel plura, vel pauciora inſunt, pro diverſitate numeri cauſarum regendarum definiendarumque.

§. 639.

Jurisdictio equeſtris & plebeia.

Sæcularis jurisdictio vel *nobilium* eſt vel *ignobilium perſonarum*. Quia nobiles in expeditionibus bellicis equites agunt, jurisdictio nobilitatis dici poteſt *equeſtris*, ſive perſonalis ſit, ſive realis, uti patrimonialis, eaque vel feudalis, vel allodialis, h. e. rerum non feudalium, ſed proprietatis jure relictarum. Quorſum & foreſtalis pertinet, circa ſilvas & feras uſitata, Forſt- und Jagdgerichtbarkeit vel Wildbann. Vti ignobilium *plebeja* dicatur, quæ vel civium eſt, vel ruſticorum, quorum illa urbana, hæc pagana vel ruſtica, more prædiorum, dici poteſt. Si utraque ex parte ſaltem conjuncta eſt, mixta audiat. Nota eſt in Saxonia curia provincialis das Oberhofgericht (Randſchrift), *criminalis & civilis*.

§. 640.

Propter actionum civilium indolem diverſam, alia jurisdictio verſatur circa delicta & crimina capitalia, alia circa actiones non capitales, ſeu reliquas, rectas pravasque (§. 636 not.). Prior vocatur *jurisdictio criminalis* ſeverius, poſterior *civilis* benignius ac lenius regens. Hinc & quæ *cauſæ criminales*, & quæ *civiles* dicantur, pateſcit.

Sic & judicia alia civilia dicuntur, alia vero criminalia; quorum hæc injuriam reip. factam ulciſcuntur; illa vero civium privatam injuriam perſequuntur. Criminalis noſtratibus dicitur das Halsgericht, vel peinliche Gericht; civilis vel das Gericht, vel Erbgericht. Quoad modum habendi enim jurisdictio vel tantum perſonalis eſt, vel hæreditaria, quarum illa electione nititur, hæc ſucceſſione. Solet haud raro conjungi civilis & crimi-

criminalis, idque olim. Vti *Cod. quando civilis actio &c.* dicitur: a plerisque definitum eſt, quoties de re familiari & civilis & criminalis actio competit, utraque licet experiri, ſive prius criminalis, ſive civilis actio moveatur. cæt. Item Vlpianus *ff. de privat. dal. l. 3.* ſi quis actionem, quæ ex maleficiis oritur, velit exſequi, ſi quidem (civiliter) pecuniariter agere velit, ad jus ordinarium remittendus erit, nec cogendus erit in crimen ſubſcribere; ſi extra ordinem ejus rei pœnam exerceri velit, tunc ſubſcribere eum in crimen oportebit. Et Paulus ait *l. 9. ff. de publican. & vectig.* quod illicite publice privatimque exactum eſt, cum altero tanto paſſis injuriam exſolvitur; per vim vero extortum pœna tripli reſtituitur, amplius extra ordinem plectuntur. Alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat. Hinc criminaliter agit, qui pœnam capitalem, civiliter, qui pecuniariam flagitat, uti & cauſæ criminales & pecuniariæ ſibi opponuntur *l. 1. ff. de Teſtib.* Iudicia criminalia Romanis dicebantur *quæſtiones*, item quæſtiones publicæ, *Cic. Philipp. II. c. 9.* & *quæſitores* judices criminum, rerum capitalium, olim extraordinarii, poſtea perpetui. *Cic. pro Milon. c. 22. & in Bruto c. 27.* Carbone adoleſcente quæſtiones perpetuæ inſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt. Quæ & judicia populi & publica dicuntur. *ibid. c. 33.*

§. 641.

Quæ jurisdictio abſoluta ſit, & libera?

Jurisdictio omnimoda ſeu *abſolutiſſima* (alle und jede Gerichtbarkeit), item plena vocatur, quæ & ſuperiorem & inferiorem, civilem æque ac criminalem, complectitur. Eadem *libera* dicitur, quando in ejus ſententia partibus eſt adquieſcendum, nec appellare licet. Vti Caligula fertur magiſtratibus liberam jurisdictionem conceſſiſſe, ſine ſui appellatione, *in Sueton. c. 16.* Libera vel illimitata eſt, vel limitata, quæ nonnullas cauſas excipit, prout in privilegio continetur, vel uſu receptum eſt.

§. 642.

§. 642.

Potest jurisdictio esse absoluta, quæ libera non est, & v. v. potest & conjuncta esse. Si enim absoluta vel omnimoda est, omnis generis caussas sibi habet obnoxias (§. 641). Enim vero quia vicario tantum regimine gaudet (§. 630): ordinario jure datur ab eo provocatio ad summum civitatis rectorem (§. 549 *P. VIII. Jur. nat.*), nisi peculiari privilegio in quibusdam haud magni momenti, aut per leges satis superque definitis caussis, immunitas a provocatione est concessa (§. 854 *seqq. ibid.*). Quæ jurisdictio cum libera appelletur (§ 641): manifestum est, jurisdictionem absolutam vel omnimodam non esse liberam, nisi illius libertas privilegio donata sit. *Quando jurisdictio libera & absoluta conjuncta sit?*

Vice versa potest quoque jurisdictio esse libera in quibusdam caussis, quæ ad omnes caussas nequaquam porrigitur, ut per definitiones (§ 641) patet, & exempla passim obvia. V. c. si in caussis criminalibus tantum secundum leges tractatis nulla conceditur appellatio; vel si in civilibus, certam summam haud excedentibus, non licet appellare a sententia lata.

Conjuncta si utraque sit per privilegia, ex iis erit metienda & exercenda præscripto modo. Quia territorium est universitas agrorum intra fines dictionis seu jurisdictionis (*l.* 239 §. 8. *ff. de Verb. Sign.*), dici solet *territorium clausum*, in quo jurisdictio plena simul est libera, quod in imperio Romano-germanico non est ignotum inusitatumque. Vid *Aur. Bull. Tit. X. XI.* § 23. Libera & ibi vel illimitata est, nullam caussam excipiens, vel limitata, uti in Electorum Bavariæ, Palatinatus Trevirensis &c. exemplis, aliisque liquet.

Quanquam notandum est, Electorum jurisdictionem potius propriam esse, & pactis deberi, quam nudæ delegationi, quod (*Wolfii Politicæ P. IV. Sect. II. C. III.*)

& ſingulis regnis rebusque publ. temperatis commune eſt, ut, quæ legibus fundamentalibus inſunt, conventis pactisque debeantur.

§. 643.

Quæ ſit jurisdictio ſeparata & concurrens?

Jurisdictio ſeparata vocatur, quam nemo alius ſuam dicere vel exercere poteſt; uti, cum cauſæ ſuperioris & inferioris jurisdictionis omnino ſunt definitæ, vel in cæteris cauſis liquido conſtat, quorſum quæque pertineat. *Concurrens* autem dicitur, quæ diverſis ea lege eſt attributa, ut jus reddatur ab eo, ad quem prius eſt devoluta. Hinc in ea locus eſt præventioni, ut excludat alterum, qui prior eam exercere cœpit, v. c. in jus reum vocando, aut accuſatione recepta, &c.

Ita eſt, ubi fornicationis & ſtupri cauſæ vel ſæculari vel eccleſiaſtico judici addicuntur, ut prior tempore in illis cognoſcendis potior ſit jure. In aliis cauſis par eſt ratio, & lis jam cœpta, ſed needum finita, ſolet lis pendens appellari.

§. 644.

Quid de illis habendum ſit?

Separata quidem jurisdictio præſtat concurrenti, quæ tamen ex ſingularibus cauſis prodeſſe reip. poteſt. Neque enim in ſeparata jurisdictione controverſia de illa exercenda oriri poteſt, ut in concurrente, quando v. c. ſimul exerceri incipit (§. 643.), niſi hoc caſu lege cautum ſit, ut concurſari ſimul eam exerceant ita, uti alias ſeorſum. Id quod difficultatibus anſam dare ſolet. Ad vigilantiam tamen & pœnam mitiorem promovendam facere poteſt, ſi, quæ mitior eſt, ea hoc ipſo cauſas ad ſe præcipue invitat, modo nihil in fraudem legum admittat. Religionis quoque diverſitas, aliæque rationes ſingulares interdum ſuadere illam poſſunt, ut æquitas & juſtitia eo rectius obſervetur (§. 536. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 645.

Quid requirat ſeparata jurisdictio?

Quia ſeparata jurisdictio præſtat concurrenti (§. 644.): *opera danda eſt, ut cauſæ rite aſſignentur illi jurisdictioni, quæ illis debet* præ-

præesse; & constare civibus debet, quorsum deferre causas suas debeant. Qui enim præsunt jurisdictioni, illi exercere eam debent, uti par est (§. 630.). Quod cum fieri nequeat, nisi & illis constet, quibus in causis ea ipsis sit exercenda, & civibus, quos adire debeant magistratus, & quibus sibi sit obsequendum, nisi hoc illis promulgatum sit, liqueatque: manifestum est, ubi separanda est, & separata esse debet jurisdictio, ibi assignandas esse suas cuique causas, in quibus illa sit exercenda.

§. 646.

Ordinariæ jurisdictioni superiori tribuendæ sunt causæ publicæ majoris momenti, quarum perpetuo regimine opus est. Jurisdictio enim superior nulli subest magistratui alii (§. 615. & 636.); illi ergo assignandæ sunt causæ tanti momenti, quæ tandem non nisi a rectore civitatis terminentur, ad quem solum recursus patet, vel ne is quidem (§. 642.). Hujusmodi vero sunt causæ publicæ, in primis graviores, quæ majoris sunt momenti & subito tractandæ (§. 617.). Cum vero ordinaria esse debet jurisdictio, eam perpetuus usus in regenda rep. requirit (§. 631.). Idcirco liquet per omnia veritas præcepti. *Quid tractandum sit jurisdictione superiori.*

§. 647.

Dum magistratus gaudet jurisdictione ordinaria (§. 632.), & senatus est magistratus, qui publicis causis regendis præest (§. 617.): elucescit, *senatui deberi jurisdictionem superiorem capitalem & non capitalem.* Quia senatus vel provinciis integris præest, vel urbibus, constat, tam de provinciali, quam de urbano senatu dicta esse capienda (§. 638.). In formis reip. temperatis senatui quid soli, quid cum reliquis ordinibus liceat, ex legibus fundamentalibus & pactis discendum est. *Cujus sit jurisdictio superior.*

§. 648.

Causæ publicæ *graviores civiles* occupantur in regendis non capitalibus, seu benignis publici regiminis partibus demandatis (§. 640.), *Quæ subsint jurisdictioni*

superiori civili? (§. 640), ideoque in procurando ſuaviter leniterque bono communi (*ibid.*). Redeunt hæ partes fere ad exercendam poteſtatem ſummæ proximam, & potentiam paternam. Huc igitur pertinet inferior cura ſacrorum, cum jure patronatus & ſcholarchatus; electio magiſtratuum, doctorum, Phyſicorum, Profeſſorumque; eorundem inauguratio & inſpectio; conſtitutio & procurata ſolutio ſalariorum; conceſſio juris civitatis, ejusdemque ademtio; collatio juris mercatorii cujuscunque; opificiarii cæt.; cura ærarii publici, ſeu quæſtura; cura commercii terreſtris & nautici provehendi; cura annonæ, nundinarumque; cura tranquillitatis & ſecuritatis publicæ; cura tutelæ ſuperior; cura ædium & incendiorum compeſcendorum publica, ſeu ædilitas; cura ſanitatis civium & contagiorum avertendorum; præſcriptio ſtatutorum & ordinationum; exſecutio ſententiarum rite latarum; coërcitio injuriarum per mulctas, ſimilesque pœnas mitiores; conciliatio diſſidentium benigna; uſus ſigilli publici; ſtati magiſtratuum conventus, deliberationes & decreta; cura conferendi beneficia publica & eleemoſynas; jus inhibendi propolia & monopolia; ſciſcendi tributa; imperandi collectas; cenſura civium publica; cura monetæ, quanta eſt conceſſa, nec non militum, &c.

§. 649.

Quæ jurisdictioni criminali superiori. *Graviores cauſæ criminales* noſcuntur partim ex pœnis capitalibus, quæ ſunt ultima ſupplicia, corporis diræ afflictiones, exilium & pœnæ infames; partim ex criminibus ſeu delictis publicis, adverſus Deum, ſemet ipſum & alios homines, quatenus univerſæ civitati iisdem valde nocetur.

Adverſus Deum publicum crimen admittitur ab Atheis, Deiſtis, blaſphemis, ſacrilegis, perjuris & pejerantibus, idololatris, Fataliſtis, Spinoziſtis, hominibus nullius religionis, Epicuri de grege porcis, Enthuſiaſtis, fanaticis, hæreticisque; quibus

bus addi solent necromantæ, sortiarii, magi (Zauberer), sagæ, consimilesque.

Adversus semetipsos publice delinquunt, qui sibimet ipsis violentas inferunt manus, aut & mortem consciscunt, Sodomitæ, onanitæ, mastupratores, & si qui alii his possunt æquiparari.

Contra rempublicam & alios delinquunt rei læsæ majestatis, perduelles, proditores, conjurati rebelles, seditiosi, tumultuantes, factiosi, pacis ruptores, hostes patriæ; belli privati, aut certaminum singularium rei, vi publica in plateis, domibus, cæt. utentes, prædones, latrones, piratæ, fures majores, eorumque & cingarorum, similiumque vagabundorum & consceleratorum globi & conspirationes; plagiarii, raptores & venditores hominum, marium, feminarum & virginum; falsarii documentorum, sigillorum, insignium, mercimoniorum, testamentorum, testimoniorum, scriptorum, librarum, mensurarum, ponderum, corruptores albi & actorum publicorum; monetæ adulteratores, pravam cudentes & divulgantes, bonam conflantes, diminuentes, exportantes, & cum deteriori, quam invehunt, permutantes; stelliones, terminos & limites fraudulenter amoventes in quocunque bonorum genere; aggeres, moles, fossas, muros, aquæductus, hydrophylacia, claustra emissaria perrumpentes aut collabefactantes; prædatores, spoliatores, depopulatores, invasores alienorum; depeculatores ærarii, repetundarum & residuorum rei, perfidique in publicis functionibus; incendiarii domorum, horreorum, ædificiorum quorumque, item segetum, hortorum, silvarum; perfossores lacuum, fluviorum, piscinarumque; abigei, fures lignorum alveariorum, favorum & ferarum in silvis, & generatim in jura venandi, piscandi & alia publica injurii; violatores sepulcrorum, effossores mortuorum & spoliatores; maleficos e patibulo, rota, cæt. suffurantes, abripientes, mutilantes, spoliantes; lenocinia &

lupanaria clam foventes; venifici cujuscunque generis; pestifera & contagiosa inferentes; libellis famosis, calumniis, opprobriis, contumeliis & diffamationibus nocentes, præsertim superioribus, honoratioribus aut omnibus vel compluribus insontibusque; destruentes, effringentes & violantes ædificia publica, portas, templa, curias, molendina, custodias &c.; infestationes in viis publicis; corruptiones judicum, testium, advocatorum; fornicationes, surdationes, stuprationes inprimis violentæ virginum, uxorum, viduarum, captivarum, defunctarum, & adulteria concubinatus digamia, incestusque; cinædi, pædicatores & similes nefandi; receptatores, occultatores & adjutores fugitivorum nefariorum, furum, sectorum zonariorum, rerumque furtivarum distractores; sicarii, parricidæ, homicidæ, assassiniis dediti, vulnera lethalia, mutilantia, aut enervantia & deturpantia, & verbera immania infligentes; annonæ flagellatores & dardanarii; ambitus & simoniæ rei; expilatores hæreditatis, & concussionibus se locupletantes; partum abigentes, & abortum procurantes, infanticidæ, & exponentes prolem, cæt.

Alii aliter recensere solent crimina famosa, quæ pœna corpus affligente vel interimente puniuntur. Romani habent crimina extraordinaria & publica, quæ huc fere pertinent. Jure canonico autem omnia delicta sunt publica, quia reip. interest & privatæ, quæ dicuntur, delicta puniri, & præter eam, qua privato satisfit, alia addi potest, quam rigor disciplinæ & salutis publicæ ratio requirit, ut liquet e notatis ad §. 640. Ob quam rationem itidem differt & jurisdictio & actio publica & privata. Potuissent crimina, quæ committuntur erga alios, dividi in illa, quæ obsunt rectoribus civitatum eorumque juribus, & quæ civium tantum saluti obsunt ratione bonorum corporis & fortunæ, si eorum ordine curatiore opus fuisset. Circumcelliones, solicitatores nuptiarum alienarum, scopelismam, conventicula, corruptionem servorum, directarios, grassatores, insidiatores,

tores, aleatores, aliosque lusores fraudulentos, de quota litis paciscentes, quadruplatores, & ejus surfuris plures, addat, quisquis volet.

§. 650.

Si jurisdictio affluentiæ dicatur *cura politiæ;* & jurisdictio tranquillitatis *cura justitiæ: perspicuum erit, curam politiæ pertinere ad jurisdictionem superiorem civilem, & curam justitiæ publicæ capitalis ad criminalem.* Tempore pacis enim salutis publicæ secundariæ bonæ columnæ sunt affluentia & tranquillitas (§. 46. *P. I. Polit.*), quia securitas in pace jam continetur. Jam jurisdictio exercenda ratione affluentiæ, quæ simul publicæ affluentiæ seu ærarii sui loci (§ 782. *P. VII. Jur. nat.*), est cura politiæ, ejusve administratio (die Handlung der Policey); & jurisdictio tranquillitatis rationem habens, est cura & administratio justitiæ (die Handhabung der Gerechtigkeit), præsertim publicæ (§. 171. *P. III. Polit.*). Sed jurisdictio benignior vel benefica, affluentiæ procurandæ intenta, ut dari possit & superiori, quod ipsi debetur, est jurisdictio civilis; & rigidior vel severa potissimum cogit maleficos ad officium, & civitatem ab eorum injuria liberat, capitales irrogando pœnas (§. 640.). Inde fit perspicuum, curam politiæ pertinere ad superiorem jurisdictionem civilem, curam justitiæ publicæ vero capitalis ad criminalem.

Quorsum referatur publica affluentiæ & tranquillitatis cura.

Non dico exhaurire curam politiæ jurisdictionem civilem, quæ plura bona civitatis procuranda habet (§. 648.); sed ad illam pertinere, uti pars ad totum. Est enim & affluentia pars bonorum ab ipsa civitati procurandorum, quanquam vicario tantum munere; cum latius accepta politia omnem civitatis ordinationem involvat (§. 236. *P. I. Polit.*). Sunt tamen, qui angustius politiam adhibent, quam *civilitatem* latine dicere posses, pro scientia affluentiam civitatis quam optime procurandi. Quæ ad potentiam civitatis augendam cum in facultatibus & opibus

bus ejusdem, tum in copia hominum positam, multum imo plurimum facit. Illa duce omnibus & singulis suppeditanda sunt & tuenda ea subsidia, quorum ope honeste sibi quærere possint cuncta vitæ præsidia, eaque larga, ut florere omnes possint, modo velint. Continentur vero illa subsidia & adjumenta florentis affluentiæ in egregia omnium ad salutem publicam institutione & administratione prudenti, in tuendis civium personis bonisque, in urgendo singulorum officio, in adjuvandis probis, impediendis & coërcendis impiis, in augendis & cohonestandis scientiis, artibus & quæstibus honestis, in flore rei rusticæ, pecuariæ, & generatim omnis œconomiæ & commercii interni externique. Ipsa vero justitia publica & præmiis publicis recte utitur in conferendis muneribus publicis sacris & secularibus, aliisque virtutum honestamentis, quatenus magistratui sunt demandata, quæ pars dum inter grata & accepta regiminis munia refertur, civili jurisdictioni accenseri solet, ut criminali tantum relinquatur severitas justitiæ in administrandis pœnis capitalibus ostendenda, quando salutis publicæ refert.

§. 651.

Quænam inferiori subsint jurisdictioni.

Civili jurisdictioni inferiori subjiciuntur jura privatorum (§. 616), itaque hæreditates, testamenta, legata, contractus & quasi contractus atque debita ex illis aut ex lege, ideoque & damna alteri data, de quorum agitur reparatione; in pravis factis autem culpæ admissæ & injuriæ minoris momenti, modica tantum castigatione, carcere, aut mulcta minori puniendæ. Quibus addi meretur maleficorum conjectio in custodiam aut vincula, qui dein tradendi sunt jurisdictioni superiori, nisi in forma mixta criminalia altioris indaginis scabinorum judicio sunt relicta. Quia inferior tantum est hæc jurisdictio, datur a sententia lata provocatio ad superiorem jurisdictionem, nisi quæ causæ exemtæ sunt, ut in illis ad normam legum definitis appellatio non concedatur. V. c. si criminalis sententia ab eo

sit nomine regis confirmata aut parumper mutata, cui id juris est concessum. Si qua alia in temperatis civitatum formis capita, quæ alias jurisdictioni superiori debentur, communicata sunt cum illis, quorum alias non esse solent, ea ex pactorum, privilegiorum & statutorum tenore erunt metienda.

Minoribus malefactis accensentur furta & rapinæ levioris momenti, verbera haud periculosa nec graviter vulnerantia, etsi caro ex ictu intumuit, aut lividæ vibices adsunt, etsi cruentationes fiunt narium, dentium, cutis unguibus laceratæ, etsi capilli evulsi, colaphi, pulsationes accesserunt, armorum aut cultrorum intentatio, nullam aut exiguam noxam inferens, concubitus desponsatorum anticipatus, simplex fornicatio, contumelia, calumniæ, convitia civium inter se, arguentes se mendaciorum, indulgentes illicitis ludis, vociferationibus & mercibus distrahendis, contumaces & immodeste se erga magistratum gerentes, cæt.

Dari solet hæc regula, jurisdictioni inferiori non subesse nisi ea, de quibus civiliter agitur, ad obtinendam utilitatem & satisfactionem privatam, læsis: quæ hanc patitur exceptionem, nisi causa sit publica, sed ex gravioribus rationibus, v. c. defectu malitiæ, pœna capitalis locum habere nequeat, ideoque tantum mitior pœna publica tamen secundum leges dictanda sit. Quæ tum nihilominus a superiori jurisdictione irrogatur, ut res eo citius terminetur ab eo, qui cognitionem jam peregit. Quoniam vero in causarum distributione, diversi hominum fines, pluresque modi eos consequendi occurrunt, si quæ causæ inferioris jurisdictionis ad superiorem seu pacto seu privilegio quodam, seu longo usu & præscriptione sunt relatæ, aut vice versa quædam superioris jurisdictionis ad inferiorem: id tam diu ratum manebit, observandumque erit, donec legitime mutetur. Quia privatæ causæ sunt singulorum, aut paucorum civium, quibus obsequii gloria est relicta, ex officiis & juribus eorum sunt æstimandæ, & conveniunt cum illis, quæ quisque homo sibi, suis, & aliis in statu naturali debet, de quibus luculenta prostant Juris naturalis præcepta. Facile enim his additur ea limitatio,

quam ſtatus civitatis parit, quæ in *J. N. Tomo VIII.* continetur. Poſſent illæ cauſæ quoque dici, quas privata felicitas cujusque civis ſalva ſalute publica requirit. Diviſioni jurisdictionis ſecundum facta civium licita & illicita obfuiſſe videtur magna locorum varietas. Vbi enim pauci regendi fuere, ibi merito conjunctæ ſunt minoris momenti actiones externæ bonæ & malæ, ſolis momenti majoris cauſis ideo aliis reſervatis, ut, quanto fieri poſſet, compendio & commodo cauſæ tractarentur. Quod deinde conſervandæ ſimilitudinis cauſa & in locis copioſioribus, ubi multo amplior jurisdictio requirebatur, retineri placuit. Si facta illicita ſunt maleficia, eaque vel delicta vel crimina (§. 580. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), ab his jurisdictio criminalis eſt denominata, illique oppoſita civilis, juſtitiam & jura privatorum curans (§. 532. *P. II. Polit.*).

§. 652.

Jurisdictio requirit poteſtatem & potentiam.

Cum utrique jurisdictioni partes quædam regiminis publici demandentur (§. 360. 646. *ſeqq.*): *cuilibet* quoque *tantum tribuendum eſt poteſtatis & potentiæ, quantum ſufficit ad partes ſuas legitime explendas.* Vti enim ſummum regimen ſummam requirit potentiam & poteſtatem (§. 241. *ſeqq.*): ita & partes illius aliis delegatæ exerceri nequeunt, niſi illis quam optime expediendis par adjuncta ſit poteſtas atque potentia (§ 961. *P. VIII. Jur. nat.*). Quanta igitur pars regiminis magiſtratui eſt concredita, tanta etiam pars potentiæ & poteſtatis eidem, vel ejus jurisdictioni eſt tribuenda, ne ſit jurisdictio irrita, inanis, nulliusque valoris.

Poteſtate nimirum, quæ eſt jus recte determinandi aliorum actiones, itaque imperium (§. 661. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*), exercendæ ſunt partes imperii conceſſæ; & potentia opus eſt ad executionem eorum, quæ imperii pars commiſſa requirit. Poteſtas, ut facultas licita & legitima, mentis actionibus exercetur, tum intellectus in diſtincta certaque cognitione cauſarum, eorumque, ſine quibus illa haberi nequit, tum voluntatis in præcipien-

piendis illis, quæ ſunt agenda aut patienda, & in contrariis prohibendis. Sed in actionibus aliorum invitis & denegatis, ſine quibus regimen bene ſe habere nequit, extundendis, opus eſt uſu potentiæ, ad ſcopum conſequendum ſuffecturæ.

§. 653.

Superiori magiſtratui qua ſit utendum?

Magiſtratus ſuperior majori indiget poteſtate & potentia, quam inferior; eaque & eo prudentius accuratiusque uti debet. Graviores enim cauſæ illi committuntur & in civilibus & in criminalibus (§. 646. *ſeqq.*). Inferiori autem tantum ſubduntur cauſæ leviores & minores in bene aut male factis (§. 651.). Cum graviores cauſæ tanquam publicæ (§. 616.), majoris ſint ponderis & influxus in ſalutem publicam, illæ nec niſi majori dexteritate ac integritate perſpici regique, ergo nec niſi majori poteſtate & potentia exerceri expedirique poſſunt, quam leviores & privatæ duntaxat. Id quod luculentiſſime apparet, ſi utriusque exempla (§. 648-651.) inter ſe conferantur. Sed quo majoris momenti ſunt res cauſæque commiſſæ, eo majori prudentia & accuratione ſunt tractandæ (§. 368. *ſeqq.*).

§. 654.

Applicatio ad ſenatum, & præditum ſuperiori juriſdictione.

Superiorem magiſtratum eſſe ſenatum, liquet ex §. 616. & 625. *Senatus* igitur ſuperiori gaudet jurisdictione ordinaria (§. 647), & gravioribus præeſt cauſis publicis (§. 617.). Proinde *majori gaudere debet poteſtate potentiaque, quam magiſtratus inferior* (§. 653.), tanta nempe, qua par evadat vicario regimini, prout decet, adminiſtrando, cunctisque ejus partibus in civilibus criminalibusque quam optime peragendis. Quia par ratio eſt uniuscujusque alterius nobilis aut ignobilis viri, cui jurisdictio ſuperior, vel utraque, privilegio quodam eſt conceſſa, *quilibet ſuperiori præfectus juriſdictioni pariter majori &, quanta indiget, potentia ac poteſtate eſt inſtruendus, & ad uſum ejus quam optimum obligandus.*

Ita rem ſe habere, uſus omnium civitatum docet, nec tantum in jurisdictione, ſed & in aliis juribus conceſſis, v. c. in jure venationis, aucupii, piſcationis, quæ itidem gradibus ſuis diſcernuntur (§. 426. *ſeqq. P. III. Polit.*), in jure foreſtali, h. e. ſylvarum, ſaltuum & nemorum, ſive ligna præbeant ad ædificia, naves, & varia utenſilia & arte facta, ſive ad focum; in jure fodinarum varii generis rerum.

§. 655.

Senatus diverſitas & fori. Cum Senatus vicario gaudeat regimine, quem hic ſpectamus (§. 617.), ſepoſito ſenatu temperatæ civitatis, qui ſuo nomine præeſt (§. 471.) & (§. 190. & 248. *P. VIII. Jur. nat.*): *differt is pariter ac negotia publica dijudicanda, quibus præeſt* (§. 348.), etſi paſſim aliis aliisque nominibus inſignitur. Sic datur ſenatus *eccleſiaſticus* & *ſæcularis* (§. 638.), & hic vel *civilis*, vel *militaris*, vel *academicus* (§. 343. *P. II. Polit.*), ſeu *ordinis nutritii*, *militaris* & *academici* ſeu literarii; & ſuus cuique judicii exercendi locus, ſuum forum ſeu cauſarum genus, territoriumque eſt aſſignandum, ubi jus dicat.

Scilicet Germani dudum tres civium ordines diſcrevere, quos appellant den Nähr-Stand, Wehr-Stand & Lehr-Stand. Primus a præcipua cura nutriendi ſe & alios nomen eſt nactus, & complectitur omnes, qui rerum neceſſitati, commoditati & jucunditati civitatis ſervientium copiæ ſufficientiæ operam dant (§. 9. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Huic ergo præeſt Magiſtratus, potiſſimum vero Senatus civilis, ita ut adjunctum ſibi habeat dicaſterium (§. 650.); cum cura affluentiæ ſine cura tranquillitatis ſuis numeris cunctis abſolvi nequeat. Secundus ordo in pace ſimul exercitio potentiæ, præſertim vero ſecuritati civium adverſus hoſtes procurandæ & conſervandæ inſervit (§. 11. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Huic præeſſe Senatum militarem, per ſe liquet, qui fere aſſociatum ſaltem affinem habet ſenatum equeſtrem, præſertim quatenus ordo equeſtris rei militari potiſſimum operam navat, etſi curæ affluentiæ nihilominus vacat. Tertius

tandem omnem culturam virtutum animi, quousque fieri potest, evehendam suæ industriæ commissam habet, uti patet ex *P. II. Polit.* Quo ipso patet, ad hunc ordinem etiam referri ordinem ecclesiasticum. Quod & propterea haud incongrue fit, quia salus publica & curam animi & corporis ac status utriusque perficiendi beandique requirit, quarum illa in academiis & ecclesiis vigere potissimum debet.

§. 656.

Magistratui jurisdictio quomodo sit exercenda?

Omni senatui magistratuique sua jurisdictio quam optime est exercenda, omnisque, ut id fieri possit, opera navanda. Omnis enim magistratus, ideoque & omnis senatus, vices gerere debet rectoris civitatis in applicandis quam optime jam inventis ad salutem publicam adjumentis (§. 362 & 617). Sed horum est ordinaria jurisdictio in civitate (§. 632); in qua digne tueri debent personam superioris (§. 599). Est igitur sua cuique senatui & magistratui jurisdictio quam optime exercenda, & saluti publicæ accommodanda. Quod cum fieri nequeat, nisi omnia in eum finem rite sint præparata, quam optime comparata, memoriæ infixa, & habitus illa promte applicandi adquisitus: patescit, omnem esse navandam operam, ut, quæ ad optimum jurisdictionis exercitium requiruntur, a magistratu expedite fieri possint.

§. 657.

Eidem est obsequendum.

Quia populus obligatur ad obediendum rectori civitatis (§. 1043 *P. VIII. Jur. nat.*), obligatur quoque ad obtemperandum vicariis, quos rector civitatis illi præfecit in hac vel illa ditione, aut hoc vel illo foro (§. 655). Quales cum sint magistratus in jurisdictione ordinaria (§ 617): *si magistratus, senatusve quam optime exercere debet jurisdictionem suam* (§. 656), *necesse est, ut suum cuique forum constet, & ut cives vel subditi, qui-*

bus præesse jussus est, illi obtemperent, ideoque in jus vocati seu citati, veniant.

Quoad causarum genera forum datur ecclesiasticum, sæculare, civile, criminale, academicum, feudale, privilegiarium, uti aulicum, militum, miserabilium personarum, &c. Quoad personas datur forum originis, seu parentum, domicilii saltem commorationis, forum contractus, rei sitæ, & connexarum actionum, uti possessorii & petitorii, reconventionis, principalis & præjudicialis, &c. forum delicti, deprehensionis & detentionis, vulgo arresti; forum defuncti sortitur & hæres vel privilegiarius, &c. Forum personis, rebus, causisque proprium, cui est parendum, dicitur *competens*; & quod illis non congruit, seu destinatum est, *incompetens*. Hæc fora tam prudenter sunt designanda, ne litigiosa evadant, aut, ubi dandus fuit concursui locus, ibi præventione, literis reversalibus seu mutui officii (compassus) &c. evitetur (§. 644).

§. 658.

Quid sit contumacia?

Contumacia generatim vocatur denegatio obsequii erga magistratus, seu contemtus magistratus, inobedientia ostensus. Speciatim hic ostenditur, quando rite citatus a magistratu temere detrectat comparere, vel præsentiam sui facere, itaque cum cives ejus jurisdictioni, cui subsunt, se sistere nolunt, contumaces dicuntur.

§. 659.

Quid impedimentum legitimum?

Impedimentum legitimum vocatur impedimentum officii per impotentiam haud imputandam, ideoque per impossibilitatem aliquam seu physicam, seu moralem. Quando v. g. vires naturales desunt ad faciendum id, quod fieri debet, quia ultra vires suas nemo obligatur (§. 209 *P. I. Philos. Pract. univ.*), propter impedimentum naturale ibi nulla esse potest obligatio. Par ejus est ratio, quod moraliter est impossibile (§. 115 *ibid.*), cujusmodi est, quod colliditur cum alio officio graviori, quod ipsi

ipsi postponi nequit sine peccato, ideoque illi cedere debet (§. 206 *seqq.* & 229 *seqq. ibid.*). Excusat igitur impedimentum legitimum unumquemque, qui illius causa alteri officio non satisfecit (§. 463 *seqq. P. I.* & §. 682 *P. II. Philos. pract. univ.*), sive is subditus sit, sive imperans, ut magistratus ipseque civitatis rector.

§. 660.

Ea non est tolleranda, sed punienda.

Quoniam magistraui est obediendum (§. 657), & contumacia civium obedire detrectat (§. 658): *contumacia civium non est tolleranda*, utpote quæ irritam redderet jurisdictionem vicariam (§. 656), ideoque coërcenda est pœnis, quæ sufficiant ad eam cohibendam (§. 585 & 647 *P. VIII. Jur. nat.*). Sed quia nemo puniri potest ob factum, quod ipsi imputari nequit, nec ultra id, in quantum ipsi imputari potest (§. 670 *ibid.*), & pœnæ graviores non sunt adhibendæ, ubi leviores sufficiunt (§. 637 *ibid.*): *pœna contumaciæ arbitraria est* (§. 623 *ibid.*), & plerumque mulcta, condemnatione in refundendas expensas, vel graviori, & denegatione juris hujusmodi, quo alias gravisurus fuisset, ni contumax fuisset, puniri solet, nisi legitimo impedimento se purgare possit (§. 659). Proinde magistratus potestate & potentia contumaciam cohibendi eget (§. 652 *seq.*).

Conf. *Cod. l. 8. Quomodo & quando judex.*

§. 661.

Quando probandum sit id impedimentum.

Qui legitimo impedimento se purgare vult, id magistratui indicare & probare debet, ut cognoscere possit, verene contumax se dicat legitime impeditum, an erroneo perperamque. Etenim in collisione actionum & officiorum tum demum vera gaudemus excusatione, cum demonstrare valemus, actionem omissam fuisse omittendam, & perpetratam committendam (§. 465 *P. I. Philos.*

pract. univ.), & nos omni vacare culpa (§. 682 *P. II. ejusdem*). Cum ergo magiſtratui conſtare debeat, utrum recte ſe excuſet an perperam, legitimum impedimentum, niſi notorium vel per ſe manifeſtum eſt, ipſi & luculenter explicandum eſt, & idoneis rationibus probandum eſt, ut de eo cognoſcere poſſit (§. 542. *P. VIII. Jur. nat.*).

Sonticum morbum v. c. *l. 12. Tabb.* vocat tam gravem, per quem comparere vocatus coram ſuo magiſtratu nequit, inde & alia cauſa ſontica dicitur, quæ juſtam præbet excuſationem. Si vel omnibus, vel certe magiſtratui, aliunde ſatis liquet, citati morbus ſonticus, is notorius erit, nec eget probatione. Sic per ſe manifeſta eſſe poteſt inundatio, hoſtilis detentio vel captivitas vocati, trajectus fluvii ob glaciem cum ſummo vitæ periculo conjunctus, carceris pœna, e quo ob alias leges jam dimitti nequit, quæ & ſimiles his aliæ notorium dabunt impedimentum. Alia autem impedimenta, quæ per ſe indubia non ſunt, utique erunt in medium proferenda, docenda & probanda, prout optime fieri poteſt, ut de eorum vel veritate vel falſitate ſtatui poſſit.

§. 662.

Magiſtratus præſit ſapienter prudenterque.

Si magiſtratus jurisdictionem quam optime exercere debet, neceſſe eſt, ut eidem ſapienter prudenterque præſit. Etenim ſapientia eſt ſcientia actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenientes præſcribendi, viam ad eos ducentem & ſubſidia cæteris meliora eligendi, & in eum redigendi ordinem, ut ad fines conſequendos quam plurimum conferant (§. 678 *Pſychol. rat.*). Merito igitur optimos fines, aptiſſima ad finem certo & ex aſſe conſequendum adjumenta, & modum ordinemque iis utendi reliquis omnibus præſtantiorem præfert aliis (§. 681 *ſeqq. ibid.*) & (§. 192 *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quare ſi magiſtratus jurisdictio, uti obligatur (§. 656), quam optime exer-

exercenda est, oportet, ut eidem, quanta valet sapientia, præsit.

Debet vero idem digne tueri personam superioris (§. 599), ejusque vicibus debite fungi, legibus ex asse satisfaciendo (§. 571) Quod cum sine prudentia publica fieri nequeat (§. 18), quæ ideo velut sapientia practica est, in liberarum actionum quam optima exsecutione & præstatione exserenda (§. 19 *seqq.*): patet necessitas, ob quam magistratus, quam optime jurisdictionem suam administraturus, eidem admodum prudenter præesse debeat.

§. 663.

Sapientior est, qui via breviori immo brevissima, ad finem tendit, quam qui per ambages incedit (§. 686 *Psychol. ration.*). Jam quidem sapientia humana admodum limitata est in singulis suis partibus (§. 691 *ibid.*), & ab absolute summa longissime abest (§. 690 *ibid.*). Si vero non nisi de hujusmodi ejus gradu sermo est, qui in homines cadit, atque itidem admodum differt (§. 174 *P. I. Ethic.*) & (§. 56 *seqq.* 87 & 580): *nullum potest esse dubium, quin magistratus & senatus omnes*, sapienter prudenterque præfuturi, ut par est (§. 662), *modum & ordinem partibus suis fungendi brevissimum præferre inutilibus debeant ambagibus*, superiore idem exigente (§. 985 *P. VIII. Jur. nat.*). *Modo & ordine regendi brevissimo.*

Quis modus, quis ordo regendi sit expeditissimus, brevissimus & ad scopum consequendum aptissimus, partim ratio docere potest ad artem inveniendi rite exculta, partim fida rerum magistra, tot sæculorum, regnorum & rerum publicarum experimentis innitens. Inde &, quæ non sint nisi ambages, nihil ad rem facientes, patebit.

§. 664.

Leges, modum & ordinem res in senatu regendi convenientissimum brevissimumque præscribentes, dicuntur *leges* *Leges senatoriæ & judiciales.*

(*Wolfii Politicæ P. IV. S. II. C. III.*)

ges senatoriæ, vel ordinatio senatus; modum vero & ordinem expeditissimum seu convenientissimum res in judicio tractandi docentes, *leges judiciariæ*, vel ordinatio judicii, aut plerumque *processus judicii*.

In Germania leges senatoriæ aut leges curiæ, ab ædificio publico, in quo senatus celebrat conventus suos, plerumque dicuntur die Rathsordnung, & leges judiciariæ, die Gerichtsordnung vel die Proceßordnung. Processus enim tum notat modum & ordinem causas tractandi, & in illis ab initio ad finem usque procedendi ac progrediendi designat. Qui processus das Verfahren vor Gerichte denotare consuevit; minus proprie vero acta in processu judiciario.

§. 665.

Legum senatoriarum necessitas autoritasque. *Senatui opus est legibus senatoriis, & iisdem exacte obtemperandum.* Debet enim jurisdictionem suam quam optime exercere (§. 662), modum vero & ordinem id expeditissime præstandi præscribunt leges senatoriæ (§ 664). Vnde intelligitur opus esse senatui legibus senatoriis (§. 663).

Idem vero est vicarius rectorum civitatis in causis ordinariis (§. 362 & 632). Quapropter ex asse satisfacere debet legibus sibi præscriptis (§ 571). Inde patescit senatui legibus senatoriis exacte esse obtemperandum (§. 964 & 965 *P. VIII. Jur. nat.*).

His legibus igitur, seu scriptis, seu non scriptis, sed usu receptis, contineri debet ratio tractandi ordinarias causas regiminis graviores, de quibus dictum est §. 647 *seq.* Vt nempe omnia eo modo & ordine fiant, qui caret ambagibus, & via naturali ac brevissima incedit, non solum constare debet, quibus diebus & horis senatus convenire ordinario more, & quid extra ordinem res publica postulet, cujus sit præsidium, & quæ præsidis & propræsidis partes, quando & quomodo electio peragenda atque inauguratio, & quo jure jurando; quo ordine sententiæ sint dicendæ; quot suffragiis opus sit ad concludendum vel

vel firmandum senatus consultum; quid in dissidio ingenti agendum, ut res exitum sortiatur; quæ oretenus, & quæ scripto proferenda sint; quid temperationis receptæ ratio requirat, cujusmodi & a quo præstanda sit decretorum debita promulgatio, &, si qua opus est, exsecutio? &c.

§. 666.

Cujus sit processus summarius?

Vti prima cognitio senatui, saltem senatori cuidam tribuenda est (§ 625): ita *& gravioris causæ cognitio compendiaria eidem tradenda, nisi quid temperatæ formæ ratio eidem adjungit.* Nempe compendiariam causæ cognitionem hic appello, quam complures processum dicunt summarium, h. e. qua causæ ordinariæ peculiarem favorem rerum personarumve merentes, nec moræ patientes, ex æquo & bono brevissime finiuntur. Sunt nimirum & hæ res haud exigui momenti, sunt causæ publicæ, & insigni perspicacia mentis ac peritia rerum illico penetrandum est in earum intimos recessus, e quibus pateat, quid de illis salutariter statuendum sit. Sed causæ publicæ & graviores debentur senatui (§ 617), cui his par esse debet peritia, solertia & integritas (§ 573). Si quam adjunctionem alterius, aut plurium ordinum inferiorum, temperamentum civitatis recepit, illi ex pacto standum parendumve esse abunde constat. Neque eo secius tantum substantialia causæ ubique necessaria attenduntur.

Referri ad processum compendiarium solent causæ piæ, hospitales leviorum injuriarum, & opificum querelæ, aliæque notoriæ, &c. possessoriæ, consistoriales, cambiales & aliæ mercatoriæ, fiscales, provocatoriæ, inhibitionum arresti, concursuum debitorum, exsecutionum, inquisitionum, montanæ seu metallicæ, equestres, censoriæ, militares, academicæ, rusticæ. *Arrestum* vocatur interdictum magistratus, ne persona vel res loco, in quo est, moveatur, sed detineatur; ideoque nisi cum manuum injectione conjuncta est, prohibet, ne persona exce-

dat e ditione, nisi rebus cum eo compositis, qui de illa est conquestus; item ne res alienetur, sed impetrans ejus possessionem adipiscatur. Vtrobique igitur aliquid pro securitate cujusquam publica autoritate detinetur, ne elabi e potestate possit. *Inhibitio* vero est impeditio publica inceptæ jam rei, ne procedat aut absolvatur; severa illa & sub adjuncta pœna fieri solet, postquam monitio & excitatio præcessit, rei explorandæ causa. *Provocatoria* hic dicitur causa, qua nunc non agendo nociturus ad actionem adigitur, aut ad silentium in posterum. Consistoriales vero causæ sunt ecclesiasticæ, sive de rebus, sive de personis, earumve suspensione, degradatione, sive remotione & proscriptione. Inquisitiones hic sunt primæ scelerum cognitiones, sive deinceps continuentur, sive minus. Ab aliis hic processus extraordinarius vocatur, dum ei ordinarius ille in rebus altioris indaginis opponitur; sed tumultuarius minus apte.

§. 667.

Dicasterio tenendus est processus judiciarius.

Si dicasterium partes suas quam optime explere debet, necesse est, ut habeat & sequatur civilem & criminalem processum judicialem, legibus præscriptum. Optimum enim & modum & ordinem in exercendo judicio ordinario docere debent leges judiciales, una cum impensis moderatis seu sportulis, vel processus præscriptus iisdem (§. 664), & hunc sequi obligatur cœtus judicantium (§. 665).

Sunt autem præcipua momenta civilis processus ordinarii ineuntis petitio citationis & libellus (die Klageschrifft), ipsa citatio (die Ladung), contestatio litis (die Einlassung), exceptiones peremtoriæ (zerstörliche Schutzreden); progredientis probationes per instrumenta seu documenta scripta, testimonia jurata, & jusjurandum, discussio probationum veritatis aut falsitatis & fallaciæ; finientis conclusio ejus cum petitione sententiæ, actorum compactio (Inrotulation) & examen, sententiæ latio & exsecutio. His accidunt interdum, contumaciæ accusatio (die Un-

Ungehorsams Beschuldigung), dilatio (der Anstand), exceptiones dilatoriæ, (vorzögerliche Schutzreden vel Ausflüchte), stipulatio, dicta Guaranda (die Gewehr), satisdatio seu cautio (der Vorstand), litis denuntiatio evicturo, nominatio autoris, reconventio, sententia interlocutoria; juramentum calumniæ vel malitiæ, desertio accusationis, reassumtio processus per alium, interventio tertii. Circa finem occurrere potest appellatio, leuteratio seu dilucidatio, supplicatio, revisio actorum, remedium inanitatis seu nullitatis, restitutio in integrum, avocatio actorum, & abolitio inquisitionis &c. (§. 846 *P. VIII. Jur. nat.*). Si præscriptus processus est, qualis esse debet, non erit, cur cum Oldendorpio dicatur farrago ceremoniarum & altercationum, judici sedentariam audiendi operam imponens, donec præstigiæ illæ peragantur. Impensæ ex æquo definitæ Gerichtsgebühren vel Taxe dicuntur.

Criminalis processus aut ab accusatore oritur, aut ex officio judicis. Ille habilis fit, ut in foro admitti possint ejus nomine inscripti libelli. Judex vero vel ad personæ honestæ denuntiationem, vel famam publicam inquisitionem instituit in corpus delicti, ejusque autorem, qui vel in flagranti delicto deprehensus est, & confitetur, aut se ipsum denuntiat; vel ignoratur, & investigandus atque convincendus est. Ne quis tædio vitæ se reum pronuntiet, cum non sit, caute veritas est exploranda & probanda. Criminis aut delicti capitalis reus vel valde suspectus, custodiæ est dandus, ne elabi possit. Hinc si aufugit, literis ipsum describentibus est persequendus, ut capiatur, ubi occurrit. Si ignoratur, legitimis indiciis opus est, v. c. vita ante acta malefica, versatio in loco delicti eodem tempore, quo contigit, consuetudo cum nefariis, fuga post delictum, apertæ causæ patrandi delicti, & perpetrati vestigia, res venditæ, celatæve delictum attestantes, comminationes præviæ, jactationes inter sui similes a quoquam intellectæ, hominis insolita timiditas & solicitudo de securitate, &c. Convincendus est inquisitione in omnes actiones suspecti eo tempore, ubi delictum contigit, & propria contradictione, negatione eorum, quorum dein con-

vincitur per idoneos testes, documenta, elicita ex dormiente aut quæstione torturæ licitæ & sapienter applicatæ.

§. 668.

Quando procuratore opus sit?

Quia in foro seu judicio ordinario tranctandæ sunt causæ altioris indaginis, quarum causa sæpius in judicio comparendum; si vel actor vel reus, vel uterque ipse comparere, & res suas tractare nequit, neque lex ipsius præsentiam requirit, admittendus est ipsius loco causæ vel litis *procurator* (Anwald), qui aliena negotia domini mandatu administrat, *l. 1. ff. de procur.* & perquam necessarius ibidem esse dicitur, ut, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt vel nequeunt, per alios possint vel agere vel conveniri. De horum igitur officio & indemnitate eadem tenenda sunt, quæ *Cap. III. P. IV. Jur. nat.* de mandatariis præcipiuntur. Similia quoque de quasi mandatario vel negotiorum gestare valent (§. 513 *seqq. P. V. Jur. nat.*).

§. 669.

Definitio advocatorum & rabularum.

Advocati dicuntur juris periti, causas aliorum legitime defendentes agentesque. Sicubi oretenus id fieri debeat, agunt oratores simul, ut, quando autoritate multum valent, patroni causæ, & quorum causas agunt, illi eorum clientes vocantur; quanquam & patroni diversi ab advocatis, qui & *causidici* dicuntur, esse solent. Vbi vero scriptis causæ tractandæ sunt, ipsi causas instruunt, & earum momenta ob oculos ponunt, suo nomine subscripto, quæ procuratores in foro proferunt & perorant more recepto. Inepti autem pravique causidici *rabulæ* dicuntur.

Nostrates vel retinentes fere nomen latinum Advocaten eos dicunt, vel germanice Sachwalter, Mächtiger. Quia jus cum suis rationibus suggerunt, Vorsprache vel Fürsprache & Rechtsbeystände appellantur; rabulæ autem Zungendrescher, Rabulisten.

§. 670.

§. 670.

Qui ipsi jurium imperiti sunt, vel aliis officiis ea per se urgere in judicio præpediuntur, illi egent advocatis, honorario remunerandis, legibusque constringendis, ne prævaricatores vel rabulas agant. Etenim si qui causas suas, quæ altioris sunt indaginis, in judicio per se agere nequeunt, physice aut moraliter, per alios eas agere debebunt, qui illis pares erunt (§. 640. 649. *seq. P. IV. Jur. nat.*). Tales vero in nostro casu non sunt nisi advocati (§. 969). Qui ut indemnes præstentur, præmio sunt remunerandi, quod honorarium eorum dici consuevit, & una cum sportulis seu aliis fori impensis, vel præscribi, vel postea in moderatione expensarum revocari ad æquitatem solet (§. 682. *P. IV. Jur. nat.*). Vnde simul elucet, advocatos nec prævaricatores agere debere (§. 613.), nec rabulas (§. 669), idque gravi pœna esse prohibendum. *Qui egeant advocatis?*

§. 671.

Vti *instigator* latius dicitur validus incitator ad aliquid agendum; ita hic notat maleficiorum publicorum delatorem ad magistratum, sive is senatus sit, sive judicium. Vnde instigator regni, senatus, judicii quis dicatur, per se liquet. Instigator nempe explorat & denuntiat facta publicis legibus, v. c. censoriis, adversa, etiamsi nemo privatus conqueratur. Germanis dici posset der Rüger seu Anreger, sed retinetur plerumque latinum, & dicitur der Rechts-Wett-instigator &c. *Instigator quis dicatur.*

§. 672.

Ne publica facta contra leges invalescant, & impunia sint, alendi sunt instigatores, qui ea explorent, deferant, & velut actores publici persequantur. Hæc enim fugerent magistratum eo magis, quo occultius sunt perpetrata, cum privati ab eorum denuntiatione odiosa & operosa abhorrerent, nec magistratus per se illa facinora, etsi graviora, scire possit, dum illis non interfuit. Ne *Cur opus sit instigatoribus?*

igi-

igitur leges publicæ cum insigni salutis publicæ detrimento conculcentur, alendi utique & obligandi sunt instigatores, ad expiscanda graviora quæque adversus leges publicas perpetrata facinora, ut ea suo magistratui denuntient, & velut legitimi accusatores actorum instar persequantur, & pœnam urgeant (§. 671.).

Differunt igitur hi instigatores, ab eo, quem Papinianus *l. 20. ff. de his, qui not. inf.* accusationis instigatorem vocat, suntque magistratus officiales, & velut referendarii, crimen in judicium deducentes, ut in illud inquiratur. Quales olim fuere milites stationarii præfecto urbi adjuncti, ad tuendam popularium quietem, & ad referendum illi, quid in urbe (illicite) agatur *l. 1. §. 12. de offic. præf. urbi* & personæ publicæ, de quibus *l. 7. Cod. de accusat.* Ea, quæ per officium præsidibus denuntiantur, & citra solemnia accusationum posse perpendi, non incognitum est. De aliis delatoribus agitur *L. X. cod. tit. 11.* Cavendum simul, ne insontes vel credulitate vel affectu & vitio denuntient sub gravi pœna. In privatis delictis quidem si quis reo ignoscere velit virtutis causa & legitimis rationibus ductus, hoc illi permittendum est (§. 948. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Jam quidem ignoscere lædenti, & tamen propter læsionem illum punire, inter se non pugnant (§. 1079. *ibid.*), quatenus pœna inflicta cavendum est, ne vel ipse vel alii in posterum idem nobis aliisve spe impunitatis abusi faciant (§. 1080. *ibid.*). Si quis tamen gravibus de causis remittere alteri pœnam velit, mitiori correptione contentus, aut graviora mala aversurus, pœnam remittere & veniam dare, aut differre velit spe promissæ emendationis, id recte facit (§. 1092. 99. *ibid.*). Tunc valet illud, ubi nullus accusator, ibi nec judex habet, quod agat. At quatenus delictum privatum simul remp. tangit, leges ejus, securitatem & tranquillitatem violat, aliis corruptionis & vitii exemplo nocet, etiamsi privatum quemquam non lædat sed se ipsum, puniri tamen in rep. potest & debet (§. 647. 653. *P. VIII. Jur. nat.*). Hinc instigatoribus opus est, publicam pœnam urgentibus, quando illa opus est.

§. 673.

§. 673.

Actuarii dicuntur juris periti, qui acta coram magiſtratu jurata fide calamo excipiunt, ordineque conſcribunt, aut tradita ſcripta ordine debito digerunt conjunguntque ad eandem cauſam pertinentia; vel brevius, qui acta judicialia conficiunt. *Notarii publici* dicuntur, qui tantum acta extra judicium privata conſignant & conteſtantur. *Secretarii* autem ſunt publici ſenatus ſcribæ, quorum fide acta coram & a Senatu literis mandantur, ideoque tabulæ & literæ publicæ conficiuntur. *Syndici* ſunt JCti univerſitatis cujusdam curatores. Hinc & oratores agunt & actores & defenſores jurium ſuæ univerſitatis, v. c. reip. provinciæ, magiſtratus univerſi, Senatus, Collegii, Academiæ, &c. *Quinam dicantur actuarii, notarii, Secretarii, Syndici?*

Actuarii Germanis ſunt **Gerichts-Schreiber**, vel **Amts-Schreiber**; ſed alii quoque ſunt ſubjudices (**Unterrichter**, aut **Gerichtshalter**). Notarii publici diſcernuntur a notariis, quos *Seneca & Tranquillus* dicunt actuarios, in acta referentes actiones publicas. Publici a majeſtate creati & obſtricti ſunt ad excipienda in actis privatis ſuis inſtrumenta ſcripta, eaque conſervanda, atteſtanda & edenda, ut fide digna. Syndici in Pandectis & codice ſæpius actores & defenſores civitatis ſalutantur. Vid. in primis *Tit. quod cujuscunque univerſitatis nomine vel contra eam agatur. l. 1. §. 1.* &c. *de muneribus l. 1.* &c.

§. 674.

Quo majoris momenti amplioris que eſt jurisdictio, eo magis opus illi eſt actuariis, Secretariis, Syndicis & notariis publicis juratis. Etenim ad monumenta actorum judicialium bona fide conſignanda & in ordinem redigenda actuarii; ad privata documenta extra judicium notarii vel tabelliones; ad Senatus acta & literas Secretarii; & ad graviores reip. vel univerſi magiſtratus cauſas agendas Syndici requiruntur, tanquam advocati ſu- *Vbi illi requirantur?*

perioris ordinis: & hi omnes juratæ fidei (§. 673.). Etsi igitur in minoribus oppidis hæ functiones vel cuidam ex Senatu aut judicio, vel plures uni Scribæ aut notario ob paucitatem & tenuitatem negotiorum solent; quo majoris tamen momenti & quo plures causæ ibi expediendæ occurrunt, eo pluribus quoque opus est Syndicis, Secretariis, actuariis & notariis. Tot enim alendi sunt, quot sufficiunt causis, ut par est, tractandis, seque ad ulteriora perficiendis: uti & tot potentiæ ministri (§. 258.).

In emporiis egregiis sæpe duos observabis Syndicos, octo Secretarios, totidem vel plures actuarios, præter Auditorem causarum militarium, totidem fere notarios publicos. In curiis provincialibus, qui actuarii loco est, Protonotarius dici solet; quamquam in his functionibus & nominibus eorum, qui ipsis præsunt, permulta ab arbitrio hominum pendent, plurimumque variant. Cujus varia exempla occurrunt in illis, quæ de formis temperatis *Tom. II. Polit* tradita sunt. Ex jurata eorum fide sequitur gravitas pœnarum, si quid contra fidem datam admiserunt. Scribarum apud Romanos ordo erat honestus, quod eorum fidei tabulæ publicæ periculaque magistratuum committebantur, teste *Cicerone in Verrina 5.* qui *pro domo sua* ait, scribæ nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur. De Græcis testatur *Nepos in Eumene*, apud eos scribæ munus multo esse honorificentius, quam apud Romanos; cum nemo ad id officium admittatur, nisi honesto loco & fide & industria cognita, quod necesse est, eum omnium fere consiliorum esse participem.

§. 675.

Quæ potiores sint jurisdictionis partes.

Præcipuæ jurisdictionis ordinariæ partes consistunt in causarum accurata pervestigatione, in deliberatione, quid expensis & comparatis omnibus earum momentis secundum leges & æquitatem sit decernendum, in suffragiis ordine promendis numerandisque, in ferenda sententia secundum majorem suffragio-

giorem partem, denique in sententia, quæ in rem judicatam abiit, seu infringi amplius nequit, exsequenda (§. 540 P. *VIII. Jur. nat.*). Patet hoc & ex natura jurisdictionis ordinariæ (§. 630 *seq.*), & ex partibus magistratus (§. 571 & 588). Quod sententiæ hic non tam sint ponderandæ, ut in consiliariis (§. 555) (quanquam meliores omnibus ex officio sunt sponte præferendæ), quam numerandæ, id patet cum ex eadem omnium norma, quæ in legibus habetur (§ 571), tum in jure suffragandi æquali, per quod non nisi unanimia & majora concludere possunt (§. 75 - 79); alioquin res manebit in pristino statu (§. 82 *ibid.*), aut si tanti est, ad superiorem deferetur.

Prætor Romanus jurisdictionem tribus verbis exercebat: do, dico, addico. Do judices, recuperatores, arbitros, possessionem, actionem, exceptionem. Dico jus, sententiamque, addico bona &c.

§. 676.

Ad faciliorem magistratui reddendam causarum pervestigationem, omnemque jurisdictionem, non ob exiguam quamque læsionem litibus in foro est locus concedendus (§. 987 P. *VIII. Jur. nat.*); & si determinationes legi naturæ adjectæ probatu sunt difficiles, substituendæ illis sunt probatu faciliores, quæ illis plerumque æquipollent (§ 986 *ibid.*). *Legibus ergo civilibus jurisdictio magistratui tam facilis & expedita est reddenda, ac fieri salva salute publica potest.* *Levamina jurisdictionis per leges.*

Non urgeo hic omnes rationes, quæ in citatis §§. legi possunt, sed hoc tantum adiicio, molestias per officium haud necessarias esse fugiendas (§. 451 *P. I. Jur. nat.*), & vitam commode transigendam (§. 466 *ibid.*), item quidquid facere possumus, ut alii vitam commode & jucunde transigant, ad hoc nos obligari (§. 645 *ibid.*). Inde commoditas vitæ, quanta conjunctis viribus haberi potest, ingreditur fines civitatis (§. 4. & 13. *P.*

P. VIII. Jur. nat.). Quapropter uti rectores civitatis etiam commoditatis suæ causa vicariis & magistratibus recte utuntur; ita quoque operam dare debent, ut ipsorum jurisdictionem, quantum fieri potest, molestiis & difficultatibus nocituris liberent, legibus civilibus ipsorum commodiori jurisdictioni consulendo.

§. 677.

In contractibus aleam complexis.

Quoniam contractus aleam continentes in se illiciti non sunt (§ 288 P. V. Jur. nat.), & subsistunt jure externo, etiamsi quis in eo libertate naturali est abusus (§. 290 *ibid.*) animo a fraude alieno (§. 293 *ibid.*): *si quis læsus est inito contractu aleam continente, non erit audiendus a magistratu, nisi is lege civili est salutis publicæ causa prohibitus.* Sibimet imputet læsionem, qui in certum eventum subire non est veritus, v. c. sponsione inita, emtione spei, assecuratione &c. Si autem ludi fortuiti sunt prohibiti, ne bona civium dilapidentur, & prodigalitas inhibeatur, puniri poterunt lusores, qui prohibitis ludis operam dedere, nec actio concedenda in foro ob consequendum lucrum ex ludo debitum (§ 754 P. VIII. Jur. nat.). Idem quoque valet, si lucrum nimium ex concessis ludis est prohibitum, *ibid.* Inprimis lusores & aleatores in civitate non esse tolerandos, docet §. 757 *ibid.*

§. 678.

In compositione, transactione & compromisso.

Inita amica compositione aut transactione de re incerta, propter læsionem postea conquesturus non est audiendus, quia tum non datur ad rem litigiosam regressus (§. 891 P. V. Jur. nat.). Idem quoque dicendum, si ex compromisso per arbitrum res est decisa (§. 962 *ibid.*).

§. 679.

In læsione infra dimidium.

Eo quod rigor Juris naturæ in statu civili observari nequit (§. 987 P. VIII. Jur. nat.): damnum in contractu, non sine

ſine utriusque contrahentis culpa emergens, tolerari poteſt, niſi læſio doloſe ultra dimidium facta ſit. Tali lege, ut inter Romanos olim lata, vel ab his recepta, *læſiones infra dimidium ex contractu oriundæ, nullum in foro præſidium habebunt, nec locum ullum, niſi dolus eximius demonſtretur* (§. 676).

Hoc non obſtat, quo minus lex naturæ in ſcholis templisque inculcetur, omnes læſiones doloſas & culpoſas eſſe vitandas, & neminem alterius damno fiere debere locupletiorem, ſed ſponte ſua reparare damnum datum. Tantum magiſtratui otium ſit & libertas, hujusmodi minutias innumeras declinandi in foro ſuæ jurisdictionis, ut, niſi alter ſponte reparare datum damnum velit, argumentis convictus, compelli ad id nequeat, & læſus in poſterum circumſpectior fiat in contrahendo. Poſſet quoque reſtrictio ad ſummam pecuniæ fieri, ſed ex patrimonio metiendam & ex indigentia læſi.

§. 680.

Si unius contrahentis tantum eſt culpa, quæ *lata* dicitur, ea dolo eſt finitima, dum plane ſupinam infert negligentiam, & *ab autore ſuo eſt præſtanda, etiamſi tantum alterius ſit utilitas* (§. 417 P. II. *Jur. nat.*). *Is autem, cujus eſt utilitas, merito omnem præſtat culpam æquitatis lege* (§ 98 *ſeqq.* P. I. *Jur. nat.*). *Si utriusque contrahentis utilitas in contractu verſatur, pari officio ab utraque parte & lata & levis culpa eſt præſtanda*, quæ poſterior eſt omiſſio hujusmodi diligentiæ exactæ, qualem plerique tales rebus ſuis adhibere ſolent, æque ac ipſe autor culpæ. *Aliena quoque negotia bona fide gerenda ſunt exacta diligentia*, ideo & in illis ſaltem levis culpa eſt præſtanda, niſi omnis promiſſa eſt diligentia, vel tantum reſtricta. Caſus fortuitus nocet domino rei, & ab altero contrahente non præſtatur, niſi pacto eſt ſuſceptus.

In culpoſis & fortuitis damnis.

Scilicet in culpæ graduum æſtimatione vera difficiles dantur diſcuſſiones, quarum loco facilior legibus fuit ſancienda, quæ

ut plurimum veræ deprehenditur reſpondere (§. 676). Quare quando in negotiis alienis culpa quadam damnum eſt datum, de quo reſtituendo diſceptatur, diſtinguitur culpa in latam, levem & leviſſimam. Culpa lata continet negligentiam maximam, quæ omittit eam diligentiam, quam vix quisquam ſanus in ſuis rebus admittit; levis oritur ex negligentia media ſeu magna, quæ omittit diligentiam, quam communiter homines officii memores rebus ſuis adhibere conſueverunt, ideoque qualis eſſe ſolet plerorumque ejus conditionis hominum ipſiusque autoris culpæ in rebus propriis curandis; leviſſima continet tantum minimam negligentiam, vel omiſſionem exactiſſimæ diligentiæ, quam pauciſſimi rebus ſuis tribuere ſolent (§. 759. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quia alios amare debemus, ut nos ipſos, eorum quoque rebus debemus, quod noſtris, ſi id alii non habeant in ſua poteſtate, nos vera citra neglectum officii erga nos id ipſis præſtare valemus (§. 608 *P. I. Jur. nat.*). Multo magis igitur id ipſis debemus, ſi id vel expreſſe vel tacite recepimus contractu aut quaſi contractu. Exempla contractuum beneficorum, e quibus tantum alter contrahentium gratis recipit utilitatem, ſunt in commodato, mutuo, depoſito, ſequeſtro, fidejuſſione, mandato, negotiorum geſtione & tutela, quanquam tribus poſtremis adjungi & alterius utilitas, ſaltem nonnulla, ſolet. In omnibus his civiliter agi & de privata utilitate manifeſtum eſt. Delicta vero culpoſa cum doloſis merito conjunguntur.

§. 681.

In impoſſibilibus. Quia ad impoſſibilia nemo obligatur, vel obligari poteſt (§. 209 *P. I. Phil. pract. univ.*): *ſi quis, etſi ſua culpa, omnino factus eſt impar ſolvendo vel præſtando, quod debet, magiſtratus efficere nequit, ut id ſolvat vel præſtet; ideoque eo nomine non eſt compellandus.* Hinc & quatenus fieri nequit, ut præſtet præſtanda, eatenus adigi ad ea nequit, ſed tantum ad ea, quæ ſunt in ipſius poteſtate.

§. 682.

§. 682.

Vt quinam liberi seu vivorum seu mortuorum parentum sui juris, & a patria & tutorum vel curatorum potestate soluti censendi sint, *legibus anni ætatis designandi sunt, quibus adeptis plerique omnes jurijurando, matrimonio & suis actionibus regendis rebusque administrandis pares sint declarandi, nisi manifesta sit animi impotentia, aut data venia ætatis* (§. 676). ***Quinam parens heres suique juris sint statuendi?***

Pubertas quoque & emancipatio liberorum, & finis tutelæ vel curatelæ variis modis facilius determinari potest, ac secundum leges naturæ idem est decernendum, ubi difficilior est probatio, quam hæc, quæ ab annis petitur, in qua plerique mentis & corporis sanitate prædiri, ea maturitate virium & habituum gaudere solent, quæ in illis requiritur. Ergo leges Romanæ exactum ætatis annum vigesimum quintum, Saxonicæ vicesimum primum finitum eum statuerunt, a quo sui juris censendi sint. Nonnunquam principes tansmisso anno octavo & decimo, sui juris & imperio capessendo pares ducuntur, circa quem annum & minores ad jusjurandum admittuntur, dum usu rationis debito pollent. Si qui sui juris facti degenerent postea, hi alia lege civili coërceri & pro prodigis declarari possunt, ut illis sub curatoribus rectius sit vivendum, ne familiæ dedecus creetur, alii una corrumpantur, & reip. onerosi evadant.

§. 683.

Quibusnam sponsalia & matrimonium liceat inire, nec ne, propter impedimenta seu naturalia seu moralia, ut facilius constare possit, *legibus matrimonialibus docendum & facile probatu reddendum,* v. c. per publicam proclamationem, & per gradus consanguinitatis & affinitatis prohibitos cæt. Idem tenendum est de jure conjugum communi in bona, si nihil peculiare pactis convenit, num communio bonorum inter eos vigere debeat, an proprietas, & cujusmodi; quousque illa vel in gratiam alterius conjugis, vel cujusdam alterius alienare ipsis liceat, vel ***Quid in legibus matrimonialibus curandum?***

non

non liceat, donatione inter vivos, vel mortis causa, &c. Quibus de causis rite probatis, & quousque solvendum sit matrimonium; quando morte aut divortio solutum, & qua lege aliud sit contrahendum, ne quid in fraudem cujusquam aut legum committatur vel omittatur; & quomodo singula sint facilia probatu reddenda?

§. 684.

In successione ab intestato? Sic *leges successionis ab intestato* facile perspectu reddere debent (§. 271 *P. III. Polit.*), cujus, & quorum cognatorum agnatorumque consanguinitatis gradus defuncto sint propiores vel æquales, ideoque & jura hæreditatis cernenda sint potiora vel parva; quæ simpla, quæ dupla cognatio ejusdem hæredis (§ 281 *ibid.*). Id quod fit, si distincte docent modum gradus computandi æqualitatis & inæqualitatis; item quousque inter liberos obtineat jus repræsentandi defunctos parentes? quid habendum de successione illegitime genitorum? (§. 283 *ibid.*).

§. 685.

Aut ex testamento, legato &c. Neque minus leges succedendi ex testamento, legatione, donatione inter vivos & mortis causa facilia probatu reddere debent jura, *si modus is præscribatur testandi, donandi &c. qui pro valido sit agnoscendus*, & a nemine evertendus (§. 982 *P. VIII. Jur. nat.*). Tantum enim curandum est & cavendum legibus, ne pravis affectibus indulgeatur, vel errore aut fraude cujusquam reip. vel privatis juribus noceatur, aut falsum pro vero instrumentum scriptum, vel corruptum obtrudatur; reliqua arbitrio dominorum relinquenda (*ibid.*) & (§. 251 *seqq. P. III. Polit.*).

Ita legibus definiendum perspicue est, quid tenendum de valido testamento publico & privato, scripto & nuncupativo, judiciali, militari, tempore pestis condito, rustico, ad pias causas;

ſas; quid de exhæredatione ejusque cauſis juſtis; quid de præteritione, de legitima, de poſtumis, de querela teſtamenti inofficioſi; quid de mutatione ejus, de extorto doloſis & importunis ſolicitationibus; quid de fideicommiſſo de ſubſtitutione hæredum, de rupto teſtamento, ſtatuendum? Similiter & legibus plana facienda ſunt, quæ de variis legatis & donationibus, de quarta falcidia hæredis, ſimilibusque ſint decernenda.

§. 686.

Contractibus præſidium fori addendum.

Similiter *in aliis pactis & contractibus modi ſunt dilucide præſcribendi, quibus auxilium in foro a magiſtratu præſtandum eſt* actibus naturaliter validis & invalidis (§. 301 *ſeqq. P. III. Polit.*), v. c. ut magiſtratus nolentes ad eos vi compellat, hos autem irritos declaret vel reſcindi jubeat (§. 980 *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*).

Nempe nolentes ſolvere, quod debent, jubetur magiſtratus ad id adigere ope exſecutionis, cujus & tempus & modus determinatur; pactis non ſatisfacientes quoad facta, ope compulſionis ad faciendum & impoſitæ præſtationis ejus, quod intereſt, vel exſecutione pœnæ conventionalis. Quia promiſſio errantis item vi & metu, ſeu concuſſione extorta non valet, ea jure irrita declaratur aut reſcindi jubetur. Ita & reſcindi jubentur contractus minorum, pupillorum, curandorum, ſine conſenſu aut ratihabitione parentum, tutorum & curatorum initi. Quod etiam juberi poteſt, ſi contractui invalido additum ſit jusjurandum (§. 906 *P. III. Jur. nat.*).

§. 687.

Vſus pecuniæ alienæ uti promoveatur?

Vt ſecuritati pecuniæ aliis credendæ & creditæ conſulatur, & ſimul æquitati, recte legibus judicialis confirmatio mutui, hypothecæ, & fidejuſſionis præſcribitur, ut facillimus modus fraudes removendi & jus ſuum alteriusque officium probandi; recte pignoribus & hypothecis ad fraudis ſuſpicionem nedum commiſſionem cavendam, denegatur venditio privata, acceptio in ſolutum, & lex commiſſoria, jus

reluendi tollens, nisi debitum tempore statuto solvatur; prævia autem debita admonitione conceditur ejus publica distractio ope auctionis subhastationisve; recte usuris præstituitur modus, intra quem si subsistant, omnino sint solvendæ, nequaquam vero, si modum excedant; recte qui potiores sint in pignore & hypotheca, vel legali seu tacita, vel expressa seu pactitia, judiciali aut privata definitur secundum justitiam & æquitatem (§. 344 *seqq. P. III. Polit.*).

Curandum est in civitate, ne inopibus ea desint vitæ & œconomiæ exercendæ præsidia, unde lucrari saltem necessarias utilissimasque sibi res possint. Quæ cum habeantur in opulentorum pecunia, curandum est, ut eorum pecunia in rem suam uti possint cives minus fortunati, quorum major pars esse solet. Opus igitur est, ut alienam pecuniam vel mutuam accipere possint, vel elocatam æqua usura. Ne igitur nesciant cives, cui tuto eam mutuam dare vel credere fœnebrem possint, aut more Romanorum Græcorumque e publico censu civium constare debet, aut saltem opus est, ut credituris de eorum facultatibus, moribusque aliunde constare possit (§. 346 *P. III. Polit.*). Quod in bonis immobilibus fieri solet ope *libri fundorum*, Erb-Bücher, in quibus indubia fide bona immobilia singulorum ordine consignata sint, una cum oneribus & debitis iis inhærentibus inscriptisque actu, & quo pacto. Testimonia enim ex his data credituris fidem facere publicam possunt, num debitor sit futurus solvendo, quando credita pecunia erit reddenda. Quæ fides eo erit certior, quando lege simul cautum est, qui priori gaudet hypotheca, ei omnia, quæ debentur, solvenda esse, antequam posterior sibi debita postulare possit. Alias testimonia fide digna aliorum, qui debitorem satis norunt, num solvendo & soluturus sit, adhibenda erunt, & pignoribus, fidejussoribusque idoneis quærenda & præstanda erit creditoribus debita securitas, æquitati haud adversa. Sic & in administranda re vel pecunia, seu publica seu privata, v. c. pupillorum, curandorum, absentium, locatorum vel expressa requiritur cautio & fidejussio,

sio, vel tacita oppigneratio bonorum administratoris, socii, gestoris negotiorum, anductoris, *&c.* Simul quoque jus taciti pignoris vel tacitæ hypothecæ, qua gaudeat prærogativa, quove loco inter debita, credituris haud est dissimulandum (§. 360 *seq.* *P. III. Polit.*). Pariter & cæteræ docendæ sunt legibus cautiones hic observandæ.

§. 688.

Quia magistratus vicaria opera civibus in suo quisque loco procurare & conservare ac ampliare debet subsidia honeste ditescendi, & jacturam rerum suarum avertendi (§. 619. *seqq. P. III. Polit.*) & (§. 362): *& hæc cura civitatem locupletandi legibus in hunc finem comparatis & præscriptis illi facilior reddenda* (§. 676), ne ipsi & cives ignorent, quomodo suis facultatibus, animi, corporis, & fortunæ, inprimis & pecuniæ suæ atque alienæ usum facere amplissimum possint. *Quibus perspectis uti magistratus debebit*, ad cives huc obligandos, & a contrariis avocandos, *item ad suggerendum superiori*, *si quid mutata rerum facie occurrat majori usui*, *quam pristina*, *futurum*, ut is de eo pro re nata statuere possit. *Modus cives locupletandi & incolas.*

Huc facit cultura omnium scientiarum & artium, ipsiusque chrematisticæ, quarum incrementa magistratus provehere, detrimenta autem & nocumenta arcere pro viribus prudenter debet; atque id ut facere possit, legibus, potestate & potentia instruendus est, & obligandus, ut florem fructumque rei familiaris curæ cordique habeat. Huc pertinere procurationem cultus rerum suarum, & præsertim pecuniæ amplissimum usum, nemo non perspicit. Si enim otiosæ & incultæ maneant res naturales, earumque communis mensura pecuniæ, nemini prosunt, ne domino quidem, uti illis nescienti aut nolenti. Si arte non præparentur aptenturque quam optime ad omnigenos usus, itidem parum prosunt, multisque vitæ præsidia honesta deerunt. Patet igitur, quorsum hæc cura magistratus potissimum tendere, quid impedire debeat, quid adjuvare?

§. 689.

Modus pœnarum administrationem facilem reddendi.

Ne poenæ ignotæ sint vel civibus vel magistratibus, qui illas irrogare & exsequi debent, *oportet, ut pœnæ omnes secundum justitiam legibus promulgatis diserte præscribantur* (§. 662 P. VIII. Jur. nat.) & (§. 664 seqq.), ut liqueat, quæ, quales & quantæ civiles & capitales in diversis casibus esse debeant (§. 585 *ibid.*); quibusnam, ob quas causas, quando & quomodo sint infligendæ; quo modo delicta & crimina sint investiganda & probanda, aut innocentia defendenda (§. 671 *seqq. ibid.*); quomodo, qui merentur pœnam, sint detegendi, & fugitivi persequendi (§. 692 *ibid.*); uti convictio reorum sit impetranda & confessio (§. 709 *seqq. ibid.*), quando & quanta seu territio seu quæstio torturæ adhibenda sit, nec ne (§. 676 *seqq. ibid.*); quibus casibus & quousque mitigandæ sint pœnæ præscriptæ; quando concedenda vel deneganda sit appellatio a sententia capitali (§. 549 & 841 *ibid.*); a quibus & quomodo vel differenda vel peragenda sit pœnæ exsecutio (§ 624. 656 & 706 *seqq. ibid.*); quando vel in effigie & nomine affixo elapsorum, vel in cadavere exsequendæ (§. 705 *ibid.*) & (§. 676)

Pœnæ quotuplices sint, & ad quæ summa capita redeant, docetur *P. VIII. Jur. nat.* §. 588 *seqq.* quæ plerumque in Germania usitentur, Nemesis Carolina. Notandum est, Romanos ad pœnas capitales etiam retulisse caput civile adimentes, h. e. libertatem, civitatem, familiam seu honestatem. Cujusmodi erant damnatio ad metallum, cæt. exilium, aquæ & ignis interdictio, deportatio, infamiæ irrogatio jure facta, servitus. Exsecutio autem in effigie locum habet in irrogando ultimo supplicio ei, qui ejus indubie est reus. Ita suspendi effigies, aut tabula nomen malefici ostendens, solet, uti furum, ita homicidarum, &c.

§. 690.

§. 690.

Jurisdictio tempestive exercenda.

Vbicunque periculum est in mora, ibi magistratui & in civilibus & in criminalibus occurrendum est initiis, simulac prodeunt in lucem, ne sero difficilis vel nulla restet medela. Est enim sua cuique jurisdictio quam optime exercenda (§. 656), ideoque damnatis ambagibus sectanda est via brevissima (§. 663). Sed pravitati graviori cum in civilibus tum in criminalibus semper melius resistitur, dum propullulat & emergit, quam dum adolevit, haud secus ac principiis morborum facilius medemur, quam dum insuperabiles adepti sunt vires. Quare quoties periculum est in mora, & in civilibus & in criminalibus, illico principiis est obstandum, ut malum in prima suffocetur herba.

Ineunti, v.c. tumultui & seditioni illico habenæ sunt injiciendæ, antequam periculum latius diffundatur, & compesci amplius nequeat. Oborto incendio & contagio confestim occurrendum, ne latius serpat indomitumque evadat. Annonæ aliorumque alimentorum caritati se exserenti, tempestive occurrendum est, ne id deinde multo majori sumtu sit faciendum, vel ne sic quidem fieri queat. Similiter ingravescenti aliorum vitæ præsidiorum caritati, v. c. domiciliorum, aquarum, lignorum, carbonum fossilium, &c. quam primum moderamen est adhibendum, idque eo magis, quo minus cives illis salva vita carere possunt (§. 344 & 485 *P. III. Polit.*).

§. 691.

Quid sit concursus creditorum?

Si quis pluribus obæratus conturbat, impar factus solvendis præstandisque omnibus, quæ debet, *concursus creditorum* oriri solet, sive debitor sponte sua bonis cedat, sive creditores sibi metuentes sua repetant, & tum innotescat, ipsum non esse solvendo. Est igitur tum controversia de bonis debitoris, omnibus satisfacere nescientis, legitime addicendis, quibus debentur. Quia in concursu creditorum agitur de

universitate bonorum debitoris, palam est, quæcunque non sunt bona debitoris, ea in concursum non venire.

Ea propter quicunque dominio gaudent rerum inter bona debitoris obviarum, illi cum creditoribus non concurrunt, sed ante & extra concursum sua sibi vindicant. Ita sibi vindicat depositum, commodatum locatum, furto ablatum verus dominus; oppignoratum quoque seu pignus & hypothecam soluto debito; venditas res pro parata pecunia, sed non soluta, reservato dominio, donec solutio facta, emtæ res pecunia pupilli, quæ adhuc extant; reservata uxoris bona, liberis donata a sponsoribus fidei, aliaque eorum peculia; pignore & hypotheca judiciali dominium involvente gaudentes, demandatam executionem ante motum concursum rite persecuti; res commissæ tantum, quæ supersunt apud debitorem; impendia denique & sumtus in favorem concursus, uti ad bona consignanda, sequestranda, subhastanda & in judicio facti. Dicuntur autem conturbare nimirum rationes & fortunas, quando eas expedire, & se nominibus extricare nesciunt. Vid. *Cicero pro Plancio c.* 28. & *l. 16. ff.* de in conversos.

§. 692.

Leges concursui præscribendæ.

Legitima addictio bonorum debitoris leges requirit, edocentes, quibusnam pari aut potiori jure bona debitoris nimis obærati sint adjudicanda. Quatenus enim nimis est obæratus, eatenus fieri nequit, ut singulis præstet præstanda (§. 681). Legibus ergo in difficili hoc casu subveniendum est magistratui, quas tantum applicet ad casum præsentem, ut exploratis vere debitis, fraudibus vero remotis, suum cuique adjudicari possit (§. 675 *seq.*)

Classes quinque eorum constitui solent, quibus in concursu debita sunt assignanda, ut in prima habeantur, qui omnibus cæteris sunt anteferendi, in secunda, qui tribus reliquis classibus priores sunt censendi, in tertia, qui postponendi sunt & primæ

&

& secundæ classi; in quarta, qui nonnisi quintæ classi anteponendi; in quinta denique omnium postremo loco collocandi. *Primæ classi* insunt necessitatis officio prælati & dominium suum sibi vindicantes, v. c. defuncti vita debitoris necessariæ funebres impensæ, medicorum & chirurgorum honoraria, & medicamenta, saltem ultimi morbi; alimenta necessaria saltem postremi anni, merces boëthorum, servorum ancillarumque unius anni; tributa & onera publica (realia saltem). *Secundæ* accensentur hypothecam cum personali privilegio conjunctam habentes; ut uxor in dote repetenda (ubi ea non est in conjugum communione bonorum); qui crediderunt in militiam emendam, qui in re pecunia sua comparata vel reparata tacitam aut expressam hypothecam sunt consecuti; pupilli in re pecunia sua comparata; locator ratione locarii unius anni. *Tertiam* ingrediuntur simplici hypotheca gaudentes aut ex hypotheca legali seu tacita, aut ex hypotheca expressa vulgari generali, aut speciali, aut ex immissione in bona judiciali, quæ & demandata exsecutio audit. Tacita hypotheca est pupilli in bonis tutorum; ecclesiarum, hospitalium & communitatum in bonis administratorum; liberorum prioris matrimonii in bonis patris vel matris, etiam ratione avitorum; fisci in bonis administratoris; locatoris in rebus conductoris prædii urbani propter locarium; alumni in fundo, e quo ipsi alimenta debentur. Expressa hypotheca generalis nihil detrimenti patitur ex speciali posteriori, sed potior est, quæ tempore prior; si judicialis eodem die constituta, & nescitur, quæ prior sit, par est utriusque jus; publicæ omnes privatis hypothecis præferuntur, quia in privatis dies obligationis facilius in fraudem antiquiorum mutaretur. Immissio judicialis seu demandata ante concursum & rite prosequendo peracta exsecutio hic locum sortitur plerumque, ob manifestum jus reale, inde & inter se & cum tacitis prior tempore reliquis præfertur. *Quartæ* reservantur, quotquot non nisi simplex privilegium personale habent, ut deponens, cujus depositum non extat in possessione debitoris; resp. aut ecclesia creditrix; qui in re ope suæ pecuniæ comparatæ vel refectæ nec expressam

nec

nec tacitam hypothecam ſunt conſequuti, & in ſimili caſu venditor ob reſiduum pretii; quidquid alimentorum nomine debetur ex nullo peculiari fundo; pecunia cambialis, etiamſi clauſula hypothecæ adſit; quæ debentur advocatis, procuratoribus, præceptoribus & ob ſtudia; qui gratis ſine uſuris pecuniam crediderunt; quæ non ex ultimo morbo vel medico, vel chirurgo, vel pharmacopolæ debentur; & hypothecæ privatæ; debita ex re judicata, & confeſſione judiciali, aſſignationes acceptæ, merces opificum, alienata liberorum peculia, vel ex cambio accepta. *Vltimo loco* comparent, quæ debentur citra privilegium & hypothecam, uti fiſcus ex pœna, chirographarii, qui merito præferantur donatariis, legatariisque, de lucro certantibus. Hujusmodi legibus judices ſuffulti tantum curant, ut ſinguli liquido probent ſua debita, & quæ priora ſeu jure ſeu tempore aliis cenſenda ſint, evincant, & ſic facilis erit ferenda de concurſu ſententia, ſua cuique ex bonis reſiduis aſſignans, niſi pacto transactionis aliud convenit.

§. 693.

Leges de uſucapione & præſcriptione.

Si qui cives ſuarum rerum ſuorumque jurium nimis negligentes ſe gerunt, illorum animus eas derelinquendi recte præſumitur a bonæ fidei poſſeſſoribus, qui præſumto domini conſenſu quaſi derelicta uſucapiant (§. 1021. *ſeqq. P. III. Jur. nat.*), & dominio ita adquiſito dominum ſibi ea vindicaturum præſcriptione repellunt (§. 1024. *ibid.*). Quia imperio publico ſimul dominia rerum introducuntur (§ 109. *P. VIII. Jur. nat.*), & civitatis ſalus conſiſtit in quieta fruitione vitæ affluentiæ, tranquillitatis ſecuritatisque (§. 17. *ibid.*). Debent ergo & dominia rerum eſſe certa & tuta, & ut talia ſint, curandum eſt. Cum propterea & lites de illis cavendæ, & ut in foro exitum habere poſſint, curandum ſit (§. 983. *ſeq. ibid.*): *definiendum* quoque *legibus eſt, quo tempore uſucapio & præſcriptio adverſus negligentes locum habere debeat, ut bona fide uſucapienti dominium ſit adquiſitum,*

tum, & contra dominum præscriptum, eique sit ademtum jus adversus alterum agendi. Nemo quippe negligens esse debet in inquirendo in res suas vel jura sua, quæ forsan in alterius potestatem venerunt, aut quas in eam venisse novit (§. 1046. *ibid.*); & quilibet operam dare debet, ne dominia aliorum & sua maneant in incerto (§. 1052. *ibid.*). Inde dum tacet, qui loqui poterat & debebat, præsumitur consentire (§. 1054. *ibid.*), & dum novit rem suam ab alio possideri, nec multo tempore contradicit, ratione, cur silendum, manifesta non apparente, eam dereliquisse præsumitur haud immerito (§. 1056. *seqq. ibid.*). Ideoque tempus præscriptionis definiri legitime potest, ut, qui interea diligens esse non vult, deinde jus suum amisisse recte censeatur.

Præscriptionum alia tempora statui solent in contractibus vel quasi, alia in delictis vel quasi. Ex posterioribus si criminaliter agitur, statui solet 20 annorum, si civiliter, 30 annorum, quibus in Saxonia additur annus & dies; h. e. sex hebdomades & triduum. Longissimi temporis præscriptio dici solet 30 vel 40 annorum, obtinens dum titulus defuit, & res usucapi vetita est, ut minorum, fiscalis, ecclesiastica immobilis; si mala fides, centum annorum vero in rebus ecclesiæ Romanæ, & immemoralis, über Menschen Gedencken, in regalibus, dotalibus & testamento alienari vetitis. Alias res mobiles bona fide anno Saxonico, saltem triennio; immobiles 10 vel 20 vel 31 annis præscribuntur. Quibusdam delictis præscribitur anno Saxonico alius quinquennio, ut stupro simplici adulterio, lenocinio, digamiæ. Atrocissimis nunquam, ut parricidio, assassinio, crimini suppositi partus, blasphemiæ &c.

§. 694.

In civitate id curate agendum est, ut saltem actus externi civium quorumque ad legem naturæ componantur (§. 395. P. VIII. Jur. nat.); ergo & ut magistratuum in genere, & sena- *Ad quid magistratus sit obligandus?*

tus præsertim, saltem actus externi ad leges civiles (§. 969. *ibid.*), naturalibus consentaneas (§. 973. *ibid.*), accurentur, & cuncti quam validissime impediantur, quo minus ab illis recedant. Quod cum non melius fiat, quam addita insigni obligatione civili (§. 982. *ibid.*): *relinquitur, magistratum in genere, & præsertim senatum, ad graviores causas saltem extrinsecus quam optime regendas insigniter esse obligandum* (§. 462. *seqq.*).

Quomodo ista obligatio civilis tum præmiis & pœnis civilibus, tum aliis subsidiis instruatur, ex antecedentibus satis liquet. Ex præcipuis tantum nonnulla in hunc finem recepta paucis attingere licebit.

§. 695.

Ne jurisdictio sit venalis.

Proinde sanctionibus pœnalibus cavendum est, ne jurisdictio sit aut fiat clam venalis. Si enim venalis habetur jurisdictio, id non fit nisi largitione pecuniæ, qua corrumpitur, qui exercere jurisdictionem debet, ut a legibus recedat, & contra illas suumque officium agat, prout inter omnes id ita contingere constat. Sed magistratui abhorrendum est ab omni corruptione per dona (§. 607. *seqq.*). Qua propter sanctionibus pœnalibus valde cavendum est, ne jurisdictio sit aut fiat occulte venalis.

Sæpe id illi reprehenderunt, qui adversus judices & magistratus egerunt. Vti *Cicero L. II. in Verrem. c. 48.* dicit: an dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendiderit?„ Vbi jurisdictio venalis, ibi simul fides est venalis, & omnia reliqua venalia erunt, ut corruptelarum & prævaricationum omnia plena sint. Quæ non possunt non & remp. pessumdare, & Rectori civitatis imputari, si conniveat, nec, ut par est, severe venalitati juris resistat sanctionibus pœnalibus, earumque rigorosa exsecutione.

§. 696.

§. 696.

Multo minus aperte dolis & vi temeranda est jurisdictio. Manifestas fraudes, & apertam vim multo gravius nocere justitiæ, violare leges jurisdictionis, saluti publicæ repugnare, & labefactare eorum, qui summæ rerum præsunt, gloriam boni regiminis, extra omnem controversiæ aleam positum est. Quare cum clandestinæ corruptiones jurisdictionis, tolerandæ non sint in civitate, sed severe coërcendæ (§. 695): multo magis apertis dolis, & vi apertæ obsistendum, ne his jurisdictio in capitalem abusum vertatur. *Multo minus dolosa palam & violenta.*

§. 697.

Si quid jurisdictioni legitimæ adversum fiat a magistratu, injuriam passis merito conceditur querela adversus eundem, partim supplicando, partim opem superioris adversus ipsum implorando. Supplicationes enim & querelæ justæ sunt in civitate permittendæ (§. 550. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), ut coërceri abusus jurisdictionis possit. *Concedenda querela adversus magistratum.*

Supplicare enim licet & Rectori civitatis, vel ei, qui summæ rerum præest, vel hosti, reverenter petendo, ut imperata, quæ fieri nequeunt, remittantur & mutentur (§. 1050. *seq. ibid.*). Multo magis igitur magistratui licebit supplicare, & adductis rationibus petere mutationem sententiæ aut decreti. Cui affinis est, quæ in Saxonia vocatur *leuteratio,* h. e. dilucidatio gravaminum contra sententiam latam. Romani querelam vocarunt, non accusationem, eorum, qui sibi chari sunt, modestam reverentemque petitionem, ut, quod displicet, mutetur. Ita querelam inofficiosi testamenti, inofficiosæ dotis & donationis dixerunt. Quare & hæc querela inofficiosi magistratus dici posset supplicatio & petitio, ut abusus jurisdictionis corrigatur, si vel protracta vel denegata cuiquam sit justitia ex odio aut in gratiam alterius, sive venalitas probari possit, sive fraus aperta aut vis injusta. Sunt, qui *Syndicatum* parum apte dicunt subire magistratum ob jurisdictionis abusum, cum ipsi dicam scribi, aut ad causam di-

cendam eum adigi innuere volunt. Legibus Romanis judices & magiſtratus ſuperiores functi officio ſuo in provincia vel civitate, cui præfuerant, jubebantur 50 diebus ibi palam commorari, ut de culpa fraudibusque, ſi quas admiſiſſent, convenirentur, ac rationes redderent. *V. l. 1. Cod. ut omnes judices* cæt. ubi hæc leguntur: ut pateat omnibus facultas libera ſuper furtis aut criminibus querimoniam commovendi, &c. Additur 50 librarum auri mulcta, ſi quis quacunque aſtutia, calliditate & excuſatione ſe legi ſubtraheret. Reliqua ibidem legantur.

§. 698.

Et in gravioribus cauſis appellatio. *In eundem finem in cauſis gravioribus concedenda eſt appellatio; in levioribus, legum & æquitatis norma ſtrictius obſervanda exigitur conſcientiæ religione & jurata fide.* Etenim ope appellationis cauſæ deferuntur ad ſuperiorem ab illo, qui ſe gravatum vel ſentit, vel putat, ut ipſe eas cognoſcat decidatque (§ 547. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). Si igitur minus recte judicatum, verendum eſt, ne ſuperior appellatus reprehendat aut puniat pro meritis. Quod quia placere nequit illi, qui minus recte uſus eſt ſua jurisdictione, cavebit ſibi, ne alterutrum vel utrumque incurrat, ideoque rectius ea uti ſtudebit, uti obligatur (§. 676 *ſeq.*).

Fieri tamen poteſt, ut recte acturus in ſua jurisdictione vel erret per imperitiam vel affectum, vel ipſa lex generalis exceptionem haud adjectam patiatur, quam ſuperior ſeu legislator ſibi reſervabit addendam, quando caſus emergeret. Quare ne & his caſibus cuiquam de injuſtitia vel iniquitate ſententiæ conquerendum ſit, provocationi locus & propterea erit relinquendus.

Denique quia minimorum innumera copia facit, ut illis impar ſit civitas evitandis, neque ob quamque exiguam læſionem litibus locus concedi queat (§. 987. *P. VIII. Jur. nat.*): nec in omnibus appellatio concedenda eſt, vel querela importuna

(§. 550.

(§. 550. *not. ibid.*). Proinde sicubi appellatio vel querela negata est, illæ causæ conscientiæ civium, & judicum religioni ita sunt relinquendæ, ut his norma legum & æquitatis naturalis observanda injungatur jurata fide (§. 610. *seqq.*).

Sunt & appellationes illorum concessæ, quibus appellantes non subsunt, remedium adversus injustam vel iniquam sententiam, quatenus per sequutam sententiam prior refellitur, quod male pronuntiantibus itidem labem adspergit, & eorum acuit diligentiam fidemque. Sed id multo magis stringit, si superior appellatur, & reprehendendi acrius & puniendi jure gaudeat. Pariter & querelæ in vulgus sparsæ famam ejus labefactant, qui minus recte usus est sua jurisdictione. Sed & hæ, & quæ ad alios deferuntur, ut sententia adversus talia obtineatur, vel bonæ causæ præjudicio esse, & innocentibus nocere possunt, ideoque haud facile sunt concedendæ. Sufficit illas concedi, quæ præsidium sunt innocentiæ, & justitiæ publicæ.

§. 699.

Quoties concedenda appellatio?

Etiamsi concedatur appellatio, illa tamen ab eadem sententia non nisi semel, aut ad summum bis concedenda. Cum enim jurisdictione præditi tales tantum hic sumantur (§. 676.), qui fide jurata jus dicunt, nec colludendi rationem habent; ideoque nec corrupti sunt nec partium studiosi (§. 603.); vix ac ne vix quidem fieri poterit, ut ibi ejusdem erroris formido nascatur. Probabile igitur admodum est, si quis admissus sit error, eum in altera jurisdictione ex rationibus appellationi adjectis perspectum & correctum iri. Propterea plerumque non opus erit, nisi ut semel appellare liceat & arguere sententiam latam illi, qui eam justitiæ adversari arbitratur.

Si qua causa gravioris est momenti, & sententia iniquitatis accusata confirmatur ab ea jurisdictione, ad quam prouocatum est, ut non appareat, cur rationes contrariæ evanescant; determinandi sunt illi casus, in quibus ulterior provocatio vel

concedenda ſit vel non ſit, ne lites nimis multiplicentur & extrahantur cum reip. inſigni detrimento; nec præter rem querelis locus detur. Determinantur autem per peculiarem cauſarum indolem, & ſummam inſignem eorum, de quibus diſceptatur. Qualis cauſa ſi adſit, ad ſummum alteri quoque provocationi ſecundum leges locus erit relinquendus, ut tandem cauſa exitum ſortiatur (§. 983. *P. VIII. Jur. nat.*). Si crebrior appellatio daretur, ea facillime verteretur in abuſum, ut lites ex litibus naſcerentur (§. 984. *ibid.*), & natæ a potentiori parte eo usque ducerentur, donec innocens ſumtibus exhauſtus ſuccumberet, quod omnino juſtitiæ repugnaret (§. 985. *ibid.*).

Quoniam inſtantia dici ſolet aſſiduitas cauſam urgendi, ut *l. 32. §. 1. & 33. ff. de uſur.* item lis pendens, a litis conteſtatione usque ad ſententiam *l. 73. ff. de judic.* duas illi vel tres eſſe inſtantias apparet. Prima, ubi res primum ventilatur & diſceptatur, quod plerumque de ordinario intelligitur magiſtratu, & a quo transfertur per appellationem ad ſuperiorem, ubi illius ſecunda erit inſtantia. Qui ſi ſit rector civitatis, ab eo ulteriorem non dari provocationem patet, quando is in terris ſuperiorem non habet. Si habet ſuperiorem, & cauſa eſt tanti, ut rector civitatis eam ad ſe devolvi permiſerit, quo ipſi eo rectius conſtet, num cuipiam de vicariis ſuis juſta conquerendi cauſa detur, an recte gerant partes ſuas, altera dabitur appellatio & ultima, quæ tertia erit cauſæ inſtantia cognitioque.

§. 700.

Quid inſolentia magiſtratus ſit? *Inſolentia magiſtratus* vocatur abuſus jurisdictionis ad alios premendos & habitus hujusmodi. Mirum non eſt, illam ſuperbiam ſpirare, dominatum exercere, in audaciam ſubinde majorem prolabi, & raro ex ſola imperitia naſci.

Sic *pro domo ſua Cic. c. 55.* De Clodio: quanquam & inſolentia dominatus extulerat animos, & erat in credibili armatus audacia. De Antonio autem *Ep. I. L. X. ad Fam.*: Cujus tanta eſt non

non insolentia, nam id quidem vulgare vitium est, sed immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cujusquam. Quem postea vocat hominem impotentissimum & intemperatissimum. *L. I. de invent. c. 28.* Ex insolentia arrogantia, ex arrogantia odium. Germanis appellatur Uebermuth. Ipsum nomen docet, insolitam exerceri vitiositatem, ambitionis, avaritiæ, libidinis suæ satiandæ causa.

§. 701.

Appellationes, ut ad innocentiæ præsidium, ita ad magistratus insolentiam cohibendam faciunt. Continent enim accusationem iniquitatis sententiæ apud superiorem (§. 548. *P. VIII. Jur. nat.*). Qua intellecta & probata superior subveniet innocenti, & male pronuntiantem redarguet, puniet, & efficiet, ut in posterum rectius agat (§. 698.). Simul si magistratus abuti incipiat sua jurisdictione, justitiamque deneget protrahatve enormiter, multo magis si habitum abutendi crebro exserat, ope appellationis excussæ superior insolentiam ejus deteget (§. 680.), & ne sibi illa imputetur, eam aut severe coërcebit, aut ab illiusmodi ministerio abhorrebit (§. 581.). *Ei medentur appellationes.*

Vlpianus scripsit *ff. l. 1. de appellat.* Appellandi usus quam sit necessarius, nemo est, qui nesciat, quippe cum iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat.,, Facile insolentia incidit in jactantiam, ostentationem, vanitatem, & mores omnibus bonis graves & vix tolerandos. Quo magis opus est, ut ea compescatur tempestive. Prout *l. 1. C. de custod. reor.* & carceris acerbitatem & cruciationem severe prohibet. Si quoque privilegium de non appellando habeatur, id tamen in casibus vel aperte denegatæ vel protractæ justitiæ non solet attendi ob cessantem tunc privilegii rationem ejusque violationem (§. 658.).

§. 702.

Appellationes ne in abusum vertantur, cavendum est partim definitione casuum, in quibus admittendæ sint, vel non sint; & si admittendæ *Quomodo abusus aptendæ*

pellationum tendæ sunt, vel prævio jurejurando sive calumniæ, sive malitiæ; vel detollendus sit? posita mulcta appellantis, non reddenda, si succubuerit, cui pœnæ refusio expensarum appellationis accedere pro re nata solet. Etenim si definiantur casus, in quibus appellare licet, vel non licet, in posterioribus aut nulla interponetur appellatio, aut interposita rejicietur. Si vero causa sit ex earum numero, in quibus admittenda est appellatio, vel jurejurando calumnia & malitia arcetur; vel non nisi deposita pecuniæ concessa summa conceditur, quæ mulctæ more perdita sit, si damnetur appellans; vel & his accedit pro re nata condemnatio in impensas appellationis illi refundendas, adversus quem est provocatum (§. 462. *seq.*).

Cavendum sedulo est, ne munimenta innocentiæ & justitiæ per abusum vertantur in malitiæ instrumenta. Quod in appellationibus fit, per earum abusum, ad alios innocentes vexandos & opibus emungendos. Hic abusus vero impeditur, si non promiscue liceant appellationes, sed tantum in causis gravioribus (§. 698.), quarum indoles distincte docenda est. Vti Romano Digestorum & Codicis jure non conceditur appellatio a sententia principis, & senatus per privilegium immunis a provocatione, vel si ex partium pacto, renuntiatum est appellationi; si res moram non patitur; si per leges satis liquida, v. c. si quis appellare vellet, ne pignus vendatur, ne testamentum aperiatur, &c.; si tempora appellatoria, quæ & fatalia dicuntur, non fuerint observata; si sententia interloquens grave periculum causæ creare nequeat; si tantum calculi error in sententia detur; si præceptum sententiæ est impossibile, vel contra leges pronuntiatum est; si pronuntiatum est contra mortuum ante latam sententiam; si quis rite vocatus per contumaciam absens condemnatus erat; si confessus & convictus appellaret; si ab exsecutione legitima sententiæ, quæ in rem judicatam abiit, provocetur.

Juramentum calumniæ speciale in quovis articulo causæ ad litigatorum temeritatem coërcendam, & malitiam excludendam sole-

solebat adhiberi, judice ex gravi causa id vel ex officio jubente, vel ad petitionem partis alterius. Quod si actor sine justa causa recusabat, tanquam improbus litigator reo absoluto expensas refundere cogebatur; si reus recusabat, tanquam convictus & confessus damnabatur. Dabatur & generale in exordio litis præstandum in hæc circiter capita: sibi causam suam justam videri, se nolle veritatem diffiteri, nihil corrumpendi causa dedisse aut daturum esse, nec usurum esse falsa probatione, vel probationes non necessarias petiturum, nec temere litem protracturum. Nostri hoc jusjurandum dicunt den Eyd vor Gefährde. Cui accessit juramentum malitiæ, der Eyd der Boßheit, itidem in quovis articulo causæ locum habens, ubi gravis malitiæ suspicio se prodit. Enimvero quia advocati jam id jurarunt, quod calumniæ causa jurandum esset, ne temere juretur, juramentum calumniæ in desuetudinem abiit, nec nisi raro malitiæ suspicio jurato amovetur, cum ad scopum obtinendum mulctæ, & expensæ retardati processus irrogatæ plerumque sufficiant, si appellans vincitur, nec probabilem attulit appellandi causam.

§. 703.

Apostoli hic recepto usu dicuntur libelli, quibus acta causæ, interpositæ appellationis ergo transmittuntur, vel literæ magistratus appellationem comitantes. Dividi solent in *dimissorios*, quibus appellationi sponte defertur; *refutatorios*, per quos judex improbat appellationem, ejusque rationes redarguit; & *reverentiales*, quibus dubitatur, an illi deferendum sit, nihilominus dantur in reverentiæ & obsequii testimonium erga superiorem. *Quid sint apostoli.*

§. 704.

Faciunt & apostoli, quibus appellantis rationes redarguuntur, ad compescendam appellandi licentiam. Si enim iisdem rationes appellantis solide refutantur (§. 683.), superior appellationem rejiciet, pronuntiando, sententiam recte esse latam, seu bene esse *Ad quid faciant?*

 pro-

pronuntiatum, male vero provocatum. Vnde mulcta sponte sequitur, & damnatio ad refundendas impensas innocenti parti.

Equidem & reliqui apostoli argumenta suggerere possunt, quibus lata nititur sententia; directe tamen non faciunt ad frivolam appellationem ostendendam, & ad rationes illius evertendas, ut vel error, vel affectus, vel injustitia aut iniquitas innotescat, quibus debentur. E contrario quoque si justæ querendi causæ absunt, illæ superiori una innotescent.

§. 705.

Remedium contra obreptitie impetrata.

Si quod rescriptum principis aut privilegium subreptitium impetratum fuerit, quin ipse pro rei veritate ostendenda adeundus sit, dubitari nequit. Etenim quod per subreptionem impetratum est, id vel per errorem vel per malitiam, aliter, ac res habet, suggestum fuit, & in se vel saluti publicæ vel aliorum juribus adversum est. Quare si sub specie veritatis id persuasum est principi, & is rescripsit secundum petita, non censendus & id statuisse, nisi fretus veritate & æquitate petitorum. Si igitur ostendi luculenter potest, nec vera illa esse, nec æqua aut justa, nihil esse potest verisimilius, quam principem, rectiora cogniturum, aliter quoque esse staturum. Ideoque ut id exactius cognoscat, pro veritate rei patefacienda & evincenda illum esse adeundum, cur hæsitaretur, vicario magistratus officio requirente, ne veritatem dissimulet (§. 379. & 527).

Hoc remedium vulgo etiam ad appellationem refertur, & perhibetur fieri provocatio a principe male informato ad bene informatum. Vlpianus enim *l. 1. ff. de appellat.* §. 1. ait: quæsitum est, an adversus rescriptum principis provocari possit, forte si præses provinciæ consuluerit, & ad ejus consultationem fuerit rescriptum. Est ergo quæsitum, an appellandi jus superfit. Quid enim, si in consulendo mentitus est? De qua re exstat rescriptum diu Pii: Si scripserit quisquam ad nos, & illi aliquid rescri-

reſcripſerimus; volentibus ad noſtram ſententiam provocare permiſſum erit. Si enim docuerint, vel falſo, vel non ita ſe habere, quæ ſcripta ſunt, nihil a nobis videbitur judicatum, priusquam contra ſcriptum fuerit, quemadmodum res ſe aliter habeat, ac nobis inſinuatum ſit.,, Multo magis id remedium locum habet, ſi quis furtivis falſisque narrationibus vel precibus principem fefellit, h. e. obrepſerit & per obreptionem quidquam impetraverit. De quibus vid. *in Cod. Titt. ſi contra jus vel utilitatem publicam fuerit aliquid impetratum; & ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, ubi & abolentur per fallaciam impetrata, & pro gravitate audaciæ alia ſeveritas dicitur ſuperfutura.

§. 706.

Deſerta ſtatuitur *appellatio*, cum appellans intra fatale, h. e. ſtatutum tempus, eam non perſequitur, cum vel plane non vel non rite apoſtolos petiit, vel eosdem in termino præfixo non redemit, vel neglexit eam introducere ſive deferre ad ſuperiorem ſtato tempore, & juſtificare. *Deſerta* perhibetur *lis* vel *eremodicium*, cum vel actor vel reus ſuis partibus peragendis in judicio deſunt, ſive dum alteruter litigantium litem jam cœptam in termino fatali non proſequitur. *Deſertum* dicitur *vadimonium*, cum ſe judicio non ſiſtit reus, qui vadem, h. e. fidejuſſorem dederat de judicio ſiſti, vel ſe ſiſtendi in judicio. Deſerens ergo vadimonium ſeu ſponſionem vel ſatisdationem ſtandi in judicio, non obibat illud, nec ad illud occurrebat. *Deſtitiſſe* Vlpiano dicitur, qui abſtinet a cauſa, calumniandi animo ſuſcepta; renuntiaſſe autem liti, qui cognita rei veritate, ſeu agnito errore ſuo, non vult in lite improba perſeverare, quam calumniæ cauſa non inſtituerat *l. 11. ff. de Judic.* quanquam & is ibi deſerere negotium ſuum fertur.

Quid ſit deſertio appellationis, litis & vadimonii.

Ερημοδίκιον tranſit in latinum eremodicium, quod ad contumaciam refertur, & Gallis dicitur peremtion d'inſtance. De quo Pipinianus *l. 7. ſ. 12. ff. de minor.* ſcribit: item in eremo-

diciis minori ſubvenitur. Conſtat autem omnis ætatis hominibus reſtaurationem eremodicii præſtari, ſi ſe ex juſta cauſa doceant abſuiſſe. Vti Imperator *Iuſtinianus l. 13 §. 4. C. de judiciis* ſtatuit. Cum autem eremodicium ventilatur, ſive pro actore ſive pro reo, examinatio cauſæ ſine ullo obſtaculo celebretur (ut prope finem triennii, quo cauſa ventilatur, ſententia detur abſentem damnans). Additur enim §. 5 ſi anteriori tempore, in quo larga temporis ſupereſt dilatio, & ſpes relicta fuerit revertendi, alterutra pars ceſſaverit, in ſola expenſarum datione fortſitan præſtetur pœnalis ſententia, non autem tunc mors litis & condemnatio in abſentem introducatur.

§. 707.

Quid de tali deſertione ſtatuendum? *Deſerta appellatione abit ſententia in rem judicatam; lite ſeu cauſa deſerta abſens tota cauſa cadit, niſi juſtis abſentiæ cauſis reſtitui mereatur; vadimonio deſerto, vel vas ſubit poenam receptam, vel reus ad id, quod intereſt, damnatur, aut ad aliam poenam, niſi legitimo excuſetur impedimento; deſiſtentes vero & renuntiantes citra fraudem, ſuo utuntur jure.* Si appellatio deſeritur revera, idem eſt, ac ſi nulla fuiſſet interpoſita, quia penitus evaneſcit (§. 706). Manet ergo ſententia in ſuo vigore, & vim legis adquirit, obligantis eum, contra quem data eſt, & jus perfectum tribuentis ei, qui per eam vincit adverſarium. Ideoque ſententia ſupra ulteriorem impugnationem poſita abit in rem judicatam, in qua eſt adquieſcendum (§. 553 ſ q. *P. VIII. Jur. nat.*).

Deſerta vero cauſa in fatali termino non fit, quod fieri victoriæ conſequendæ cauſa debebat, ſive plane fieri nequeat, ſive litigans contemtu magiſtratus aut cauſæ id facere nolit (§. 706). Merito igitur damnatus in eremodicio tota cauſa cadit, ut amplius, peremta lite, audiendus non ſit, niſi juſtas abſentiæ cauſas docere & approbare magiſtratui poſſit (§. 661).

Vadi-

Vadimonio deserto non sistit se judicio, qui debebat, & vade caverat de sistendo (§. 706). Sua ergo culpa incidit in mulctam a vade aut se promissam, aut in pœnam arbitrariam, si nihil certi promissum est, quæ ei, quod interest, ne esset desertum, æquiparari solet (§. 623 *P. III. Jur. nat.*), ut altera pars indemnis præstetur.

In renuntiantibus nihil est, quod reprehendi mereretur (§. 670 *P. VIII. Jur. nat.* & §. 554 *P. I. Philos. pract. univ.*), & si desistentes calumniandi animum ipsimet non produnt, vix ille perspicietur a quoquam, dum itidem errori potius verisimili, quam calumniæ in dubio facta tribuenda sunt humanitatis causa (§. 1038 *P. I. Jur. nat.*). In primis dum damnum vel injuria reparatur (§. 571 *P. VIII. Jur. nat.*), & ob exiguam læsionem litibus in foro locus concedi nequit (§. 987 *ibid.*)

Quando de appellatione deserta judicium sit penes magistratum, aut superiorem, facile intelligi potest ex casibus desertionis, notatis ad §. 706. Scilicet si causa jam devoluta est ad superiorem, ejus erit judicium & cognitio. Si autem, antequam introducatur appellatio, vel innotescat superiori, facta sit, de ea statuet magistratus, a quo lata erat sententia. Conferri de eremodicio hic possunt notata ad §. eundem, & plura haurientur e citata *l. 13. Cod.* Pertinet huc quoque sponsio de judicato solvendo, uti *Julianus l. 13. ff. judicatum solvi* notat: cum quærebatur, si interposita judicatum solvi stipulatione, cum quis rem non defenderet, postea ex eremodicio sententiam esset passus, an ob rem judicatam clausula committatur? Longior responsio legatur ibidem. In eremodicio ob desertam causam condemnatur absens, sive is sit actor, quia non est persecutus actionem in termino peremtorio, sive reus, quia deseruit suam defensionem, ni doceat justas præsentiæ ipsius obfuisse causas.

§. 708.

Quid in electione magistratuum curandum sit? Vbi magiſtratui committitur electio aliorum, in locum decedentium, ſui aut inferioris ordinis, ibi ſimul *cavendum lege eſt & jurata fide, ne proximi duo neceſſarii in eundem ordinem ſimul adhibeantur; nec indigni per affectum amoris, gloriæ, & ſtudium augendi ſuos aſſeclas, clientes & aſſentatores eligantur, qui alias non eſſent electi; vel digniores per odium & invidiam, aut vindictæ cupiditatem prætereantur.* Cur plures admodum neceſſarii ſimul in eundem ordinem cooptandi non ſint, ejus ratio in Ariſtocratia (§. 644. *P. I. Polit.*) allata eſt, & in mixta forma patet ex §. 70. *P. II. Polit.* Idem vero generatim in omni alia forma conſultum eſſe, docet generalis lex civitatum eaque ſuprema, ſalus publica (§. 86 *P. VIII. Jur. nat.*), & officium obligans ad ea facienda, & curanda, quæ illi proſunt, & omittenda ac cavenda, quæcunque illi obeſſe poſſunt (§. 84 *ibid.*). Quibus accedit officium in locum rationum naturalium ſubſtituendi alias probatu faciles, quæ illis ut plurimum æquiparandæ ſunt (§. 986 *ibid.*). Cujusmodi in hoc caſu eſt arcta neceſſitudo, facile generans aut amorem cœcum, aut odium, quoties fratrum gratia rara eſt. Quorum affectuum neuter bono regimini profutura pollicetur, ſed potius facile in ejus nocumentum detrimentumve deflectit, ideoque eſt proſcribendus.

Quia ne quidem a rectore civitatis indigni eligendi ſunt ipſius vicarii (§. 339. 365 *ſeqq.*): multo minus jure vicario a magiſtratu ex quocunque affectu alii eligendi ſunt, quam digniores cæteris. Cum nullis affectibus pravis indulgere debeant (§. 600 *ſeqq.*), nec amore cœco, nec odio, in electione indulgendum ipſis eſt. Hinc nec ex prava cupiditate ulla, nec ex tali fuga, vel indigni ſunt dignis præferendi, vel digniores poſtponendi indignis.

Pro-

Proximorum conſanguineorum loco ſunt parentes & liberi in linea recta, in collaterali fratres germani; nonnunquam his æquiparantur affines proximi, ut ſocer una cum genero in ſenatu ſedere & jus dicere prohibeatur. Ratione conſcientiæ parem eſſe rationem eorum patet, qui ex amicitia, affectuque aliquo indignos admovent ſpartis, ut clientes habeant & aſſentatores ſuffragatoresque ſuorum conſiliorum.

§. 709.

De interceſſione magiſtratus pro ſubditis.

Quia ſuperiore imperante, quod nimis durum eſt, vel iniquum videtur, ſupplicare, & cur ita videatur, demiſſiſſime exponere licet (§. 1051 *P. VIII. Jur. nat.*), ſi tamen precibus non annuitur, obediendum eſt (§. 1052 *ibid.*): magiſtratibus nullum eſt jus reſiſtendi injuriis ejus, cujus ſummum eſt imperium, ſed tantum jus ſupplicandi (§. 1053 *ibid.*). *Quando igitur magiſtratus abſoluto ſubeſt imperio, nec ſupplicatione ſubmiſſiſſima flectere animum ſuperioris potuit, ipſi quoque adquieſcendum & obtemperandum eſt imperatis quantumvis durioribus.* Si autem limitato ſubeſt imperio, intercedere & urgere poteſt leges fundamentales, juratam fidem illis datam, & ſi nihil impetret, rem deferet ad eos, quorum eſt ejusmodi actus emendare, interpoſita ſua autoritate & remediis lege præſcriptis (§. 1047 *ibid.*).

§. 710.

Quo loco magiſtratus ſubditis ſit habendus?

Licet non ſuo nomine imperet magiſtratus (§. 597), ſed tantum vicarius ſit rectorum civitatis in quibusdam ordinariis regiminis partibus (§. 571); habet tamen nonnullas regiminis partes ſibi demandatas in jurisdictione ordinaria (§. 632), cum poteſtate & potentia ſufficiente ad partes ſuas legitime implendas (§. 652). Ea propter *ſubditi agnoſcere debent, magiſtratum vices gerere ſuperioris, & eum hujus loco ipſis eſſe habendum*

in

in partibus regiminis ipsi demandatis, sive in ordinaria jurisdictione (§. 141 *P. VIII. Jur. nat.*)

Vti reges, rectoresque civitatis alii, Dei vices gerunt in terris ratione summi imperii, & loco Dei ab hominibus habendi, utpote quos & sacrae literæ Deos dicunt mortales: ita magistratus loco rectorum civitatis ordinariæ jurisdictioni sunt præfecti a civitatis rectoribus, ideoque instar & loco ipsorum sunt habendi a subditis. Quemadmodum enim magistratus rectorum civitatis subditi sunt, ita ipsorum jurisdictioni subjecti ipsorum quoque sunt subditi pro gradu concessæ ipsis jurisdictionis. Quanquam nec præter rem magistratus quoque Dei vicarii dicuntur & ministri a Paulo ad Rom. XIII. 1 - 5 scilicet inferioris ordinis dignitatisque.

§. 711.

Quid debeant subditi magistratui suo?

Quæ magistratus debent rectori civitatis, eadem & subditi ipsis, & ipsorum mandato quoque magistratui debent. Est enim persona rectorum civitatis magistratui imposita, & magistratus ipsorum loco sunt habendi (§. 710). Manifestum igitur est, quod magistratus tanquam subditi, debent rectoribus civitatis, idem pariter ipsis omnes subditos debere, & propter imperata superioris, idem quoque debere suis magistratibus.

§. 712.

Honorem & reverentiam.

Jam quia subditi ipsius magistratus superiorem magni facere debent, tantoque majoris, quo melius imperat (§. 1048 *P. VIII. Jur. nat.*), eique reverentiam & animo & actibus externis debitam exhibere (§. 1049 *ibid.*): patescit, *a subditis magistratum quoque pro meritis magni esse faciendum, honorandum, eidemque debitam reverentiam esse exhibendam*, (§. 711), non tantum ob propria ejus merita in bono regimine, & legitima jurisdictione, verum & quia personam gerunt rectorum civitatis, v. c. regis, cujus loco publica commoda curant (§. 710).

§. 713.

§. 713.

Prout magistratibus obediendum est Deo, & superiori, cujus sunt vicarii (§. 408 *seqq.* 571. 588): ita & *subditis obediendum est magistratui in omnibus, quæ salutis publicæ, & legum, eodem tendentium, ratio requirit* (§. 969 *P.VIII. Jur. nat.*) & (§. 657). Quemadmodum vero, si superior imperat legibus divinis aut fundamentalibus adversa, subditi obedire non obligantur (§. 973 *seqq.* & 1046 *ibid.*): ita si magistratus vellet imperare legibus divinis aut civilibus ipsi præscriptis contraria, subditi eidem obtemperare non obligarentur, sed id rationibus, quando opus est, adductis deprecari & modeste declinare. Si sic nihil proficerent, norunt, querelis suis locum fore apud superiorem (§. 697), saltem apud Deum, justissimum omnis injuriæ vindicem. *Item obedientiam legitimam.*

Debitam obedientiam si præstare subditi nolint, adversus contumaciter inobedientes sufficienti gaudent potestate & potentia (§. 658), quam vi repellere auderent, superior facile tanto majorem adhibebit, cui resistere non solum nequeant, sed & meritas dent pœnas.

§. 714.

Vti subditi ad unum omnes, ipsique ideo magistratus & omnes alii vicarii, rectorem civitatis amare & diligere debent, ut semet ipsos, etiamsi male imperet (§. 1079 *seq. P. VIII. Jur. nat.*), ideoque eum odisse haudquaquam debent (§. 1082 *ibid.*): ita quoque *subditi suos magistratus eadem charitate complecti debent, qua feruntur in se ipsos fovendos perficiendosque* (§. 711). Quare si quid humani patiuntur, nec ita bene vices suas obeunt, ac deberent, non tamen propterea odio habendi, sed nihilo secius amandi, &, si fieri possit, mitissimis amicissimisque modis corrigendi erunt. Quia ex charitate fluit *Charitatem & timorem, etiam si non sint, quales esse deberent.*

timor (§. 1176 *seq. P. I. Jur. nat.*), *magistratus quoque timendus est a subditis.*

§. 715.

Quæ magistratui danda sint & præstanda?

Quia magistratus partim ipsi indemnes sunt præstandi propterea, quod curæ reip. & jurisdictionis ordinariæ, non sine neglectu rerum privatarum vacare obligantur, per salaria, accidentia & sportulas (§. 905 *seqq. P. VIII. Iur. nat.*) & (§. 676); partim & publicum administrant ærarium sui loci (§. 650): manifestum est, *a subditis danda esse magistratui, quæcunque ipsi per leges, pacta & consuetudinem debentur*, ubi & magistratus superiori dare obligantur, quæcunque ipsi debentur (§ 650). Quare tributa, vectigalia aliaque impendia legitime tum constituenda (§. 776. 778 *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 926. 929 & 936 *ibid.*), tum danda (§. 777 *ibid.*), & onera quoque personalia debita præstanda esse liquet (§. 930 *ibid.*) & (§ 183 *seqq.*), quando, v. c. pacis conservandæ, & communis boni causa, auxilio civium & in genere subditorum indiget.

Pensitandum est subditis, magistratui jus & injurias omnes curæ esse, ut has averruncet, illud procuret subditis, eumque, ut *Cicero Philipp.* 7. loquitur, in custodia & tanquam in specula positum esse, ut vacuum metu populum vigilia & prospicientia reddat. Sic intelligent, quam multa illi debeant, cujus administratione ac providentia pingui gaudent otio & imperturbata in suis occupationibus quiete, eoque proniores erunt, ad illis obtemperandum dandumque & præstandum, quidquid debent, ut beatam una cum ipso vitam agere possint, & civitas opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honestissima sit.

§. 716.

Uti quævis officia erga alios.

Si subditi obligantur præstare rectori civitatis officia, quæ homo homini debet, uti revera obligantur (§. 1078 *P. VIII. Jur. nat.*), ad idem quoque obligantur illi magistratus, &

ad

ad idem quoque subditi magistratui obligantur. Sed homo homini obligatur ad perficiendum statum animi corporis & fortunæ, & ad arcenda illius saluti contraria, quatenus id absque neglectu officii erga se ipsum facere potest, & alter id non habet in sua potestate (§. 608 *seq. P. I. Jur. nat.*), obligatur & ad officia humanitatis (§. 655 *seqq. ibid.*). Quapropter *subditi magistratui suo præstare debent quævis officia, quæ aliis hominibus debemus, & quævis humanitatis officia*, idque eo magis, quo magis id merentur magistratus, & quo magis cupiunt, sibi vicissim a magistratu promte præstari, quæ magistratus ipsis debet, ut mutua humanitate charitateque erga se & salutem publicam certare intelligantur (§. 1081 *ibid.*) & §. 99. 102 *P. I. Jur. nat.*).

Humanitatis quidem officia jure externo non debentur nisi imperfecte (§. 658 *seq.* & 663 *P. I. Jur. nat.*). Enimvero obligatio interna & in his perfecta est (§. 656 *ibid.*), & homini jus est perfectum petendi ab aliis officia humanitatis, quando, quod petit, ipsemet facere nequit (§. 661 *ibid.*), immo illa quoque altero non petente præstanda sunt, dum ea sunt officio erga nos non contraria, quibus indiget (§. 664 *ibid.*). Quo magis liquet, quæcunqne officia aliis debentur seu perfecte, seu imperfecte, uti humanitatis officia, ea magistratui sponte præstanda esse eo diligentius accuratiusque, quo magis id postulat gratus animus in ipsius curas vigiliasque pro communi salute, & ulteriorum spes officiorum & beneficiorum, quæ sentiet officiosos in se præ cæteris mereri?

SECTIONIS II.

CAPUT IV.

DE
Prudentia utendi legatis.

§. 717.

Nequeunt cuncta cum aliis civitatibus coram aut literis peragi.

Haud raro occurrunt diversis civitatibus earumque rectoribus inter se negotia salutis publicæ causa expedienda, quæ nec a rectoribus per se, nec per literas recte, aut melius, quam per vicarios tractari possunt.* Est hoc experientiæ ita obvium, ut sufficiat paucos commemorasse casus, in quibus id liquido patet. Quando nempe satius est, ut Rectores civitatum per se coram, aut literis sua peragant negotia (§. 335), nullis opus est vicariis. Enim vero si coram compaciscendum est, oportet, ut rectores diversarum civitatum in eundem locum conveniant. Quod sæpe per earum magnam admodum distantiam, per incommoda & pericula itineris, per metum insidiarum, per adversam valetudinem ac anni tempestatem, & per graviora negotia regiminis interni fieri nequit, nec ob alias rationes consultum est, quarum complures concurrere possunt. Neque minus periculi literis creari potest, ut intercipiantur, perdantur, minus recte explicentur, suspectæ videantur, & quando dubia occupare non potuerunt, aut nihil efficiant, aut magno temporis dispendio ansam dent. Nec desunt alii casus, ubi rerum natura & recepta consuetudo, præsentes requirit oratores curatoresque negotiorum. Ex his ergo & similibus causis aut plane non poterunt res inter diversas civitates tractari & absolvi ab ipsismet autarchis, aut

non melius, quam ope vicariorum. Id quod & de literis eorum tum liquet.

Duplex hic intervenire poteſt impotentia per ſe aut literis agendi, quæ cum alia civitate agenda ſunt. Altera naturalis per morbos, mortem, & rerum indolem temporumque; altera moralis per graviora alia officia ſeu imperii, ſeu decoris recepti exorta. Jam ſi tres dantur modi aliquid agendi, quorum nec primus nec ſecundus locum habere poteſt, ſaltem non eſt melior tertio, ſicubi locum habere poſſet, tum neutrum eſſe adhibendum liquet per §. 192 & 209 *P. I. Philoſ. pract. univ.*

§. 718.

Sed ſunt quædam vicariis committenda.

Quæ nequeunt cum aliis civitatibus coram aut literis peragi, aut ſic melius curari nequeunt, quam per vicarios, ea negotia vicariis prudenter ſunt comittenda tanquam ſimul miniſtris. Eſt enim uti in privatis ita & in publicis cauſis id agendum, quod fieri & poteſt, & reliquis, quæ fieri poſſunt, præferri meretur (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare manifeſtum eſt, vicariis ea negotia in aliena civitate provide committenda eſſe, quæ per ipſos melius curari poſſunt, quam vel ab autarchis coram, vel eorum literis. Quia hi vicarii mittentis conſenſum in illa negotia declarant, ſimul ſunt miniſtri (§. 721 *ſeqq. P. III. Jur. nat.*).

§. 719.

Eaque varii ſunt generis.

Etiamſi ab illis recedimus, quæ vel privatis quibusdam, vel & ſocietatibus publicis in civitate aliena curanda ſunt; *varii* tamen *generis negotia reſtant, quæ publica autoritate, & nomine rectorum civitatis cum alia civitate tractanda occurrunt.* Modo enim de commerciis mutuis, modo de fœderibus, modo de injuriis acceptis aut impendentibus, modo de pace concludenda aut proroganda, modo de aliis negotiis, juribus & limitibus quædam convenienda ſunt & deliberanda invicem, quæ, niſi in

rem præsentem venitur, mutuisque colloquiis discutiuntur, melius componi haud possunt.

Si qua privata tantum negotia in alia civitate tractanda sunt, ea vel privati ipsi expediunt, vel per suos procuratores aut mandatarios, eo missos, aut ibi adscitos. Si qua societas, v. c. mercatoria, ibi procuratore & jurium suorum custode & judice eget, illius loco ibi *Consul*, quem vocant, constitui solet (§. 454 *P. I. Polit.*). Qui consul non nisi ex pacto suæ societatis id jus ibi habet, & ut privatus mandatarius consideratur, vel ut mercator peregrinus, qualis esse plerumque solet, aliorum simul procurator & judex, nisi publica autoritate simul majoris securitatis causa est constitutus (§. 230 *seqq. Jur. Gent.*). Suo tantum nomine olim societas Hanseatica passim suos habebat consules. Sed quæ nunc societates Indicæ & similes habentur, illæ suorum regum suarumve rerumpublicarum autoritate simul se tueri consueverunt. Si aliæ societates alibi degerent, v. c. religionis causa, uti passim dantur socii societatis Lojoliticæ, vel & rei literariæ, astronomiæ, &c. causa, quod sua utilitate non careret; de illis secundum pacta conservandis, regendis, judicandis, similes institui possent consules vel procuratores.

§. 720.

Quid sint protectores cardinales?

Si quis Romæ degens purpuratus constituatur patronus Regni, vel jurium & negotiorum regis, qui mandata ad Papam referat, & in ejus aula confici curet, is protector ejus, v. g. Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, cæt. vel protector cardinalis dici consuevit. Ideo *protectores cardinales* sunt patroni jurium & causarum civitatis (regni) cujusdam in aula pontificia; vel sunt purpurati juribus alterius civitatis in aula Papæ patrocinantes. Protectorum igitur est, ex æquitate & fide jura civitatis, cujus patrocinium suscepere, tueri & defendere, nec non mandata sibi negotia publica Papæ insinuare, & curare, ut conficiantur. Instruuntur eum in finem publico mandato, & insignia

insignia illius regni &c. ante portam domus suæ exposita habent, cujus sunt patroni, plerumque donec moriuntur, vel pontifices creati sunt. Conveniunt igitur quadamtenus cum mandatariis publicis, quorum mandatum exspirat rege mortuo, nisi ab electo denuo protector eligatur. Cæterum conveniente honorario ut indemnes præstentur, æquum est.

Non sunt hi protectores vicarii regum vel regnorum proprie dicti, nec ministri, quia non sunt subditi ejus, cujus sunt protectores, nec ab eo dependent & aluntur. Nec proprie sunt patroni, nec reges eorum clientes (§. 387 *Oecon.*), sed propter affinitatem cum advocatis, qui patroni causarum, quas defendebant, & reorum in primis dicebantur, eatenus conveniunt, quatenus & ipsi, ut faveant regibus, & eorum jura defendant ex eorum mandato, constituuntur. Eminenti igitur patrocinio partes regum & regnorum apud Pontificem tuentur. Et eapropter hic eorum mentio fuit facienda, ne cum legatis confunderentur.

§ 721.

Legati vel superiores, vel inferiores, aut quasi.

Quia legati hic sunt vicarii rectorum civitatis in alia civitate, vel inter exteros (§ 361), iique *superiores*, de his potissimum hic sermo erit, & de *inferioribus* vel quasi legatis tantum pauca subjiciemus. Dicuntur & hic superiores, quibus negotia majoris vel & maximi momenti committuntur, quæ cujusmodi sint, liquet ex §. 349. Quocirca inferiores erunt, quibus non nisi minoris aut minimi momenti negotia committuntur, qui & propterea legati non consueverunt appellari, sed aliis nominibus gaudent.

Seponimus hoc ipso latiorem legati significatum, inter Romanos frequenter obvium, quo, quisquis alterius provinciæ aut summi aut magni viri loco est, eidemque ad consilium & vicariam operam adjungitur, sive peregre cum illis degat, sive minus, dicitur ejus legatus. Ita Consules, Proconsules in provin-

ciis

ciis ſuis utebantur legatis, quos vel ſibi legabant, vel a ſenatu lectos & aſſeclas accipiebant, uti & imperatores in bello aliique, ut eſſent, quibus conſultoribus, adjutoribus & miniſtris uterentur. Præſtaret legatos ex momentis negotiorum metiri, quam ex ſplendore externo, qui poteſt adhiberi, poteſt quoque pro re nata omitti, niſi uſus obeſſet.

§. 722.

Legati vel ſolennes, vel clandeſtini.

Qua exteriorem habitum legati vel ſunt ſolemnes, ſeu aperti, vel occulti. Illi manifeſto ſplendore legatorum omnibus conſpicuos ſe præbent & præbere jubentur. Hi modo incognito legationem obeunt, nec legati dicuntur, licet ſint revera ſed clam, ut & *clandeſtini* dici poſſint, non vero propterea infimo loco ponendi.

Quemadmodum ſi ipſi principes aut reges peregrinantur incogniti alias, alias manifeſto ſe profeſſi iter faciunt: ita & legatos ſuos modo manifeſta legatione fungi, modo clandeſtina jubere poſſunt. Illi & in civitate, a qua mittuntur, & in illa, ad quam mittuntur, ab omnibus debent agnoſci, & pro illis haberi; hi ignorari ab omnibus debent, præterquam ab his, quibuscum negotia habent pertractanda. Maximi momenti negotia per ſecretos legatos geſta eſſe, autor eſt *Philip. Cominæus in ſuis Comment. rer. geſtar.*

§. 723.

Ubi opus ſit legatione alterutra.

Ubi nihil eſt in cauſa legationis, quod celandum, vel ubi cauſa legationis propalanda eſt, ibi ſolenni opus eſt legatione & legatis ſolennibus; *ubi vero cauſa legationis arcana eſt & manere debet, ibi occulta utendum eſt legatione*, & legatis clandeſtinis. Cauſæ legationis ſunt negotia publica, inter rectores civitatum pertractanda (§. 361), ope vicariorum (§. 718). Sed illa negotia vel ſunt ita comparata, ut manifeſtanda ſint, & conſtare inter omnes debeant; vel ſunt reticenda & occultanda ſalutis publicæ ergo. Illa dicimus manifeſta, hæc arcana (§. 267

&

& 271 *P. III. Jur. nat.*). Patescit ergo, in manifestis causis publicis utendum esse legatione solemni, in arcanis vero clandestina (§. 272 *ibid.*).

§. 724.

Quia legati clandestini debent esse ignoti, *nullæ ipsis solennitates conceduntur* (§. 723), *nec impendia majora, & ne talia quidem, unde suspicio legationis oriatur.* Quia alioqui non manerent clandestini & occulti (§ 722), sed eorum legatio saltem eatenus innotesceret, ut causa conjectando divinari, attendendo ad omnia phænomena, quæ occultari nequeunt, saltem ex parte possit. *Neque* ideo *alia inter clandestinos legatos differentia notanda venit, nisi in gradibus taciturnitatis ac prudentiæ simulandi & dissimulandi, quæ officium requirit*, ut eo secretiora cuncta maneant. *Corollaria.*

Solent idcirco clandestinis legatis non dari nisi mandata arcana, oretenus tantum ipsis credita, & quod inusitatius est, ne quidem ita, ut suspicio legationis illi oriatur, ad quem tamen est destinata & expeditur. Ita Rex Galliæ Henricus IV. ad reginam Angliæ misit marchionem de Rosny, obtentu itineris privati, & Londini se recreandi, experturus, quid illa literis obscuris ad ipsum datis insinuare voluisset. Ipsa non ignorabat, esse marchionem e familiaribus regis, ideoque eum sponte ad se accersivit diu cum ipso loquuta, de consiliis in utriusque regni commodum contra Hispaniam exsequendis. Quo pacto expiscatus est, quod volebat, sine ullis regiis literis. Gallorum centurio Godofr. Destrades, item Arnold. Dossatus functiones legatorum obiere, sine solemni titulo Vid. *l'Ambassadeur L. I. Sect. I. par Mr. de Wicquefort.* Tales legati sine titulo fuerunt quandoque nobiles, uti Franc. Bernardus, Venetus, Anton. Guidottus, Florentinus; quandoque mercatores, Secretarii, pictores, Monachi, *cæt. V. Wicquefort ibid. Sect. 2.*

§. 725.

Legati vel ſacri vel ſæculares.

Legati manifeſti & ſolennes vel *ſacri* ſunt vel *ſæculares*. Illi non tantum ſacra tractant ſeu religionis negotia, ſed quoque a ſacris mitti ſolent, v. c. a Papa, ab Electore, Epiſcopo vel archiepiſcopo. Hi politica curant negotia, quæ ſacra non ſunt. Vti ſi de finibus regnorum regundis, de pactis & privilegiis commerciorum, vel de fœdere ineundo aut prorogando, cæt. agatur.

§. 726.

Alii magis aut minus ſolennes.

Solennes legati qua ſplendorem externum vel ſplendidiores & primi ſunt ordinis ſeu honoris, vel ſecundi ſeu ſplendidi. Summo nempe vel maximo ſplendore pro dignitate mittentis uti jubentur ſolenniores, qui primi ſunt ordinis; magno tantum vel modico minus ſolennes, qui gradus ſunt ſunt ſecundi. Illi a Papa miſſi appellantur *legati a latere*, ſuntque e numero purpuratorum; ſed ab imperatore vel rege miſſi dicuntur *legati illuſtres*, immo illuſtriſſimi & excellentiſſimi, vulgo hiſpanice *ambaſſadores*. Secundi ordinis ſacri dicuntur nuntii (apoſtolici); ſæculares, *legati* vel allegati Germanis illi dicuntur Geſandten, hi Abgeſandten. Communi nomen eſt oratores, Bothſchafter.

Differebant ab his legatis *miſſi*, qui, uti *Commiſſarii*, a ſuperiore intra civitatem eandem ad alia loca proficiſci, ibique quædam negotia expedire jubebantur. Multo magis a legatis differunt *deputati*, qui ab inferioribus intra eandem civitatem ad ſuperiorem vel & ad aliam civitatem ſuorum negotiorum cauſa ire jubentur, & latinius *delecti* dicuntur. Sic enim *Nepos in Miltiad. c. 1.* Ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui conſulerent Appollinem, quo potiſſimum duce uterentur. Ab aliis quoque delegati vel deſtinati & oratores dicuntur, uti in *Curtii L. V. c. 3.* Sed in verbis faciles ſimus, par eſt.

§. 727.

Porro *discernuntur splendidiores cæterique legati ratione civitatum, a quibus & ad quas mittuntur.* Qui ab imperatoribus vel imperatricibus mittuntur, appellantur imperatorii; qui a regibus, regii; qui ab Electoribus, veniunt electorales; qui a ducibus, ducales &c. Quibus ulterioris discriminis causa nomina civitatum propria adduntur; v. g. legatus Cæsareus, Ottomannicus, Russicus; item regius Anglicus, Gallicus, Hispanicus, &c. Denique additur civitas, saltem locus, quo mittuntur & ubi degunt, v. g. Cæsareus legatus in aula Ottomanica, vel Constantinopolitanus, in aula Polonica vel Varsaviensis aut Dresdensis; legatus Gallicus in fœderato Belgio vel Hagæ comitum, &c. Sic & a comitiis, & locis, ubi de pace agitur, appellantur, v. c. legati Suecici ad congressum vel pacem Osnabrugensem, Olivensem, cæt. *Discrimina legatorum singularia.*

§. 728.

Qui tantum ad unicum negotium brevi tempore absolvendum mittuntur, *extraordinarii* dici solent legati; qui autem ad diuturna negotia adhibentur, *ordinarii* dicuntur. Cujusmodi & sunt, qui complura negotia, vel omnia fere cum altera civitate tractanda accepere (§. 1048 *Jur. Gent.*), ideoque annis bene multis aut perpetua legatione funguntur, sive primi fuerint ordinis, sive secundi. *Legati vel extraordinarii sunt vel ordinarii.*

Negotia publica vel sunt restricta & limitata, uti unicum vel duplex breviter expediendum, v. c. ad pacem concludendam, jurejurando confirmandam, & instrumenta pacis mutua obsignanda, tradenda & recipienda; vel illimitata & indefinita, ideoque succedanea vel multiplicia & diutinæ tractationis. Salva igitur dignitate, salvisque juribus legatorum, negotiorum indoles aut ordinarios seu assiduos, aut extraordinarios postulat legatos (§. 1047 *Jur. Gent.*).

§. 729.

Cur extraordinarius ordinario præferatur?

Ubi ejusdem gradus legati ordinarii & extraordinarii concurrunt, ibi extraordinariorum primæ sunt partes. Extraordinarii enim legati mittuntur ad certum negotium speciale expediendum (§. 728), ideoque & speciali mandato ad hoc ipsum instruuntur, quo ordinarii destituuntur (§. 1042 *Jur. Gent.*) & (§. 650 *P. IV. Jur. nat.*). Foret autem speciale mandatum supervacuum, nisi vellet mandans, ut generale hac in re vel cesset vel cum eo consentiat, itaque extraordinarius ordinario mandatario ea in re præferatur, & potissimum sit attendendus. Extraordinarii ergo legati esse præcipuas ea in re partes, liquet.

Ordinarius Galliæ legatus Constantinopolitanus magna cum laude fuit Harlæus Comes de Cesis per 22 annos, & sic Gallia ordinarios alit legatos continenter Constantinopoli & passim alibi; extra ordinem autem mittit legatos in Sueciam, Daniam, Poloniam, cæt. Sic Anglia, Hispania, Russia, Cæsar aliique passim legatos habent ordinarios, æque ac resp. Veneta, Belgium fœderatum, &c. Papa alibi legatos habet ordinarios, alibi & natos, h. e. archiepiscopos jure legationis perpetuo gaudentes. Ita A. 1660 Belgii legatus ordinarius, Borel, extraordinario primas partes concessit, sub eodem considens.

§. 730.

Quis ordo sit legatorum propter legantes?

Extraordinariorum inter se, & ordinariorum ejusdem dignitatis inter se, quando diversarum sunt civitatum, ordo is esse solet, qui est rectorum civitatis inter se convenientium. Sunt enim eorum vicarii, ideoque & eorum loco & ordine gaudent, quo illi, quorum sunt vicarii. Quapropter cum imperatoribus cedere soleant reges, legatis quoque imperatoriis cedunt regii, &c. (§. 727). Quatenus vero reges inter se pares, alii aliis loco non cedunt, eatenus & legati nihil ipsorum juri æquali derogare debent, sed vel ingressu & egressu simul quisque per suam januam & con-

sessu

ſeſſu in ſua quisque ſede pari reliquis, vel pacto mutuo vel ſorte ducta jure & ordine ſuffragandi pariter uti debent, ne quidquam cuiquam derogetur.

§. 731.

Ubi opus ſit extraordinariis & ordinariis?

Ordinariis legatis prudentia utitur, quando multa inter eas civitates negotia intercedunt diuturna & perfrequentia, ut præſtet perpetuum ideo ibi alere legatum, quam toties novum mittere, quoties illo rurſus utendum eſt. *Extraordinariis tantum locus eſt in negotiis publicis raro contingentibus, nec melius quam per legatos expediendis* (§. 728). Cujus ordinis eſſe debeant ambo, in arbitrio mittentis eſt poſitum, quod reſpiciet, quid vel rebus, de quibus agendum, vel temporum conditioni & moribus, vel dignitati civitatum earumque rectorum potiſſimum conveniat. Magnos enim magna, & majores majora decent, & in legationibus ordinandis.

§. 732.

Quando unus vel plures legati adhibendi?

Ubi unus legatus par eſt negotiis quam optime expediendis, ibi pluribus opus non eſt, ſed unus ille ſufficit, ſive extraordinarius eſſe debeat, ſive ordinarius; *ubi vero vel unus hujusmodi non habetur, vel aliis cauſis & conſuetudini receptæ inter pares concedendum videtur, ibi plures ſeligendi ſunt, qui conjunctim ſumti quam optime legatione functuri ad inſtar unius in optimo factu conſentiunt.* Sunt enim legati vicarii ipſorum principum in negotiis cum alia civitate intercedentibus (§. 361), & tanquam vicarii operam dare debent, ut vices ſibi commiſſas digne & quam optime gerant (§ 368). Qua propter ſi unus tam ſimilis eſt autarchæ, ut abunde par ſit futurus negotiis quam optime expediendis, pluribus revera opus non erit, niſi ob rationes externas, infirmitatis, valetudinis, majoris ſplendoris & decoris recepti cauſa aliis paria facienda ſint, & una alii adjungendi

ad majora præparandi videantur. Quando autem deficit unus, negotiis quam optime peragendis par futurus, duo vel tres seligendi erunt, communi consilio consensuque, instar unius in fungendis autarchæ vicibus cooperaturi. Potest interdum & moles negotiorum agendorum major esse, quam ut ferri ab unius humeris possit; quanquam tum & alii adjutores eidem subjungi queunt.

Ad pacem Westphalicam conciliandam a Cæsare missi sunt Maximil. Comes a Trautmansdorff, Io. Max. Comes a Lamberg & Io. a Crane; a Regina Sueciæ Ioannes Oxenstierna, comes &c. & Io. Adler Salvius. Caput legationis Hisp. ibidem fuit Casp. de Bracamonte; Galliæ legati fuere Claudius Comes d'Avaux, Duc de Longavilla, & Abel Servienus.

§. 733.

Cujusmodi plures simul legati esse debeant?

Si legatione ejusdem civitatis plures fungi præstat, quam unum, æquum est & prudentiæ, omnes ejusdem ordinis adhiberi (§. 732); *modo caveatur, ne ipsorum dissidia causæ publicæ noceant*, ideoque vel alternis vicibus proëdria in congressibus gaudeant, vel prudentiori præcipuæ partes semper tribuantur in illis, quæ major suffragiorum pars præferenda duxit, exhibendis. Vtrum præstet in casu dato, legatorum varia indoles docebit, qua perspecta, quod satius est, id præferetur (§. 192 *P. II. Phil. Pract. univ.*).

Regina Sueciæ comiti Oxenstirnensi a Galliæ partibus alieno, adjungebat Salvium, illis amiciorem, suisque mandatis moderabatur utriusque propensiones, ut tandem in ejus voluntatem congruerent. Comes Avalcensis legatorum Galliæ monasterii princeps erat, nec parum moderatior collega suo, qui superiorem ferre nolebat quidem, fræno tamen arrogantiæ egebat.

§. 734.

Qui legati aliis sint potiores?

Illud facile perspicitur, secundi ordinis legatos postponendos esse legatis primi ordinis, sive ordinarii sint, sive extraordinarii. Neque enim

enim frustra his datus est ordo & honor præcipuus, qui illis non est attributus (§. 726.). Honoris igitur & splendoris majoris causa, recte his prior, & illis non nisi proximus a priore locus assignatur. Quapropter hi illis merito præponuntur, sive ejusdem sint civitatis, sive alterius loco illi cedentis. Cum ordinarii & extraordinarii in utroque ordine dentur (§. 728.), & extraordinarii tantum ordinariis ejusdem ordinis præferendi sint (§. 729): valet assertum de utroque ordine legatorum, scilicet, ut allegatus extraordinarius allegato quidem ordinario, non vero legato illustri s. ambassodori ordinario præferri possit. Pari ratione & princeps si præsens sit, ejus illustri legato præfertur, cui ipse alias loco cedit.

§. 735.

Legati qui plenipotentiarii?

Eo quod legati sunt mandatarii civitatis, a qua mittuntur, & libera plerumque instruuntur facultate paciscendi mandantis nomine (§. 718. & 727.), sunt illi simul *mandatarii cum libera* (h. e. illimitata agendi potestate), quorum mandatum manifestum tantum in genere determinat, quæ ab ipsis fieri debeant, cæteris ipsorum arbitrio relictis (§. 651. *P. IV. Jur. nat.*). Si igitur praeter manifestum arcano quoque mandato instructi sunt, quod ignorare debet is, ad quem mittuntur, & cum quo agunt; non tamen censentur nisi ex manifesto mandato, ideoque *plenipotentiarii* (Bevollmächtigte), vel latinius legati licentia rerum agendarum præditi dicuntur, vel mandatis libere agendi instructi, vel legati solutissimi. Cumque simul ministri sint publici negotiorum cum extera civitate conficiendorum (§. 560.), ministri quoque liberrimi dici possunt (§. 718.). Ambo tamen mandatarii & ministri simul subditi sunt legantis (§. 727.).

Conjungi inde solent & sejungi quoque vocabula seu tituli, ut vel simpliciter tantum plenipotentiarii, aut ministri plenipotentiarii dicantur, ad evitandas prærogativæ lites, vel legati & plenipotentiarii, aut legati plenipotentiarii. *Cicero Acad. Qu. IV. c.*

IV. c. 33. ait, hoc autem solutiores & liberiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas; & *Ep. 9. L. I. ad fam.* si essent mihi omnia solutissima, tamen in rep. non alius essem, quam nunc sum. Hinc solutissimo legato libera est eligendi optio, quum nihil impedit, quo minus id, quod maxime placet, facere pro salute publica possit. Ita Bocchus in *Sallustii bello Iug. c. 103.* necessariorum quinque delegit, eosque ad Marium ac dein, si placeat, Romam legatos ire jubet, agendarum rerum, & quocunque modo belli componendi licentiam ipsis permittens. Sic regina Angliæ ad sanciendam pacem ultrajectinam miserat tres plenipotentiarios, quos A. 1713. ad coronidem illi splendidius imponendam creat amplissimos legatos extraordinarios. Quod & Ludovicus Rex Galliæ fecit verbis: en qualité de nos Ambassadeurs extraordinaires & Plenipotentiaires.

§. 736.

Procuratores & commissarii?

Quoniam mandatarii quoque procuratores dici solent (§. 640. *P. IV. Jur. nat.*): mirum non est, plenipotentiarios ipsosque legatos etiam *procuratores* interdum dici. Pariter dum committere alteri dicimur, ad quod faciendum volumus eum nobis perfecte obligatum (§. 641. *ibid.*), *Commissarii* quoque legati dicuntur, praesertim dum mittuntur ad limites distermінandos, aut quamdiu splendore legationis opus non est.

Anna, Angliæ regina, suos legatos extraordinarios nihilosecius & tum vocat Commissarios & procuratores: uti & Rex Galliæ de suis scribit: donnons plein pouvoir, commission & mandement special &c.

§. 737.

Quid sint literæ fidei?

Literæ fidei appellantur testimonia illa publica, quæ plenam fiduciam & autoritatem conciliant legationi. Nostris dicuntur Credenz-Schreiben, vel das Creditio, peregrinis verbis (§. 1067. *Jur. Gent.*). Quæ usu recepto differre a mandato legatorum solent.

§. 738.

§. 738.

E literis fidei & mandatis perspiciendum est, cujusmodi autoritatis ordinisque sint legati. Literæ enim fidei legantis sunt testimonia, quibus plenam fidem autoritatemque conciliat legatis (§. 737.). In illis ergo docetur, quinam sint, qui legantur, qua autoritate sint instructi, & quo loco habendi. Mandatum vero manifestum, sive sit generale, sive speciale, diserte committit legatis ea, quæ ipsis nomine mittentis sunt agenda & a mandante ratihabenda (§. 650. *seqq. P. IV. Jur. nat.*). Patet igitur, ex literis fidei exhibitis perspiciendum esse, quo loco habendus sit, h. e. cujus ordinis sit legatus; & quantum fidei ipsi sit tribuendum, qua agendi & paciscendi potestate sit instructus, ideoque cujus sit autoritatis in negotio gerendo, mandatum perspicue docere. *Vnde internoscantur legati?*

Pro Archia Poëta Cicero c. 4. testatur, jam suo tempore hæc usitata fuisse: adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, hujus judicii causa; cum mandatis & cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt. *L. II. in Verrem c. 5.* ait, qui contra istum legati decreti erant, & testimonium publicum ac mandata acceperant, vi ac metu retinebantur. Item legationes cum publicis autoritatibus & testimoniis venerunt.

§. 739.

Tum splendoris, tum & facilioris explorationis & expeditionis causa, si vel unicus tantum legatus mittatur, adjici illi solet, præter uxorem, quam interdum secum ducit, *Secretarius legationis*, si vel ipse suo non destituatur secretario; aut legati secretarius simul legationis secretarius esse jubetur. Est nempe legationis secretarius legato adjunctus minister legantis, qui proprio instructus est mandato, quo continentur, quæ legati jussu, & quæ soli vel legato inscio ipsi peragenda *De Secretario legationis, cæt.*

ſint. Id circo obſtringitur leganti jurejurando, cujus & ſalario fruitur. Sed qui non eſt niſi legati ſecretarius, is ejus eſt domeſticus, nec ſcribere aut expedire valet, niſi quæ dictat legatus, a quo alitur. Quando vero, uti Venetiis ſemper, idem ſimul eſt legationis ſecretarius, conſors eſt omnium publicorum legati actuum. Solent hi exerceri in legationibus, ut præparentur ad eas olim per ſe ſuſcipiendas.

§. 740.

De legatis inferioribus vel quaſi.

Inferioris generis miniſtri & mandatarii publici ſunt extra civitatem ſuam (§. 721), qui vocantur *reſidentes*, eo quod ſedem diuturnam aut perpetuam habent in aliena civitate vel in emporio, ubi aula non eſt; item *agentes*, qui publici ſunt privatorum negotiorum ipſis commiſſorum ſeu regis, ſeu ejus ſubditorum curatores ſolicitatoresque (§. 1043. *Jur. Gent.*). In hunc cenſum quoque veniunt Papæ *internuntii*, ſeu ab ipſomet, ſeu a nuntiis vel legatis relicti & ſurrogati. Quando mercatorum conſules muniti ſunt ſuperioris autoritate (§. 719), pertinent & illi ad hanc claſſem, uti belli tempore *feciales, caduceatores, tubicines,* & *tympanotribæ*, publica mandata perferentes. Interdum legationis aut legatorum *Secretarii* curandis negotiis poſt legatorum abitum reſiduis præeſſe jubentur; vel & mittuntur tantum ſecretarii.

Ab his Reſidentibus, quorum quæ ſit poteſtas, ex ipſorum literis fidei diſcendum, plane differunt Senatores regni, aulæ regiæ adjuncti, qui in Polonia quoque *Reſidentes* vocantur. Cæterum nunc patet diſcrimen inter legatos aſſiduos vel ordinarios, & reſidentes, qui minori multo ſumtu & ſplendore ſuſtentantur, præſertim ubi aula regia non eſt; ſed vel nulla, vel principis tantum. Agentes in cauſis privatis forenſibus minoris momenti adhibentur ſine pompa pariter ac reſidentes, ſi hi non ſimul eorum partes curant.

§. 741.

§. 741.

Dum legati rectorum civitatis vicarii ſunt inter exteros (§. 361): pateſcit, *legatos mitti non poſſe, niſi ab his, quorum ſummum eſt in civitate imperium, nec ad ſuos ſubditos, ſed ad aliam liberam civitatem, nec a ſubditis ad rectores civitatis, vel ad comitia.* Sunt enim mandatarii gentis ſuæ, ſeu ejus rectoris, apud aliam gentem (§. 1041. *ſeq. Jur. Gent.*). Itaque non niſi gentibus, h. e. liberis civitatibus (§. 28-31. *ibid.*), jus eſt perfectum legationum (§ 1044. *ibid.*). Sed civitatibus liberis ſummum eſt imperium (§. 50. *ſeqq.* 57. *P. VIII. Jur. nat.*), idque plenum & abſolutum (§. 62 & 66. *ibid.*), etiamſi quantumlibet temperatum ſit. Liberarum igitur civitatum, ſive regna ſint, ſive reſpp. earumque rectorum, jus eſſe legatos mittendi liquet. Qui vero non niſi ad ſubditos mittuntur ab illis, vicarii ſunt indigetes, ſive proreges ſint & præſtites, ſive miniſtri, ſive magiſtratus, ſive commiſſarii (§. 350-363. & 633.). Sed qui a ſubditis ad ſuperiores aut ad comitia aut alias civitates mittuntur, non ſunt niſi deputati vel delecti (abgeordnete) (§ 726.), uti olim civitatum Hanſeaticarum, aut convocati ordines, Senatores, nuntii terreſtres, & quocunque alio nomine compellentur. *Legatos non niſi civitates mittunt.*

§ 742.

Si imperium fiduciarium ſeu infeudatum & fideicommiſſum, manet abſolutum, plenum ac ſummum (§. 100. & 105. *P. VIII. Jur. nat.*); *nullum dubium eſt, quin & a rectoribus ejusdem legati mitti poſſint* (§. 741.). Nempe ſi imperium habetur uti fideicommiſſum, illud poſt definitum tempus alteri eſt reſtituendum (§. 99. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod non officit, quo minus tantiſper ſit ſummum, plenum abſolutumque. Si eſt infeudatum ſic, ut non niſi ad certa ſubſidia, & auxilia in bello, vel aliquam penſionem annuam & ſimilem præſtationem domino directo obligetur, & ut extincta familia dominus directus in eo ſuccedat, aut, quod rarius additur, *Etiamſi ſint fiduciariæ.*

ditur, ut admiſſa felonia amittatur, hæc ad modum habendi pertinent, imperium vero ipſum in ſubditos relinquunt ſummum, plenum abſolutumque. Ideoque in utroque caſu nihil eſt, quod juri legatos mittendi obeſſet, ſive ad aliam civitatem, ſive ad dominum directum.

Regnum Neapolitanum quotannis Pontifici Romano recognoſcendi feudi cauſa equum dat & certam pecuniæ ſummam, cæteroqui imperio ſummo, pleno abſolutoque gaudet, ideoque legatos mittit citra ullam controverſiam. Electores in imperio Romano germanico eodem jure legatos mittendi utuntur, nemine impediente. Quod & de aliis principibus ſummo imperio gaudentibus valet, non autem de illis, quorum imperium non eſt ſummum, ſed in quibusdam actibus domino directo ſubjectum.

§. 743.

Etiam uſurpatores. *Quamdiu* invaſor vel *uſurpator imperii rerum potitur*, ut ſubditi ad homagium illi præſtandum adacti fuerint, aut ſponte ipſi fidem dederint, *tamdiu eundem legatos mittere*, ac de fœderibus, commerciis, & pace cum aliis civitatibus paciſci *poſſe* vi ſummi, quo utcunque gaudet, imperii *liquet* (§. 741.) & (§ 984. *Jur. Gent.*). Si vel incertus adhuc ſit exitus, præſtabit tamen paci litare, quam bello.

Hæc quoque uſu recepta eſſe pluribus confirmat exemplis *Wiquefortius L. I. Sect. 3.* ubi notum *Oliv. Cromvelli* exemplum inter cætera eminet. Cui & alia recentiora Perſica &c. exempla addi poſſent. Quod autem de proregibus ibi additur, hos ipſe agnoſcit non eſſe niſi deputatos, ratione domini directi tantum majori honore affectos, cujus conſenſu aut nomine mittuntur.

§. 744.

Multo potius reſpp. exiguæ &c. Multo magis igitur reſpp. etiamſi exiguæ talesque principatus, modo ſui ſint juris, licet inæquali fœdere aliis jungantur, legatos mittendi jure gaudent (§. 741.) & (§. 1046. *Jur. Gent.*).

Tales

Tales respp. sunt Luccensis, Ragusina, Marinensis, Rhætorum; item Duces Hetruriæ, Mantuani, Parmenses, Modenenses cæt.

§. 745.

Oborto bello intestino, qui se in libertatem asserunt non sine justa caussa, mittere legatos possunt pro obtinendis fœderibus, auxiliis, & assertoribus vel adjutoribus suæ libertatis, vel ut in aliorum clientelam recipiantur. Oborto enim bello intestino, vel justa sumunt arma subditi adversus rectorem civitatis, vel injusta. Posteriori casu oritur rebellio; priori bellum civile (§. 1010. *seq. Jur. Gent.*). Vtroque casu aliæ civitates immiscere se regimini aliarum civitatum non debent (§. 257. *ibid.*), ideoque judices agere nequeunt, nisi earum arbitrium eligatur. Quo magis igitur vel dubium est jus, de quo disceptatur, vel quo justior apparet causa eorum, qui arma contra superiorem sumsere, saltem ob intolerabilem imperii abusum, propter quem vel jugum excutere, vel temperare regimen nituntur (§. 1012. *ib.*): eo minus in dubium vocari potest, quod vel omnino sint sui juris, & summo imperio gaudeant, vel ejus sint usurpatores. Sed & posteriori casu legatis uti possunt (§. 743.), multo igitur magis priori, ubi afflictis subveniendum est naturali lege (§. 1052. *Jur. Gent.*).

Quid in bello intestino juris sit circa legatos.

Helvetiorum, Belgarum, Prussorum exempla id satis superque confirmant, si vel aliorum nullam facimus mentionem. Nimis onerati Judæi a Salomone mittebant ad filium Rehabeamum, qui sponderent obsequium, si onera diminuerentur. Qua conditione negata, Jeroboamum sibi regem creabant, & legatum Rehabeami, quem inauditum remittere suffecisset, ut ipse eorum deputatos remiserat, præter rem lapidibus obruebant. 1 *Reg.* XII, 3-18.

§. 746.

Manifeste rebellibus injuria non fit, si ipsis jus legandi denegatur. Etenim qui manifesta rebellione utuntur, injusta arma sumunt adver-

Rebellibus non est jus legationis.

adversus rectores suæ civitatis (§. 1010. *Jur. Gent.*). Cum igitur nullo jure summum sibi arrogent imperium, & legatos mittere audeant: merito ipsis tale jus denegatur, non tantum a suo superiore, sed & ab aliis civitatibus, quæ injustitiæ aliorum patrocinari æque non debent, ac ipsi cupiunt, suorum subditorum rebellioni alias civitates nullam ferre opem. Id quod Gallia erga Neapolitanos rebelles superiori sæculo observavit. Recentiora Cyrnus dedit exempla.

§. 747.

Ad quos mittantur Legati, vel non mittantur.

Quia legati mittuntur ad aliam civitatem, summo imperio gaudentem (§. 361.): per se patet, *ad subditos tantum vel & ordines solos, sine consensu superioris, eos non esse mittendos* (§. 741.), licet eius consensu ad sopiendam rebellionem vel controversiam æque mitti possint ac auxilia (§. 717. *seqq.*); item durante interregno. De residentibus V. §. 740.

Sic ad turbas Anglicanas & Corsicanas sedandas missos esse ab amicis civitatibus legatos & exercitus, constat. Sed cum Galliæ legatus la Ferté querelas A. 1642. ad comitia ordinum Angliæ detulisset de fœdere cum imperatore Ratisbonæ quæsito: hujus injuriæ causa is revocatus fuit. Carolus V. imperator tubicinem Gallicum custodiæ dedit, quod sine ejus consensu ad comitia A. 1544. missus erat pro securitate legatorum eo mittendorum obtinenda. Durante interregno summum imperium est ordinum Reip.

§. 748.

Cur mittantur?

Dum legati non mittuntur, nisi propter publica negotia communis boni causa expedienda (§. 1041. *Jur. Gent.*), & (§. 717.): *si cui civitati nulla negotia cum alia intercedunt, saltem non talia, quæ legatis egerent, ea nullas mittet legationes; si ipsi autem vel multa & diuturna, vel perpetua sunt cum aliis negotia, ea legationes assiduas aut mittet, aut admittet, aut utrumque eliget, prout ipsi con-*

sul'i-

ſultius videbitur (§. 731.); *ſi rariora tantum & breviter abſolvenda, extraordinariæ adhibentur* (§. 728.).

Ottomannis placuit, legatos ordinarios non tantum admittere, ſed nec facile dimittere, niſi alii eorum loco ſint venturi. Hoc vero ſufficere ſtatuunt ad cognoſcenda ea, quæ in iſtis civitatibus geruntur, & ad ſua commoda per & inter eas fovenda & amplianda, damna vero avertenda. Ipſi vero in aliis civitatibus non alunt viciſſim legatos ordinarios, & ad ſummum eo extraordinarios mittunt, ad pacem aut fœdera cum novis Cæſaribus, &c. firmanda, & ad alia hujusmodi. Cujus moris rationes haud difficulter introſpiciuntur. Alii vero rectores civitatum viciſſim ſuos alunt legatos ordinarios in ea civitate, cujus ordinarios admittunt, ut par pari referatur, neque alterutra vel potior videatur vel inferior: ideoque & ſuos revocant legatos, altera ſuos revocante, &c. Titulo tenus legati hodie rariſſimi ad alium finem mittuntur, uti Petrus, Moldaviæ Deſpota, ad Solimannum a Rege Hungariæ, majoris ſecuritatis cauſa dimiſſus eſt. Olim honorarii Romanorum legati frequentiores, qui ſuorum negotiorum cauſa liberam legationem obire dicebantur, aut & votivam.

§. 749.

Quando legati ſint vel non ſint recipiendi?

Ob jus perfectum legatos mittendi, admittendi quoque ſunt legati ab ea civitate, ad quam mittuntur (§. 1045. *Jur. Gent.*), & *ſi non admittuntur, injuria fit mittenti, niſi admiſſioni obſtent officia, erga ſe ipſum potiora* (§. 206. *ibid.*). Hujusmodi officia ſunt, ſi legati ordinarii mittuntur non impetrato conſenſu ejus civitatis, cujus commoda eos non requirunt, ſed in qua, ut antea, fere non niſi exploratorum numero futuri eſſe intelliguntur (§. 1048. *Jur. Gent.*), aut quæ viciſſim aſſiduos legatos mittendi rationibus deſtituitur (§. 748.) & (§. 1049. *Jur. Gent.*). Porro ſi mittens nil aliud legatione quærere videtur, quam ut turbet ſtatum alterius civitatis, diſſidia turbasque excitet, alat,

& in

& in turbido piſcetur; ſi miſſus dedeceat revera alteram civitatem, v. c. ſi in ea vel alibi criminis, v. c perduellionis, reus fuit, vel ob alias cauſas phyſicas, vti natalium dedecus, aut morales diſpliceat, ut ſi in fraudem alterius civitatis privata tantum negotia acturus eſt; ſi denique negotium, ob quod mittitur, ſatis notum eſt, nec illius conditiones arrident. Hoc enim caſu irritum totum foret & temerarium, ideoque ne incipiendum quidem (§. 278 *P. III. Jur. nat.*). Quare *ad hæc omnia reſpicere prudentiam eligendi mittendique legatos liquet.*

§. 750.

Cujusmodi dignitatis ſint?

Decoro civitatum ne quid adverſum fiat in legationibus, manifeſtæ legationi adhibendi ſunt ætate & dignitate ſua negotio pares, non ſuperiores, nec inferiores, præter ſolertiam & dignitatem in omnibus vicariis neceſſariam (§. 382.). Etenim ſi mittantur legati, quibus pares in alia civitate, qui cum ipſis negotia pertractent, non ſunt futuri, id ipſis moleſtum & infra dignitatem ſuam poſitum haud abs re apparebit. Quare ne eorum dignitas vel ætas vilipendio exponatur, tales prudenter non erunt mittendi. Neque etiam minoris juſta ætatis & dignitatis legati recte adhibentur, quia cum his tanti momenti res tractare verebuntur, idque ſe non ſatis decere arbitrabuntur alterius civitatis miniſtri longe ſuperioris dignitatis, &c. Eligendi ergo ſunt & negotio & illis circiter pares futuri, quibus cum negotia erunt diſcutienda terminandaque, ideoque plerumque tales, qui viri ſint in rep. mittentis dignitate eminentes (§. 1050. *Jur. Gent.*).

Perraro princeps regii ſanguinis legationis vel princeps fieri voluit, aut alius princeps independens, quia non cum ſui ſimilibus rem erat habiturus, ſi vel pericula itineris & alia extimeſcenda non fuere. Sic Thomas, Sabaudiæ Princeps, noluit A. 1646. legatione regis Galliæ Romæ defungi, ne dignitati principis derogare videretur: quanquam A. 1607. pater ejus impe-

imperatoris legatus apud Venetos, cum Paulo V. Papa conciliandos, fuerat ob cauſas ſingulares.

§. 751.

Quousque loco mittentis habendus ſit legatus?

Cum legati perſonam mittentis referre dicuntur, hoc notat eorum poteſtatem, nomine & mandato ipſius publicum negotium validiſſime gerendi vel optime (§. 661 *P. IV. Jur. nat.*), ſed nequaquam, legatum eſſe eandem perſonam moralem cum mittente, eademque majeſtate gaudere, ut perinde ſit, acſi mittens ipſe præſens eſſet, & alter, ad quem mittitur, eum ut ſibi æqualem tractare deberet (§. 1055 *Jur. Gent.*). Quare ſi quis legatum ſuum pro ſe ipſo haberi vellet, id pro arbitrio alteri obtrudere nequit, qui ipſi abſoluto ſummoque imperio æqualis eſt, niſi pacto vel expreſſo vel tacito alter in id conſentiat (§. 1057 *ibid*). Quale pactum an conſultum ſit, nunc non diſcepto. *Vbi vero nec expreſſum pactum legatos mittentis loco omnino habendi adeſt, nec talis conſuetudo recepta doceri & evinci poteſt; ibi nulla mittenti fit injuria, ſi vel ſuum locum & perſonam tribui legato, quantumvis illuſtriſſimo, velit, quando is ipſi denegatur, modo honorifice inſtar aliorum ſimilium habeatur.*

Eſt valde commendantibus alios ſolenne, ut eos ſuo loco excipiendos & habendos eſſe velint, uti D. Paulus ad *Philemonem v. 12.* ſcribit συ δε αυτον, τουτ' εϛι, τα εμα σπλαγχνα, προσλαβȣ, Tu eum, hoc eſt mihi intimum, recipe, & *v. 19.* ſi me ſocium habes, accipe eum ut me. Vbi nemini in mentem veniet, voluiſſe Paulum, ut Oneſimus tanquam apoſtolus reciperetur. Jam vix ſimilia his in mandatis exprimi ſolent, ſed, ut mandatarius vel Procurator omnia illa agat, quæ ipſe mandans præſens eſſet acturus aut agere deberet. Si nihil amplius in mandatis & literis fidei ſtatuitur, character repræſentandi perſonam mittentis inde exſculpi non poterit, quod legatus pari ac ipſo honore & loco ſit habendus. Ita *Cicero Philipp. VIII. c. 8.* de legato Romano ait: ſenatus faciem ſecum attulit, auto-

ritatemque populi Romani: & ſic Anna Angliæ regina in mandatis loquitur, quæ dedit legatis extra ordinem ad pacem Ultrajectinam: ad pacis conditiones ineundas ſtabiliendasque . . . . *vi effectuque pari, ac nos ipſa, ſi intereſſemus, facere aut præſtare poſſemus*, ſpondentes . . . . nos omnia . . . . grata rata & accepta . . . . habituras. Nec aliter Ludovicus Galliæ Rex: En ſorte que nos dits Ambaſſadeurs extraordinaires . . . . *agiſſent avec la meme autorité, que nous ferions & pourrions faire, ſi nous etions preſens en perſonne* . . . . promettant en foi & parole de Roi, d'avoir agreable, & tenir ferme & ſtable a toujours, & executer ponctuellement tout ce, qu'ils auront promis & ſigné en vertu du preſent pouvoir . . . . Scilicet ut mandatarii ſunt mandantis loco, ita legati ſunt regis loco. Nec quidquam amplius deſignant verba Philippi Regis Hiſp. 1725 en mi mombre y repreſentando mi propria perſona.

§. 752.

Lemma de æqualium mandatariis.

Si æqualis ad æqualem honoratiorem mandatarium mittit, cum is nequit ſe inferioribus æquiparare, ſed iisdem debet eum anteferre. Mittit enim ipſum æqualis, & uti in æqualem, ita & in ejus mandatarium, vel procuratorem honoratiorem, nulla ipſi eſt poteſtas, ad quem mittitur; ſed tantum in ſubjectum ſibi (§. 134 *ibid.*). Quia ergo cuique honorem habere debet, quem meretur (§. 648 *ibid.*), aliter ſtatuere nequit, quam ipſum ſibi ſubjectis, vel quod item ſonat, ſe inferioribus non eſſe æquiparandum, ſed his potius anteferendum, ac propterea priori loco ponendum, & majori honore afficiendum.

Confirmat hoc ipſum praxis & uſus vitæ civilis, cum vix quisquam ſanæ mentis tam bardus ſit, ut ſibi æqualem audeat ſibi cenſere ſubjectum, vel, quem is mittit mandatarium, aut miniſtrum, pro ſuo ſervo habeat, aut ſuis ſervis poſtponat. Potius eum humanitatis cauſa, comitate prælucente potiori loco habet, meritoque proſequitur honore.

§. 753.

Etsi legati nec personam principis mittentis exhibent, nec eodem, cum ipso, habendi sunt loco; *convenit tamen majestati mittentium, ut meliori longe loco habeantur, & honore fruantur, ac summi ipsorum ministri.* Ministri enim Rectorum civitatis vel summi sunt ipsorum vicarii & subditi (§. 350), quos & suis sumtibus alunt, & ornant honoribus dignitatibusque in sua civitate. Legati vero non sunt ejus subditi, ad quem mittuntur, sed ejus, a quo mittuntur (§. 561). Suntque viri dignitate eminentes (§. 750), & mandatarii majestatis ei æqualis, cui allegantur (§. 1042 *Jur. Gent.*). Veniunt ab æquali ad æqualem, veniunt publici & communis boni provehendi causa (§. 717 *seqq.*). Jam si æqualis mandatarium honoratiorem mittit ad æqualem, hic eum se inferioribus æquiparare nequit (§. 752). Sed omnes ministri ejus ipso sunt inferiores, & ipse est eorum superior (§. 141 *P. VIII. Jur. nat.*). Quam ob rem legatos omnibus suis etiam summo præferendos esse ministro, ideoque potiori loco & honore dignandos esse constat. *Cur legati propriis ministris præferantur?*

Extra dubium est, rectores civitatum vivere in statu naturali, & esse natura æquales (§. 81. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 250 *Jur. Gent.*), nec citra injuriam aliorum ministros suis subditis accenseri posse.

§. 754.

Hospes vocatur, quisquis mutua amicitia alterum se invisentem domo excipit, & vicissim ab eo excipitur; brevius, amicus alterum coram sibi devinciens. Hinc *hospitalitas* est amicitia in hospites liberalis, aut liberalitas in hospites. Extendit se autem illa non solum ad cognatos, vicinos, cives, sed & exteros ac peregrinantes (§. 627. 636 *P. I. Jur. nat.*) *Quid hospes sit & hospitalitas.*

Cicero L. II. de officiis c. 18. Recte, inquit, a Theophrasto laudata est hospitalitas. Est enim valde decorum, patere domos

mos illustrium illustribus hospitibus. Idque etiam reip. est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in nostra urbe non egere. Est autem vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus & gratia. Cimon Athenis ita instituit, & villicis imperavit, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam divertisset. Inprimis non poterat non gratum optatumque accidere peregrinis advenisque, si quem inter ignotos reperirent humaniter amiceque se excipientem, foventem, adjuvantemque in suis negotiis. Quare æquitate naturali, humanitate, charitateque inducti lubenter ejusmodi amicum sibi vicissim omnibus amicitiæ officiis reciprocis devincire, & vel diserte vel tacite mutuam amicitiam & jus hospitii cum eo contrahebant. Et ut testatior esset hospitalis amicitia, pacto inito tesseram hospitalitatis inter se constituebant, qua se illico internoscerent, & inviolabili jure hospitii invicem gauderent. Hæc tessera talea erat post literas inscriptas fissa, & juncta rursus literas redintegrans. Inde *Plantus in Pœnul.* Deum hospitalem (Iovem Xenium) & tesseram mecum fero, dixit. Ejusmodi fœdus hospitii, cum hospitalitate & Christianis commendatur *1 Pet. IV. 9. & Hebr. XIII. 2.* της φιλοξενιας μη επιλανθανεσθε. Nostratibus hospitalitas audit die Gastfreiheit.

§. 755.

Quid sint jura hospitum vel peregrinorum.

Nec prætereunda sunt *jura hospitum* (das Gastrecht), quæ officiis erga eos debentur, & in gratiam exterorum in foro recepta passim sic sunt, ut confessim aut multo brevius eorum causas expediant, ac civium. Quæ publicæ erga peregrinos amicitiæ documenta esse mutua, nemo hæsitabit. Nituntur autem jura peregrinorum partim perfectis officiis erga alios, partim ea æquitate, qua sibi cives inter exteros idem fieri & retribui vel non fieri cupiunt, ideoque legibus, vel pacto mutuo saltem tacito ea firmantur (§. 98 *seqq. P. I. Jur. nat.*).

Jure

Jure Magdeburgico, v. g. & Culmensi statuitur, hospitibus & peregrinis jus dicendum esse non post noctis interstitium. Klaget jemand zu Gastrecht, dem soll man Rechts verhelfen über quere Nacht. Ergo vel illico, vel biduo. Sic & Judæi amare peregrinos jubentur *Deut. X. 18. seq.* nec eorum jura violare XXIV. 17 *seqq. Exod* XXII. 21.

§. 756.

Legati considerandi sunt ut hospites civitatum, earumque rectorum, ad se invicem, ideoque, quanta civitatem decet, hospitalitate digni sunt censendi, modo potiora erga se officia non obsint. Mittuntur enim ex alia civitate ad aliam communis boni causa, ideoque adveniunt ut amici, & tanquam amici sunt excipiendi tractandique (§. 717 *seq.*). Quales amici cum sint hospites (§. 754): legatos ut hospites publicos civitatem ejusque Rectorem publica autoritate invisentes, considerandos esse clarescit. *Legati hospitaliter sunt habendi.*

Enimvero hospitibus omnem exhibendam esse hospitalitatem velut amicitiam in hospites liberalem, & ratio docet & revelatio (§. 754). Quare uti optimus quisque privatus cum optimis hospitium mutui officii causa lubenter colit, & suos sibi hospites pro viribus privata liberalitate devincit: ita optimis quibusque civitatibus mutuum colendum esse hospitium, & publicos hospites seu legatos, quanta civitatem decet, publica hospitalitate dignos esse censendos mactandosque, elucescit.

Etsi vero omnes civitates amicitiam inter se colere debent (§. 172 *Jur. Gent.*), ultra id tamen, quod in potestate est, non obligantur (§. 608 *P. I. Jur. nat.*). Si id aliquando salva felicitate propria fieri nequeat, propria felicitas præferenda est alienæ (§. 622 *P. I. Jur. nat.*) & (§. 156 *Jur. Gent.*), quia tum in potestate non est, eam alteri præstare (§. 610 *P. I. Jur. nat.*) & (§. 160 & 206 *Jur. Gent.*). Præstanda igitur est legatis publica hospitalitas, modo non obsint potiora erga se officia.

Dari posse casus, ubi officia erga se repugnent huic hospitalitati, facile intelligitur, si cogitetur neglectus officii hospitum vel legatorum, qui abuti illa ad nocendum hospitali civitati auderent. Cæterum illustrari hæc possunt eo casu, quo ipsi Reges aliive rectores civitatum se mutuo hospitum more convenire, & ipsimet inter se de rebus magni momenti ad mutua civitatum suarum commoda deliberare ac pacisci vellent. Quis neget, summa hospitalitate ipsos esse mutuo tractandos, omnia illorum jura, ut inter æquales, ipsis salva esse debere, etiam in aliena civitate, uti in sua; modo nihil injuriæ adversus alteram civitatem moliantur, sed, ut hospites decet & amicos, amice se invicem gerant. Quis negaret ipsis cultum divinum suo ritu cum suis & ibi libere exercendum?

§. 757.

Et jure hospitum largo dignandi.

Sunt quoque legatis cumulate jura hospitum tribuenda. Jura enim hospitum privatis ideo conceduntur, quia sunt exteri seu peregrini, ideoque ita adjuvandi sunt, ut quisque in alia civitate juvari & cito expediri cupit (§. 755). Sed & legati sunt peregrini, & hospites publici (§. 756). Non tantum igitur pariter ac privati, sed & ampliori eximioque jure hospitum, majoris autoritatis, officii ac emolumenti causa frui merito debent, quatenus se eo haud indignos faciunt, quod utique in mandatis non habent.

§. 758.

Quæ sint jura legatorum?

Jura legatorum non alia sunt, quam quæ fluunt ex officiis, quæ ipsis ut legatis, ideoque ut peregrinis mandatariis & hospitibus publicis debentur. Quæ redeunt ad jura egregii honoris (§. 753), publicæ hospitalitatis (§. 756), & ad larga vel eximia hospitum jura (§. 757).

§. 759.

Quanta securitas legatis præstanda?

Legatis multo major, quam aliis peregrinis, præstanda est securitas. Omnibus enim peregrinis in territorio alieno commoranti-

rantibus, ut libet privatis, præstanda est securitas, ut tuti sint ab omni injuria, & adversus eandem defendantur (§. 1063 *Jur. Gent.*). Sed legati non tantum spectandi sunt, ut privati, sua tantum negotia agentes, verum, ut publica autoritate instructi ad publica negotia communis salutis causa tractanda (§. 717), id circo quo majoris hæc sunt momenti, quam privata, eo gravior foret injuria ipsis illata. Hinc ut ratio simul habeatur mittentis majestatis, ne illa simul offendatur, peculiari etiam legatorum jure (§. 758) major ipsis præstanda est securitas, quam aliis peregrinis (§. 1064 *Jur. Gent.*).

§. 760.

Quoad actus privatos legati quidem non aliter spectandi sunt, quam peregrini (§. 1058 *Jur. Gent.*); *quatenus tamen publica negotia sine illis expediri nequeunt, eatenus & privati actus ad mandata illis publica negotia pertinere intelliguntur* (§. 683 & 685 *P. IV. Jur. nat.*); nec non *illi, quorum ope melius ac sine illis peraguntur* (§. 192 *P. I. Phil. pract. univ.*). *Quid de privatis legatorum actibus censendum?*

Sine itinere v. g. ejusque maturata, quantum fieri potest, expeditione, sine usu diversoriorum in itinere & hospitio apto, in quo cum suis legatus commoretur, publica negotia & officia legatus commode & ex dignitate obire non posset. Quare hæc & his similia itidem mandatis ejus contineri, & præstanda illi quam optime esse intelliguntur. Si vero contractus privatos ineat, ad ipsius publica negotia nihil facientes, in illis parum ab alio peregrino differret, in justitia sua adjuvando.

§. 761.

Quilibet civis jure gaudet privati imperii & disciplinæ in sua domo, maritus in uxorem, parentes in liberos, heri & heræ in servos, ancillas cæterosque familiares aut domesticos; gaudet pleno rerum suarum dominio, excepto propter dominium & imperium eminens solo casu necessitatis (§. 250. *Salvum ipsis privatum imperium dominiumque.*

270

270 *seqq. P. I. Polit.*). Quod cuilibet civi patri matrique familias in domo & familia ſua non denegatur, id nec cuiquam peregrino & hoſpiti in ſuos, quos ſecum ducit, ullo obtentu negari poteſt ſoletque (§. 754). Qua de re & *legatis ſalvum eſſe debet ſuum in perſonas ſibi ſubjectas, resque ſuas & imperium privatum & dominium* (§. 756 *ſeq.*), *neque in uſu ſui juris a quoquam ſunt impediendi, multo minus lædendi* (§. 759). *Viciſſim nec legatus civem quenquam lædere, & in uſu juris ſui impedire debet* (§. 756).

Ponamus caſum, emiſſe legatum domum, hortum vel prædium quodcunque a cive: quia civis illi plus vendere non potuit, quam ipſe habet, in caſu, quo utendum eſſet imperio dominoque eminente, non poſſet non legatus & eidem locum relinquere, inſtar amici & aliorum civium, indemnis poſtea a civitate præſtandus. In locatione & conductione ſimilibusque aliis contractibus, uti vult cives erga ſe juſtos eſſe & æquos, ita & ipſe talis viciſſim erga cives eſſe debet.

§. 762.

Jurisdictio legati in ſua ditione.

Si legatus jurisdictione gaudeat in ſuum comitatum, ea tamen gaudere nequit in alieno territorio, ſed tantum in ſuo, in quo illam accepit exercendam. Eſt enim jurisdictio non niſi regimen vicarium (§. 630). Quod ideo non niſi ibi exerceri poteſt, ubi rector civitatis eam alii potuit committere. Sed ubi ea, uti in territorio alieno, non eſt ipſius, ſed alterius; ibi eam ipſi non poteſt committere, altero invito. Quare ſi vel legatus jurisdictione in ſuos comites gaudet, eam tamen exercere nequit, niſi ubi ipſi eſt demandata. Videndum ergo, quousque ea ipſi ſit delegata, num in certa tantum regione ditionum mittentis, per quas iter facere jubetur vel volet, vel ne id quidem, ſed tantum in locis ordinariæ ejus jurisdictionis.

Si

Si legatus clandeſtinus ſit, vel ſolus ire poteſt, ut ne privato quidem egeat imperio, ſed ex conducto tantum utatur opera aliorum, qua indiget. Nec dum legati manifeſti mittuntur, ſemper neceſſe eſt, ut vel inferiori vel ſuperiori in comites ſuos jurisdictione gaudeant, quamdiu privatum imperium ipſis ſufficere poteſt. Quocirca diſpiciendum eſt, utrum gaudeant quadam jurisdictione, an nulla omnino. Quod in legationibus breviter perfungendis, v. g. gratulationis tantum peragendæ cauſa, uſu venire poteſt, æque in publicis ac in privatis negotiis, absque ulla jurisdictione pleniſſime abſolvendis.

§. 763.

Non major, quam quæ ipſi data eſt.

Quia legatus vel jurisdictione in ſuos comites prædītus, ea, quam accepit, majorem exercere nequit (§. 630), ideoque criminalem exercere nequit, ſi civilem tantum accepit (§. 640): *arrogare ſibi legatus plus jurisdictionis nequit ne in ſuos quidem comites ac in ſua ditione, quam in illos accepit.* Inde ſi plures ſint legati ejusdem ordinis, in quos nulli eorum imperium eſt conceſſum, non tantum illi inter ſe æquales & ſui juris erunt, ſed & alii, v. c. ſecretarii legationis, tantum mittenti ſubjecti.

§. 764.

In aliena ditione ipſi eſſe gaudere nequit niſi ex pacto.

Si legatus jurisdictione quadam ſecundum jus proprium mittentis in ſuos comites gaudere debet in aliena prorſus ditione & civitate, ea gaudere nequit niſi ex pacto, nec ultra id, quod pacto conventum eſt. Neque enim in ſua civitate ulla gaudere poteſt jurisdictione, nec alia, quam quæ ipſi a rectore civitatis mutua conventione eſt demandata & ab ipſo accepta (§. 762 ſeq.). Multo minus in aliena civitate vel mittentis autoritate & majeſtate ullam aut aliam accipere poteſt jurisdictionem, quam quæ conſenſu rectorum alienæ civitatis ipſi eſt conceſſa. Proinde ſi nulla eſt conceſſa, nulla gaudebit; ſi qua eſt conceſſa, nec alia gaude-

bit, nec majorem ſibi arrogare poteſt ea, quæ ipſi permiſſa eſt.

Hæc non tantum valent de illa civitate, ad quam miſſus eſt legatus, & in qua negotia tractaturus degit, ſed de illa quoque aut illis, per quas ipſi eſt tranſeundum, ſive adituro aliam civitatem, ad quam eſt deſtinatus, ſive inde domum redituro. Quia pacta vel ſunt expreſſa, vel tacita, quæ conſuetudine recepta continuantur & vigent: jurisdictio quoque nonnulla in alia civitate obtineri poteſt pacto tacito, tolerantia nempe ejus, qui eam negare poſſet & impedire in ſua ditione, dum haud ignorat, eam ab alio exerceri, ſive is rex ſit, aut regina, aut ipſius legatus jurisdictione in ſuos donatus. Exempli loco eſſe poteſt Regina Sueciæ, Chriſtina, vel poſt abdicationem ſuam jurisdictionem in ſuos homines exercens, & in quodam caſu criminali, connivente alia civitate. Honorifice Regibus, juris peritis, in comites & ſubditos ſuos ſuprema jurisdictio, attamen ſine incommodo alienæ civitatis exercenda, ut hoſpitibus, concedi poſſet mutuo conſenſu (*§. 756 not.*)

Quid ibi ſit prudentiæ?

§. 765.

Prouti reges in ſuo regno quoad actus privatos non ſpectantur niſi ut privati (§. 285 *P. VIII. Jur. nat.*), & multo magis in regno alieno nihil publici imperii habent, nec ullum jus exercendi actus regios vel in ſuos, niſi alterius regis mutuove permiſſu (§. 1059 *Jur. Gent.*), debite limitato (§ 764): ita *legatis jurisdictio in ſuam familiam velut ſegregem, quæ & quanta permitti vel pacto poſſit, prudenter eſt diſpiciendum.* Civilis & pœnalis inferior eis, qui ea inclaruere, dari poſſit (§ 764) Capitalis jurisdictio ipſis vix raro concedi poteſt, ne quid ea, non ſine ignominia mittentis, cui actiones legati ut mandatarii imputantur (§. 735), peccetur, præſertim cum judicibus & carnifice cæt. inſtrui ita non ſoleant, uti belli duces, ut delinquentes milites ſuos militari more punire poſſint vel in territorio alieno & amico. Præſtat igitur, ut vel remittant puniendos

dos ad ſuum principem, vel jurisdictioni magiſtratus loci, ubi degunt, eos tradant, ſi delicta committere & turbas publicas moliri audeant (§. 1060 *ibid.*).

Non diſſimulat vim horum argumentorum, quantumvis legatis affectu ſuo plurimum tribuens Abr. *Wiquefortius p. 421. de legato* ſcribens: Le Souverain même n'eſt, qu'une perſonne particuliere, & n'a point de jurisdiction dans le territoire d'autray, de ſorte qu'il ſemble, que ſon repreſentant, ne la ſçauvoit pretendre non plus. Il ſemble encore, qu'il y ait une grande incongruité de permettre à un ambaſſadeur, ou a un miniſtre du ſecond ordre d'exercer jurisdiction ſur les domeſtiques, parce que ne ſe trouvant pas accompagné d'un nombre ſuffiſant de juges, il ne peut proceder contre eux dans les formes, & quand illes auroit condemnés, il n'a point de miniſtres de juſtice, qui puſſent executer ſa ſentence. Licet igitur jurisdictionem ipſi intra domum ſuam, quam vocat domum principis, cujus perſonam refert, nihilominus tribuat, concludit tamen: s'il y trouve quelque ſcrupule, il peut envoyer le criminel dans ſon païs & le faire juger par la juſtice de ſon prince p. 422. Fatetur dein degenerare interdum domeſticorum ſeu comitum legati mores eo usque in licentiam, ut legati ipſi invicem committantur, eamque cohibere nequeant. Quod confirmat exemplo Tridentino A. 1563, ubi tandem legati convenerunt, de inermi reddendo omni comitatu ſuo. Addit p. 423 exemplum legatorum omnium, qui cognitionem criminum ſuorum comitum permiſere magiſtratui Monaſterienſi, citra præjudicium dignitatis ſuis, ad refrænandam ſuorum inſolentiam, exuentes prius maleficos ſuis coloribus, ne ipſorum amplius eſſe viderentur. Adducit quoque Brugmanni, legati Gottorpenſis Ducis in Perſia, repulſam, cum ex aſylo repetere vellet ſuum domeſticum, &c. p. 437. Edit. Colon. 1690. 4.

§. 766.

Securitas comitum & rerum legati.

Quæ legatis tribuenda eſt ſecuritas, ea quoque derivatur in ipſorum comites & res, cuiuscunque ſint generis. Sine his enim perſonis

ſonis & rebus legati non ex dignitate, & prout juſſi ſunt, negotia publica expedire poſſunt, quibus alias facile eſſent cariturі. Quapropter quæ ſecuritas ipſis conceditur (§. 759), eadem ſimul iis, quibus indigent, perſonis & rebus denegari nequit, ſed itidem præſtanda eſt (§. 760) Quia quæ civibus vel peregrinis tranquillitas ſecuritasque in civitate debetur, eadem & ipſorum perſonis domeſticis rebusque eſt concedenda: dubitari nequit, quin & legatorum eadem ratio ſit habenda, ut, quæ legatis ipſis non debentur, ea nec debeantur ipſorum comitibus & rebus (§. 1060 *Jur. Gent.*); quæ vero ipſismet tribuenda, deriventur quoque in ipſorum comites & res (§. 1065 *ibid.*).

Comites legatorum non tantum ſunt plures legati, qui ſimul legatione funguntur, ſed & uxores, liberi, nobiles, famuli, miniſtri ſacrorum, medici, ſecretarii, aurigæ, coqui &c. Res vero ſunt pecunia, equi, carpenta, vaſa argentea, libri, literæ, documenta, & quæcunque ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem faciunt; immo & quæ ad ſplendorem mittentis oſtendendum requiruntur. Diſparitas quidem honoris perſonis habendi eadem omnibus tribui vetat; immunitas tamen a læſione & injuria, uti vel civibus cum ſuis eſt ex æquo præſtanda, ita & legatis multo magis (§. 759).

§. 767.

Injuria legatorum quousque tangat legantes? *Quæ legatis infertur injuria, ea ſimul redundat in eos, quorum ſunt mandatarii, qui & ipſos tueri, ac injuriam eorum prudenter arcere & vindicare puniendo obligantur.* Sunt enim legati veri mandatarii iique eorum, qui majeſtate gaudent (§ 735), ſunt & eorum vicarii (§. 717.), miniſtri (§. 718), & conſiliarii amicique (§ 481. & 532). Cum igitur, quæ ut legati agunt, autoritate & nomine mandantium agant, non poteſt non injuria ipſis illata, ſive verbalis ſit, ſive realis, ſimul afficere & offendere eos, quorum ſunt mandatarii.

Sicut

Sicut officium & jus eſt homini defendendi alterum, quantum poteſt, ſi ipſe ſibi defendendo non ſufficit (§. 990. *P. I. Jur. nat.*), ita multo potius obligatur mandans majeſtate gaudens ad ſuum mandatarium, miniſtrum & amicum defendendum, quando mandatarius ſibi defendendo non ſufficit. Ideoque injuriam eis, intra fines mandati manentibus, imminentem aut illatam ut ſuam offenſam reputare (§. 942. *ibid.*), prudenterque eam impedire, quatenus poteſt arcere & vindicare puniendo, ſi tanti eſt & prudentiæ, obligatur (§. 1069. *ibid.*); jure & officio ſecuritatis (§. 917. *ibid.*), & (§. 532. *P. VIII. Jur. nat.*).

Officium ſuos defendendi tam naturale eſt, ut ne beſtiæ quidem defenſioni ſuorum pullorum deſint, quantum poſſunt; quod & ad alia, quæ amant, v. c. canes ad dominum ſuum defendendum, porrigunt. Multo magis igitur homines ſuos liberos, patres familias, ſuos domeſticos, & patres patriæ ſubditos ſuos vero amore tueri debent, eorumque injuriam propulſare, & punire eam, quæ aliter reparari nequit, debent. Quemadmodum & vix quisquam erit, qui ſuo cani, equo, bovi &c. inſultari ab aliis & damnum dari patiatur.

§. 768.

Legati comites ſuos prudenter in officio continere, & defendere uti ſe ipſos pro viribus debent. Sunt enim comites vel familia legati, vel ipſi adjuncti ſocii & adjutores legationis ejusdem ſecuritatis conſortes (§. 766). Hos omnes amare ut ſe ipſum, ſuo quemque merito & gradu, ex parte regere, in ſuo officio retinere, ideo & protegere ac defendere tam prudenter debet, ne quid contra officium & ultra vires aut principi ſuo diſplicitorum audeat, nec ſe ejus defenſione una cum ſuis indignum reddat (§. 767.) Quare ab impetu affectuum, & violentia inepta ſibi cavere, jure autem ore & opere defendere & ſe ipſum (§. 973. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), & comites ſuos, quo-

Legatorum in Comites officium.

ad merentur; quæ vero ſic conſequi nequit, ad principem ſuum referre, & ipſius defenſioni commendare debebit, utpote cujus ſubditi quoque ſunt ipſius comites, ab ipſo quoque, ut merentur, defendendi (§. 767.). Quia rerum, quibus utuntur, par eſt ratio, par ſecuritas (§. 766.), & earum defenſio ipſis eſt ſuſcipienda.

Si injuria comitum proxime afficit legatum, per ipſum tamen quoque redundat in majeſtatem mittentis legatum cum ſuo comitatu, cui vires non deerunt, quando tanti eſt, reparationem injuriæ aut pœnam exigendi. Non afferam exempla legatorum, qui in defenſione ſuorum vel communem cum aliis legatis cauſam fecere, & rectam ſecuti ſunt viam, aut deviando violentiam tentarunt prætereundo mandatum, nec tantum periculis ſe temere objecere, ſed & gratia excidere principum ſuorum.

§. 769.

Defenſio & per hoſpites quærenda.

Quia legati ſe, ſuos comites, ſuasque res defendere prudenter debent (§. 768.), inter exteros vero majori eorum vi ſuccumberent, antequam participes defenſionis ſuorum principum fieri poſſent: pateſcit, *legatis* quoque *pacto, quo recipiuntur, ſaltem tacito, defenſionem illius publicam adquirendam eſſe* (§. 555. & 1063. *Jur. Gent.*), *in cujus ditione degunt, ut eadem gaudere poſſint, nihil officio contrarium, quo jus hoſpitii læderetur* (§. 754. *ſeq.*), *moliendum eſſe, eamque defenſionem, quando opus eſt, debite inſtanterque implorandam eſſe, &, uti par eſt, merentibus præſtandam* (§. 756. *ſeqq.*).

Datur & hic eadem ratio, quæ movit homines, ut in civitates coirent, & aliorum plurimorum præſidio & auxilio eam quærerent ſecuritatem, cui ſibi vel in familia ſegrege non ſufficiebant. Agnoſcere vel reges debent, in alia civitate, quamvis magno utuntur comitatu & militari præſidio, impares tamen ſe eſſe ſecuritati tantæ ſibi præſtandæ, quantam cupiunt; ſi v. c. hoſtium copiæ ex inſidiis eos ibi obruerent, uti vel a ſicariis nonnunquam in proprio regno factum eſt, niſi præſenti al-

terius

terius civitatis defenſione una teguntur. Quam ideo adipiſci & ejus certi fieri debent. Multo minus legatis ſat ſecuritatis erit, niſi alterius civitatis defenſione una protegantur. Quæ ſi illam recepit, eo quoque promtius præſtabit, quo certior inde fieri poteſt de paribus officiis viciſſim expectandis, & quo plus timendum habet, ſi ſuo deſit promiſſo.

§. 770.

An ultra comites jurisdictio extendi poſſit?

Si vel maxime legati jurisdictione præditi ſint, & ex compacto uti poſſent in ſuos comites, non tamen ideo eadem gauderent in alios ſui principis ſubditos ſociosve, vel ipſis ultro ſe ſubmittentes, niſi & hoc certo modo ipſis conceſſum. Hi enim non ſunt ipſorum comites, in quos adepti ſunt jurisdictionem, & in quos ea ipſis eſt permisſa; ſed ſunt alii, peregrinæ civitati ſubjecti, ut cives temporarii, quamdiu in ea verſantur (§. 303. *Jur. Gent.*), & tanquam ejusmodi peregrinis, dum ibi honeſte ſe gerunt, immunitas ab aliorum injuria ipſis eſt præſtanda (§. 1063. *ibid.*). Enimvero ſi Rege invito ejus imperio ſe ſubducunt, nolunt eſſe ulterius cives temporarii, redire ergo ad penates ſuos debent, nullum vero jus habent ſe in legati clientelam ac jurisdictionem dandi, qui & jure eos in ſuam jurisdictionem recipiendi caret. Vtrumque ergo nullo jure fieret, nec valere poſſet.

Aliter vero cenſendum eſſe liquet, ſi ex compacto hujusmodi ultronea ſubjectio aliorum ſubditorum ejusdem Principis & receptio in legati jurisdictionem ipſi intra certos limites in aliena civitate eſt conceſſa. Tum enim pactis eſſe ſtandum, & utrinque intra limites ſtatutos manendum, dubio caret (§. 765).

Non omnino talia ab uſu cultiorum populorum abhorrent. Gaudent paſſim exercituum duces non ſolum jurisdictione in ſuos milites, ſed & alios ſui regis ſubditos, mercatores, piſtores, chirurgos, medicos, opifices, & voluntarios comites, quos ſecum gerere conſueverunt, & in amicæ civitatis peregrinæ,

quam

quam transeunt, vel in qua commorantur, ditione, nemine impediente, modo recte sua jurisdictione utantur, &, qui se illi subjecere, recte pareant. Inter Pontificios clerici monachique non subsunt civili jurisdictioni, cujus tamen defensione destitui nolunt, & recipiunt in sua monasteria & sacraria, quotquot eo confugere cupiunt. Num reges in aliorum Regum ditione minoris sint faciendi, dum bene se gerunt, ipsorum arbitrio est relinquendum, æque ac hoc, num, & quibus & quatenus eorum legatis restrictius simile quoddam jus sit mutuo consensu concedendum?

§. 771.

An in fugientes ad illas. Si legati ne subditos quidem sui principis, qui ipsis comites dati non sunt, in suam jurisdictionem ultronea deditione recipere valent, nisi quatenus id ipsis pacto est permissum (§. 770.): *multo minus aliorum omnium minime illorum, apud quos degunt, subditos, ultro ad ipsos confugientes, admittere & vindicare suæ jurisdictioni, ullo obtentu poterunt, nisi & tali gaudeant concessione restricta admodum, v. c. in servos, interpretes ibi adscitos.* Quæ an postremo casu unquam, aut quousque consultum foret, illi dispiciant, qui ea stabilire volent, ne nimia indulgentia propriæ majestati noceatur.

§. 772.

Quid sit asylum? *Asylum* vocatur templum salutis inviolabile, vel locus tuti refugii. Posset item delubrum & portus misericordiæ vocari, quando miseris merentibus hoc præstat, ne possint violari, aut a quoquam nolentes inde abduci. Jus asyli ergo est jus loci non violandi, vel perfugii securi, cum & verbotenus notet a spolio tutum, seu nequaquam spoliandum.

Judæis in Palæstina erant sex urbes, jure asyli, pro homicidis tantum culposis, præditæ, ad quas Goëlis metu confugiendum erat ei, qui non nisi inscius aut improvidus quemquam neci dederat, idque poterat probare, *Jos.* XX, 2. *seqq.* *Livius* de templo Apol-

Apollinis Delio, refert ea religione & eo jure ſancto, quo ſunt templa, quæ Aſyla Græci appellant. *L. 33. c. 51.* *Cicero L. I. in Verr. c. 33.* memorat, M. Aur. Scaurum dixiſſe, ſe quæſtorem Epheſi vi prohibitum eſſe, quo minus e fano Dianæ ſervum ſuum, qui in illud aſylum confugiſſet, abduceret. Ac *Tacitus annal. IV. c. 14.* autor eſt, Coos petiiſſe, ut Aeſculapii delubro antiquum jus aſyli firmaretur. Iſpahani Aſylum eſt Perſarum *Alla Capi* dictum, in quod cum legati domeſticus ſe recepiſſet, Schachy negavit ſibi fas eſſe, eum inde abripere, etiamſi crimen in regem ipſummet commiſiſſet.

§. 773.

Cur quondam templis jus aſyli conceſſum?

In divini numinis reverentiam haud imprudenter olim templis quibusdam inſignioribus jus aſyli in eorum gratiam erat tributum, qui delicti a ſe commiſſi juſtam habebant excuſationem ſpemque impunitatis ſaltem remittendi ſupplicii. Cum enim in civitate detur jus majeſtatis, delicti gratiam faciendi, & ſupplicium ob idoneas rationes remittendi, idque in honorem & gloriam numinis divini fieri debeat (§. 658. & 843. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*): non fuit a religione alienum, ut locis ſacris ſanctisque, cujusmodi templa eſſe debent (§. 518. *ibid.*), tale jus aſyli ob Dei reverentiam tribueretur his, qui mereri ſe pœnæ ordinariæ aut mitigationem aut remiſſionem, eſſent probaturi. Quod jus propterea ſalva reverentia numinis violari non poterat.

Tale jus erat templo Hieroſolymitano ejusque altari, ut, qui ad illud confugiſſet, antequam caperetur, & cornua ejus manibus eſſet amplexus, inde vi non eſſet eripiendus, nec ibi trucidandus, niſi gratia plane indignus. Quare male audit Rex Joas, qui Zachariam in templo juſſerat lapidari, *2 Paralip.* XXIV, 20. *ſeqq.* Quod & Judæis exprobrat ſervator noſter *Matth.* XXIII, 35. Joabus autem fruſtra ibi aſylum quærebat *1 Reg.* II, 28-34. Simile jus pagani fanis delubrisque idolorum ſuorum paſſim tribuerant. Imitati id ſunt Chriſtiani, templa nacti, deinde & monaſteria. Verum cum, uti inter gentiles olim, ita & inter

Christianos dolosi malefici præter meritum impunes fierent, abusu asyli, partim circumscriptum & ad suos limites revocatum est jus asyli, v. c. *Const. novell. 17. c. 7.* ubi inter alia dicitur: templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege. (Conf. *Nov. 117. c. ult.* & Titulus Codicis *de his, qui ad ecclesiam confugiunt, & ne quis ab Ecclesia extrahatur*); partim, quando ne sic quidem abusus vitari potuit, plane abrogatum & sublatum est, uti Carolus IV. Rex Bohemiæ Lusatiæ Ecclesiis jus asyli abrogavit. Vid. Bayerische Malefitz-Ordnung A. 1616. Quod ansam dedit melioribus justitiæ institutis, ut ubique esset innocentiæ in præsidio justitiæ asylum. Videlicet publicis instigatoribus constitutis (§. 672.), & legibus culposa delicta dirimentibus in pœna a dolosis, & appellatione summi tribunalis, asyla innocentibus ubique patent.

§. 774.

Item palatiis, statuis, &c. principum.

Simili modo & ad imperatorum regumque palatia, item ad statuas & simulacra, ad carpenta in solenni ingressu reginarum quoque, patuit sæpe refugium spe veniæ, gratiæ obtinendæ, & exilii remissionis ductis, abusu tamen profligato. Neque enim verendum est, bonos rectores civitatum sine cognita causa & gravissima ratione perfugis ad se gratiam esse facturos, nisi in documentum clementiæ hujusmodi, quod prodesse civitati possit, nocere autem nequeat (§ 656. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Quare & abusus hujus perfugii neutiquam permittetur, utpote civitati nociturus (§. 873. *ibid.*).

Cum Tiberio imperante deterrimo cuique licentia incederet, impune probra & invidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris, liberti etiam & servi patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius Senator disseruit: Principes quidem instar Deorum esse, sed neque a Diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quenquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas lege & funditus versas, ubi in foro,

in

limine curiæ, ab Annia Rufilla, quam fraudis ſub judice damnaviſſet, probra ſibi & minæ intendantur; neque experiri ipſe audeat, ob effigiem imperatoris oppoſitam. Cætera videantur *Taciti Annal. II. 36.* Quare, aperto ubivis meliori perfugio ſalutis, & hoc paſſim abrogatum eſt aſyli genus, & ſi quando perraro conceditur in publica ſolennitate, abuſui tamen repagula opponuntur.

§. 775.

Derivatum a principe pari jure eſt jus aſyli in legatos Romæ degentes, quo ipſe Papa id ſuis legatis apud ipſos, ſuisve templis & monaſteriis vindicavit. Nequit enim aliis denegare id, quod ſibi denegandum non eſſe ſtatuit in pari cauſa exemtæ jurisdictionis (§. 98. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Inter alios de hoc jure idem cenſendum, quod de jurisdictione (§. 770. *ſeqq.*). Scilicet id obtinebit, quod pacto eſt adquiſitum vel nuda indulgentia, ut par eſt, reſtricta, ac propter abuſum revocabili & revocanda (§. 774.). *Cur & ubi hoſpitiis legatorum?*

Rex Portugalliæ A. 1661. abrogavit jus aſyli legatorum, juſſitque prætorem erecto bacillo, jurisdictionis inſigni, legatorum ædes præterire. Quod cum A. 1710. ferre nollent Cæſareus & Hiſpanicus legatus, ſed repellere illum niterentur, juſſi ſunt intra 4 dies diſcedere, ne qua inde ſeditio oriretur ipſismet funeſta. At Romæ Marchio H. C. Lavardinus, maleficos non tantum recepit ſuo hoſpitio, ſed nec paſſus eſt lictores pontificis comparere in ſua platea, quidquid Pontifex contra eum moliretur, nihili faciens. Cœlſondrati legatio hujus Marchionis, pro Papa ſcripta eſt; ſuam vero defenſionem ipſe ſcripſit Lavardinus, qua an ſe ſatis purget, judicent lectores Jurium periti.

§. 776.

Cum nullum aſylum ſceleratos juſtitiæ criminali ſubtrahere debeat, caſu tantum aut culpa excuſanda miſeris deſtinatum (§. 773.): *nec legati quodam aſyli jure gaudentes eo abuti debent ad maleficorum pœnam elidendam, ſed tales potius vel non recipere, vel* *Quinam a lo excluden di ſint?*

 ſpon-

sponte sua tradere suis judicibus. Procul dubio enim suos comites suæ jurisdictioni, si qua gaudent, subduci nolent: itaque nec turbare aut violare debent jurisdictionem criminalem civitatis, in qua degunt, ipsique contra maleficos defenduntur (§. 796.). Si tradere nollent eos, procul dubio ad id ipsum essent compellendi, eo jure, quo injuriam intentantibus resistendum est, & quo adigendi sunt, ut ea abstineant.

Venetiis Regis Galliæ legatus Guil. Pelissier tres perfugas proditores sibi faventes receperat, eosdem contra judices defensurus. Cum vero hospitium suum jam obsideri & tormenta admoveri cerneret, reddebat perfugas metu gravioris eventus. Regi quidem Francisco I. persuaserat, jus asyli esse violatum, qui propterea legatum Venetum aliquamdiu audire noluit. Tandem ipsum accersitum interrogavit, quid esset dicturus, si ipse pariter tractaretur? Cui Venetus respondit, si ad se confugerent regis proditores aut rebelles, seipsum eos suis illico manibus esse justitiæ exhibiturum, cum sciret, ni id faceret, se Senatui Veneto pœnas esse daturum. Non audiebatur Sabranus Londini A. 1644. cum curiæ jussu ipsius hospita vi in jus esset abducta, utpote civis Londinensis.

§. 777.

Quid de legati & comitum ejus crimine habendum?

Si quis rex in alia civitate factiones excitaret, rebellionem moveret, rebellesque foveret, & in perniciem civitatis aut ejus regis incitaret, is procul dubio non hospitem ejus ageret (§. 754.), sed hostem, ideoque ut hostis esset tractandus (§. 722. & 791. *Jur. Gent.*) Quapropter si per legatum suum ejusque comites talia efficere niteretur, aut si legatus vel comites ejus talia auderent, spe quadam, v. c. gratiam aucupandi, &c. aut idem de eodem & de his statuendum foret, aut quod res sit cum exploratoribus, proditoribus, aut percussoribus, pejus excipiendis (§. 885. & 893. *Jur. Gent.*). Enim vero quia talia clam & astute tractantur, ut nesciatur, num mittentis man-

mandato arcano facta sint, nec ne; & quia nil probabilius est, quam negatum iri, ea intra fines mandati gesta esse: ob securitatem legatorum communis boni causa amplissimam faciendam (§. 759.), *mitior sententia in casu dubio erit præferenda, qua illa citra mandatum attentata esse statuuntur; in vi publica manifesta deprehensus autem sibi imputabit, si experiatur vim jurium justæ defensionis, vel inculpatæ tutelæ* (§. 978. & 983. *P. I. Jur. nat.*).

Si Fabii, Romanorum legati ad pacem conciliandam, arma contra jus gentium cum Clusinis adversus Gallos capientes teste *Livio V. c. 36.* occisi essent, non fuisset ulla ratio de illis conquerendi. Jul. Mazzarini, legatus Vrbani Papæ VIII. in litigium cum Martino Arragonensi incidit, ut gladio stricto eum ad dimicandum commoveret. Qui nisi interventu Ducis de Lerma retractus esset a certamine, sibi debuisset accipienda vulnera vel fatalia. Antonius de Silly, Galliæ legatus in Hispania A. 1601. defendit quidem gladio suos pedisequos a populo tam male habitos, ut unus eorum trucidaretur. Sed cum dein comites ejus iterum convitiis proscissi duos Hispanos strictis gladiis occidissent, tumultu oborto legati hospitium fuit effractum, expilatum, comites ejus vero a judicibus captivi abducti, nec redditi, antequa Rex Galliæ commercium interdixisset, & Papa conciliatore, nobiles captivi Romam remitterentur. Cromvellus fratrem legati Lusitani propter occisum Anglum non capi tantum jussit, sed & ultimo affici supplicio A. 1653, quem suffecisset Regi suo dedisse.

§. 778.

Ob præferendam mitiorem sententiam (§. 777.) *præstat, rationibus expositis legati crimen molientis revocationem & satisfactionem expetere, aut, si periculum in mora, jubere, ut præscripto tempore exeat urbe & regno, & comites criminis convictos vel & jure damnatos, tradere suo regi puniendos.* Etenim si crimen tantum est molitus, idque detectum est, antequam absolvi potuit, attenta-

Cur suis plerumque regibus reddantur vel remittantur?

tum quidem illud eſt, non tamen peractum & perpetratum. Aut igitur periculum ejus criminis penitus jam depulſum eſt, aut metuendum, ut ejus fax & tuba, illud continuare & abſolvere utcunque nitatur. Poſteriori caſu nil mitius fieri poteſt, quam ut abire juſſus furori populi ſubducatur, & ſimul impediatur ulteriora deſignare facinora (§. 972. & 988. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Ceſſante omni periculo, ſufficit, ut exſpectetur revocatio ejus, qui ſe jure legati indignum reddidit (§. 982. *ſeqq. ibid.*). Etenim ſi non revocetur, compellere illum poteſt, ut diſcedat, princeps a legato offenſus; vel ſi fruſtra negetur attentatum, eum ipſius legitime convincere, & remittere convictum, ut a rege ſuo puniatur. Quæ multo magis de comitibus legati valere, per ſe manifeſtum eſt.

Eliſabetha Angliæ regina A. 1563 Philippum II Hiſpaniæ regem rogaverat, ut legatum ſuum, Alvarum de Quadra, factioſum, revocaret. Quod cum is renueret; dicendo, non poſſe ſe ea in re reginæ gratificari: ſortem regum fore infelicem, ſi legatus illico revocandus eſſet, quando diſplicere ejus acta dicerentur. Procul dubio legatus omnia diffeſſus erat, quorum arguebatur, & reginæ debito honori defuerat. Quare illa legato cuſtodes dedit, eumque examini judicum ſubjecit, qui morbo interea correptus diem obiit ſupremum. Carolus II. Rex Angliæ Bernardum de Salinas, legatur Hiſpanum A. 1677 intra 24 horas Londino, & intra 20 dies regno exire juſſit, ob excitatas factiones, de quibus querelæ in Hiſpaniam delatæ ſunt, cum legatus dixiſſet, ſe nihil injuſſu regis egiſſe. Henricus IV. Rex Galliæ Secretarium legati Hiſpanici examini judiciali ſubjectum reum deprehendit Marſiliæ prodendæ, reddidit tamen Regi ſuo puniendum tanquam in flagrante delicto comprehenſum. Madriti legatus Italus malefico refugium dedit, quem juſtitia perſequens inde extraxit, legatum in vicinam domum deduxit, & abduxit ſimul ejus domeſticos ad judices, qui una cum legato vi uſi erant. Damnabatur nobilis, qui virgam præfecti

capitalis fregerat, capitis; alii servi patibulo digni, alii ad remos adstringendi censebantur. Rex tamen exsecutionem sententiæ impediebat, cum legato acta communicans, & adquiescens in reorum egressu ex Regno. Elisabetha Bernard. Meridozam, conspirationi contra suam vitam implicitum, ex consilii sententia acriter reprehensum statim abire, & cum necteret moras, navi deferendum imponi jussit: quia periculum nondum erat extinctum. Veneti autem Alfonsum de la Cueva, periculo prodititionis sublato revocari rogarunt, teste *Wiquefortio p.* 427 *seqq.*

§. 779.

Si mitior poena criminis aut delicti speratur a lenitate, magnanimitate & clementia regis per legatum ejusve comites offensi, tradi ipsi prudenter poena sumenda potest. Etenim si rigorosior pœna esset irroganda, & nescitur, quænam ipsi læso suffectura videatur; præstabit ipsam ejus arbitrio permittere, cum in sua causa clementiæ & magnanimitati facilior locus sit, quam in aliena, & summæ clementiæ &c. litandum sit, ubi illa exerceri recte potest (§. 111. 115). Simul igitur & læso permissa ejus arbitrio pœna gratificari licet, & indulgentiæ litare erga puniendum, si eam meretur, quando spes ejus magnanimitatis clementiæque haud vana est.

Quando pœna læso tradenda?

Cum A. 1285 Arragonum regno immineret bellum regis galliæ, & Castellæ rex propendere in partes Gallicas videretur, misit Petrus Rex Arragoniæ Petrum de Bolea ad Castellanum Regem, Sancham, ut ipsum sibi conciliaret, datis ipsi fidei literis. Quod cum difficile esset impetratu, legatus sine mandato promisit Arragonensi urbem Calatayud, finito bello tradendam. Quam cum Castellanus rex stato tempore postularet, negavit Arragonensis, se id legato mandasse, ideoque ipsi eum misit pro lubitu puniendum, ut ejus amicitiam sibi devinciret. Excusavit se Bolea, omnino id sibi mandatum non fuisse, sed credidisse se ex fidei erga Regem suum abundantia, sibi aliquid suo periculo

riculo audendum esse, ad avertendum ipsius discrimen. Quem zelum Castellanus Rex laudavit, & impunitum regi suo reddidit, suæ credulitati animadvertens una ignoscendum esse. Pariter A. 1603 Henrici IV. Galliarum Regis legatus Londinum ingressus acceperat nobilem e suo comitatu incidisse in litem cum Anglis, & unum eorum occidisse. Populo concurrente & vim minante legato, ad quem ipse refugerat, legatus cum aliis comitibus nobilibus homicidam examinavit, & convictum confessumque capitis damnavit. Idque nunciari jussit judici majori Londinensi, ut mittere posset, qui sententiam exsequerentur. Missi sunt, qui ipsum ducerent. Sed ordinarius legatus apud regem veniam delicti est consequutus. Quod Henricus IV. laudavit, licet in ejus consilio non deessent, qui erroneo negarant, recte illum Anglis traditum esse, cum eorum nulla esset in ipsum jurisdictio, & regis sit gratiam delicti facere: quasi ibi non fuisset forum delicti (§. 657), nullo modo ipsi mandati, cum Rex potius amicitiæ causa gratulatum misisset, ideoque veniæ spes eo facilior esset & promtior, quam si per ambages & vix tam generose obtinenda fuisset non immerenti. Nata hinc videtur *lex 17 de Legation. in ff.*

§. 780.

Legatorum circa injurias prudentia. *Cavendum est prudenter legatis eorumque comitibus, ne quam injuriam inferant aliis seu legatis eorumve comitibus, seu civibus ejus loci, ubi versantur; illatam vero aut dissimulent, si exigui sit momenti, aut componere magnanime studeant, aut suis principibus reservent.* Cum enim nemo sit lædendus (§ 695 *P. I. Jur. nat.*): neque a legato, ejusve comitibus, alius legatus ejusve comites, seu ejusdem, seu alterius civitatis, neque civis quisquam vel subditus, multoque minus ipse rector civitatis alterius, ubi degit, legatus ulla injuria est afficiendus, cum hoc ipso vel per se vel facile una lædantur alii reges, satisfactionem debitam postulaturi (§. 767).

Si

Si nihilominus orta & illata sit injuria, illa aut exigui, aut magni erit momenti. Si parvi est momenti, & legatum potius ejusve comites afficit, quam mandantem principem, præcipue si in re dubia ex errore aliave levi culpa originem ducat; consensu mandantis aut dissimulari poterit, aut repressaliarum comminatione cohiberi, ne continuetur (§. 779) & (§. 589 & 598 *Jur. Gent.*), aut contra exterum tutela territorii implorari.

Quod quando fieri nequit, in atroci injuria supra victis modis reservandum arbitrium circa modum injuriæ reparandæ, aut in posterum propulsandæ, erit illis, quibus jure majestatis debetur. Ab his ergo statuetur, utrum præstet, reos læso dedi puniendos (§. 779), an consultius sit poscenti deditionem denegari, aliaque uti via meliori (§. 192 *P. I. Philos. pract. univ.*).

Non potest legatis quidquam esse gloriosius, quam si ita se gerant, ut omnium laude & gratia fruantur, & legatione perfecta domum revertantur. Quod cum officiis quibuscunque & virtutibus merendum sit, ab omni abhorrendum ipsis esse injuria, manifestum est. Hinc laudi non datur legatis, si incidunt in privatas rixas & contentiones, unde ad provocationem in certamen singulare abripiantur, vel sibi pœnas debent luendas, uti Comes stabuli de S. Polo A. 1472 in Gallia legatum Burgundicum mendacii arguens. Vid. *Wicquefort* p. 398 & p. 438.

Quid in Polonia a legato Suecio contra Electorem Brandenburg. & ab hoc contra illum factum sit, p. 439 l. c. legi potest, qua de re ille Regis Poloniæ præsidium imploravit. Cum A. 1561. publicani Hispani visitassent arcas Anglici legati, hic querelas ad reginam detulit, cui ipsa rescripsit, dissimulanda esse, quæ dignitatem reginæ directe non minuunt, p. 425 *seq. ibid.* conf. p. 395 (§. 568 *Jur. Gent.*). Exemplum legati satisfa-

ctionem ſibi decretam magno animo deprecantis eſt in legato Veneto A. 1643 Viennæ Sparrii damnati veniam expetente & obtinente p. 399 *ſeq. ibid.* Cum vero Epiſcopus Ferdinandi Catholici legatus a Papa eſſet cuſtodiæ datus, Rex ipſi nuntiavit, ni dimitteretur, ipſum ſe illum cuſtodia eſſe liberaturum p. 407 *ibid.*

§. 781.

Quando injuria legatis illata belli juſtam det cauſam?

Si injuria legatis illata ſit irreparabilis & admodum contumelioſa, ut aliter vel melius qnam bello reparari & propulſari in poſterum nequeat, bellum puniens licitum erit, & conſultum, dum cætera favent. Eſt enim bellum punitivum licitum, quando injuria eſt irreparabilis, nec, ut de eadem ſatisfiat, alio modo obtineri poteſt (§. 636 *Jur. Gent.*). Hujusmodi vero eſt & legatis illata injuria admodum contumelioſa & irreparabilis (§. 616 *not. ibid.*). Quam ob rem ſi aliter vel melius quam bello reparari & propulſari in poſterum nequeat, illud licere conſtat. Quia tamen juſtæ belli cauſæ, non efficiunt, ut bellum ideo conſultum ſit, attendendæ quoque ſunt cæteræ cauſæ vel felicem exitum bello ſpondentes & ſuadentes, vel diſſuadentes. Illis congruentibus demum conſultum erit; his obſtantibus, inconſultum.

Cum Davidis legati Ammonitarum Regi auſpicia regni gratulaturi, quaſi exploratores peſſime eſſent excepti & contumelioſiſſime rejecti, & Ammonitæ bellum parare ope Syrorum intelligerentur, bello ſunt puniti 2 *Samuel.* X. & XI. *Pro Lege Manil. Tullius c. 5.* Majores veſtri ſæpe mercatoribus ac navigatoribus injurioſius tractatis bella geſſerunt: vos tot civium Romanorum millibus uno tempore necatis quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt. Vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Romani conſularem vinculis ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatum necavit? De Bello Tarentino *Florus L. I. c. 18.* memorat, ipſos

ipſos primum claſſi Romanæ inſultaſſe. Propterea aderat ſine mora legatio, querelam ferens, quam fœdius per obſcenam turpemque dictu contumeliam violarunt. Hinc bellum. Recentius exemplum Regis Galliæ A. 1662 *ſeqq.* adverſus Pontificem Romanum. Vid. in *Wicquefortii legato p.* 412 *ſeq.*

§ 782.

Quo pacto legatis tuto pecunia credatur?

Legatis tuto credituri, recte ſibi conſulunt ſolitis ſecuritatis ſubſidiis, idoneis pignoribus, fidejuſſoribus, datave publica fide. Aut enim legati miſſi ſunt, ut mandantis nomine contrahant æs alienum; aut alterius negotii publici cauſa. Priori caſu nemo dubitat, quin credituris ſecuritatem illam debeant præſtare, ſine qua credere nolunt, ſive ea ſecuritas conſiſtat in pignoribus aut hypothecis, ſive in fidejuſſoribus, ſive aliis publicæ fidei documentis. Neque alia uſu ſunt recepta inter civitates. Poſteriori caſu multo minus dubitari poteſt, quin legatus ſuo nomine æs alienum contracturus deſideratam ſecuritatem credituris debeat præſtare, ſi nolit ſibi pecuniam denegari (§. 941 *Ontol.*). Iam ſi crediturus civi prudenter proſpicit ſecuritati credendæ pecuniæ (§. 783 *P. IV. Jur. nat.*); multo magis cum extraneo eoque legato rem habens, num & quomodo tuto credere poſſit, diſpicere, itaque præter renuntiationem jurium & effugiorum a legatis obvertendorum (§. 103 *P. III. Jur. nat.*) pignoribus, fidejuſſoribus, expromiſſoribus, aut publica fide alterius civitatis caveri ſuæ ſecuritati curabit (§. 1142 *ſeq. P. V. Jur. nat.*).

Dum quilibet juri ſuo renuntiare poteſt (§. 118 *P. III. Jur. nat.*), dubium eſſe nequit, quin legatus quoque ſuis juribus & exceptionibus adverſus creditores renuntiare, & ſe juri privato civium ſubmittere poſſit. Ideoque & expletioni juris conſuetæ, ſi non ſolvat debita (§. 1118 *ſeqq. P. V. Jur. nat.*), ſubjicere ſe poteſt, & detentioni rerum ſuarum, niſi ſolverit, antequam abeat, &c.

§. 783.

Periculum creditorum incautorum.

Si legato simpliciter fides est habita pecuniæ creditæ, quam abiturus solvere nequit aut recusat, non tamen inconsulto vel ipse propterea detinendus erit, vel ejus retinendæ res, donec solutio sit facta. Vti enim creditor sibi imputare debet, quando civi alii credidit, qui deinde non est solvendo: ita par est ratio legati, qui solvere credita nequit, nec ultra vires est obligatus (§. 209 *P. I. Philos. pract. univ.*). Si autem solvere nolit, etiamsi posset, quocumque id fiat obtentu: mitior tamen via obtinendi solutionem præferenda erit a creditore incauto (§. 777), quæ est, ut precibus aliisque argumentis consequi studeat id, de quo sibi cautius prospicere debuisset (§. 782). Si promittat solutionem quidem, nec tamen præstet, stato tempore, vel conveniendus erit in suo foro, vel supplicandum erit ejus regi, injungendæ solutionis causa, quibus in irritum cadentibus citra justam causam, tandem repressaliis, si tanti videtur quod ipsi est creditum, locus dari poterit a civitate creditoris; aut si tanti non est, nec consultus est earum usus, creditor discet, in posterum cautius esse credendum.

Nemo quidem laudabit legatum promissa non servantem, itaque violantem leges naturæ, & injuriam facientem creditori suo, quam sibi fieri nollet. Hinc si immunitas a creditorum impetitione legato non est indulta in contractu hujusmodi vel alio privato, par erit, ut contractui satisfaciat, aut experiatur jura creditorum in peregrinos, solvere, quod debent, detrectantes (§. 1058. 1060 *Jur. Gent.*). Parum decet legatum injuriam inferre iis, inter quos vivit, nec solvere id, quod ex contractu debet, ut litem adversus ipsum agi, aut discessuri vasa oppignorari opus sit (§. 1063 *ibid. in not.*). Quando parum tuta videntur remedia mitiora, breviori hac via usi sunt, qui nihil verendum inde habuere. Procul dubio etiam legatus sibi satisfieri volet ab his, qui ipsi nonnulla debent, ante abitum suum,

ne ambagibus poſtea opus ſit. Sic Belgæ olim legatum Hiſpanum æris alieni cauſa detinuerunt, & Auguſtani cives A. 1500 legatum Pontificis Romani, eodem jure, quo legati ſibi ante abitum ſatisfieri a debitoribus poſcunt.

§. 784.

Quæ ſit optima legatorum ſanctitas?

Nihil eſt honorificentius legato, quam ſi, naturali ſanctitate legatorum (§. 1065 *Jur. Gent.*) *contentus ſemetipſum independentem præſtet ab imperio & jurisdictione ejus, ad quem eſt miſſus, abſtinendo ab illis actibus, qui propter injuriam aliorum jurisdictioni ſubſunt; & ne opus quidem habeat illa ex pacto adquiſita immunitate legatorum.* Eſt enim & legatis eligendum id, quod eſt optimum factu, ſaltem illis melius, quæ vulgo obtinent (§. 192 *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Jam præſtat, non exſpectare ab aliis, quod ſibimet ipſis præſtare poſſunt, & quod ideo ab aliis ipſis ne quidem debetur (§. 608 *P. I. Jur. nat.*). Quatenus igitur legati ſibimet ipſis præſtare poſſunt, ne ſubſint jurisdictioni ejus, ad quem miſſi ſunt, eatenus præſtat immunitatem hanc ab aliis non petere, quam extra hunc caſum negare poſſent, eo autem obſervato, ne quidem opus eſt, ut petatur. Sed præſtare eam ſibimet poſſunt, nihil committendo cum ſuo comitatu, cur ſint injuriæ accuſandi. Quod dum faciunt, & ſuæ & mittendis dignitati multo melius conſulunt, quam ex petenda & impetranda immunitate a publica animadverſione. Sacroſancti igitur ab omnibus erunt per ſe habendi, dum abhorrent ab injuria aliorum, dum ſolvunt cuique, quod debent, dum fugiunt dedecus delictorum criminumque quorumvis, eoque ſe honore ſummo dignos præſtant, quo volunt mittentem & ſe honorari. Erit tum eo gravior injuria æſtimanda, quæ ipſis innocentiſſimis a quoquam inferatur.

§. 785.

Securitas transitus legatorum. *Egent legati manifesti quoque ſecuritate ditionum aliarum ipſis tranſeundarum, eaque ipſis inter amicas civitates dato commeatu, inter dubias pacto prævio eſt adipiſcenda præſtandaque.* Nimirum admittendi quidem ſunt ab eo, ad quem mittuntur, niſi obſtent officia potiora erga ſe ipſum (§. 1045 & 1050 *Jur. Gent.*) & (§. 749). Ob ſimiles rationes fieri poteſt, ut ab alia civitate vel amica, vel æmula in iſto negotio, multo magis ab hoſtili, legatis ſeu introitus, ſeu admiſſio in aula, ſeu tranſitus ulterior denegetur. Qua propter in caſu dubio talis tranſitus non erit fruſtra tentandus, vel ne expetendus quidem, ſi eventus & dubius, & alio itinere uti licet; aut tunc demum prudenter ſuſcipietur, cum ſpes ſecuritatis, vel expreſſo vel tacito conſenſu certa apparet, vel ex compacto præſtanda eſt.

Cum Maria Scotiæ regina abdicata ſe in Angliam recepiſſet, Gallia Scoticis rebus ſe ingerere cupiens legatum mittebat, in Scotiam iturum, & prius cum regina in Anglia collocuturum A. 1571. Legatus ſuſpectus factus prohibitus eſt, eam convenire, & in Scotiam proficiſci. Auditæ ſunt inde querelæ a legato Angliæ in Gallia, quod legatus amici regis ibi detineretur. Cui Eliſabeth regina nuntiari juſſit, nequaquam cuſtodia teneri legatum Gallicum, ſed libere ire, quorſum in Anglia velit, ac redire in Galliam pro lubitu poſſe. Tantum iter in Scotiam ipſi non concedi, antequam reſponſum datum ſit ad ea, quæ ejus itineris cauſa ſuo juſſu ſint in Gallia petita. In confinio eum ob commeatus defectum ſecundum leges generales fuiſſe inhibitum, quia per pactum Gallica aula in Scotia nihil ſine conſenſu reginæ Angliæ ſe acturam eſſe recepit. Quo in reſponſo Gallia adquievit, teſte *Wicquefort.* p. 434.

§. 786.

Legato non excedendi *Manendum eſt legato cuique intra fines ſui mandati, quos ſi excedit, mandantem non obligat, & facile pœnam incurrit.* Eſt enim legatus

legatus non nisi mandatarius publicus seu plenipotentiarius (§. 735). Sicut igitur mandatariis cavendum est, ne quid faciant, nisi quod ipsis est commissum (§. 649 *P. IV. Jur. nat.*), nec fines mandati arcani in tractando negotio egrediantur, quo mandans est obligandus (§. 654 *ibid.*). Quatenus vero ex manifesto mandato eoque libero agit, id tamen adimplere debet ex æquo & bono (§. 659 *ibid.*), & ex consensu mandantis præsumto (§. 660 *ibid.*). Quod si id negligat, & vel contra mandatum, saltem arcanum, & contra consensum præsumendum agat, aut fines mandati excedat, id mandans per ipsum egisse, itaque se ad id obligasse dici nequit (§. 661 *seqq. ibid.*). Qua propter legatus, nisi præstare promissa per se possit, se periculo ancipiti pœnæ & mandantis, & ejus, quem decepit, exponit (§. 671 *ibid.*), nisi excusetur extrema necessitate. ***Sunt fines mandati.***

Adnotavimus exemplum ad §. 779, cui nunc subjiciemus alia Romana. Cum Romani ad Gallos misissent legatos, qui nomine senatus populique Romani cum ipsis agerent, ne Clusinos, a quibus nullam injuriam accepissent, socios populi Romani atque amicos oppugnarent, si res cogat, bello quoque tuendos; hi accensis ad arma animis, & ipsi arma capiunt, præsumto forsan consensu Etruscorum duces agentes. Galli id circo Romanis irati legatos mittunt, questum injurias, postulatumque, ut pro jure gentium violato legati (Fabii) dederentur. Senatui quidem Romano non placuit factum Fabiorum, & jus postulare Galli videbantur. Ne tamen id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris, ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum rejiciunt. Vbi tanto plus gratia & opes valuere, ut, quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur. Quæ dein secuta sint, legantur *c. 36 seq. Lib. V. Livii Histor.* Idem Livius longe gravius memorat exemplum *L. IX. c. 3. seqq.* ubi exercitus Romanus frustra negans, sine injussu populi Romani & fetialibus fœdus

dus iniri posse, per sponsionem extortam furcas Caudinas turpiter subire coactus est, sua ignominia patriam servaturus, cum morte non posset. Romæ ipsi autores tam ignominiosæ pacis, injussu populi factæ, petierunt, ut nudi vinctique Samnitibus dederentur ad populum omni religione exsolvendum *c. 8 & 9.* Quod cum tandem placuisset, fetialis illos vinctos reddidit Samnitum duci, quod injussu populi Romani fœdus ictum iri spospondissent, ob eamque rem noxam nocuissent, ut populus Rom. scelere impio sit solutus. Cui Dux Pontius respondit, se non accipere istam deditionem, nec Samnites eam ratam habituros, nisi restituant una omnem exercitum, uti ad furculas Caudinas intra saltum septus fuerat. Cætera videantur *c. 10. seqq. ibid.* Prætermitto exempla recentiora, cum in omnium memoria versentur.

§. 787.

Quo laxiores sunt fines, eo majori prudentia sunt regendi?

Quo solutiori mandato instructus est legatus, eo majore utendum ipsi est prudentia, ne quidquam negligat, sed omnia, quam optime pro re nata fieri potest, ex æquo & bono, & præsumta, vel subinde prævia exploratione perspecta voluntate mandantis perficiat. Quia mandatum cum libera agendi potestate tantum in genere innuit, quid a mandatario ad communem salutem fieri debeat, cætera vero ejus prudenti arbitrio relinquit (§. 651 *P. IV. Jur. nat.*): manifestum est, quo laxius est legato mandatum, quo major illi & liberior conceditur agendi potestas; eo majorem ipsi tribui prudentiam peritiamque rerum agendarum, eoque majorem prudentiam ab ipso in eo negotio testatam esse faciendam, ne spes concepta legantem fallat. Sed is demum prudenter agit, qui sapienter decreta quam optime exsequitur (§. 1). Ergo & legati quo laxiori gaudent mandato, eo prudentius se in mandato negotio gerant, ideoque cuncta ex æquo & bono, ex voluntate legantis non vane præsumta, aut prorsus in antecessum explorata, peragant oportet.

Diserte

Diserte legantes hoc in mandato denotare solent, quod nempe perspecta legati vel legatorum industria, peritia & prudentia confisi, plenam ipsis dent potestatem in isto negotio, *quidquid ad reciprocam legantium & subditorum ipsis utilitatem facit*, tractandi, conveniendi & concludendi. Quibus verbis vera norma liberrimi agendi arbitrii perspicue denotatur, scilicet mutua salus imperantium parentiumque.

§. 788.

Num contra arcanum mandatum agendum sit?

Si legati, uti plerumque fit, arcano instructi sint mandato sapienti, ejus potissimum rationem habere debent in negotio sibi commisso, ne ab illius norma recedant; ideoque in casu dubio vel ante explorare mandantis voluntatem, vel ex præsumta agere suo periculo. Si enim arcano mandato alia injunguntur, quam manifesto, & interest mandantis, ne illud manifestetur, ex arcano agendum, nisi spes ratihabitionis indubia, vel & antea explorata sit, quam contra illud quidquam promittatur (§. 669 *P. IV. Jur. nat.*). Non sunt autem legati, nisi mandatarii civitatum (§. 735). Igitur & ipsis ab instructione, h.e. arcano mandato, quod apertum restringit sapienter, non est recedendum, nisi in casu dubio vel ante rationibus propositis consensum obtinuerint ad ea, quæ arcano mandato repugnant, vel conditionaliter sub spe rati, præsumta voluntate, aut in casu necessitatis suo periculo agendum quidquam sit.

Non tantum in arcano sed & in aperto mandato aliquid contineri debet, quod limites mandati patefaciat, uti mutua civitatum salus, in nota ad §. 787. Quemadmodum in genere dubitanti non est agendum contra conscientiam dubiam, ita nec legato (§. 448 *seq. P. I. Philos. pract. univ.*). Qua de re præstat, ut omittat, quod dubitat, aut ante exploret voluntatem mandantis, quam secus quidquam agere sustineat, aut resolvat sua promissa in conditionem futuræ ratihabitionis, a se persuadendæ, vel si periculum in mora, ut ex præsumta voluntate suo

periculo agat. Cardinalis Offatenſis cum aliter inſulas e manu Turciæ ducis liberare non poſſet, ſine mandato promiſit 12 fidejuſſores numerandæ pecuniæ, ſe poſtea excuſans. Sed cum legatus Ducis Albani, Proregis Neapolitani, contra mandatum ultra 4 dies Romæ hæſiſſet, perſuaſione Papæ, Albanus ditiones Papæ invaſit, & Papa legatum, qui eſſe is deſierat poſt 4 dies elapſos, cuſtodiæ dedit, ut hoſtem. Cum legatus pontificis Rom. perſuaſiſſet Ducis Sabundiæ legatis, ut ſubſcriberent conventa cum rege Galliæ ſua conciliatoris opera inita, Dux tamen id mandatis adverſum factum rejecit plane, narrante hæc fuſius *legati ſui L. II. p. 51 ſeq. Wiqueforto.* De caſu neceſſitatis exempla attulimus ad §. 786. De inſtructione agit *S. 14. L. I. Wiqueforti.*

§. 789.

Mandati potius mens, quam verba ſunt tenenda.

Quia legatis agendum eſt ſecundum voluntatem mandantis, quam tenor mandatorum ſeu apertorum ſeu occultorum exhibet (§. 788): *oportet, ut mentem potius mandantis quam verba ſectentur,* ideoque, antequam abeant, eorum, quæ vel obſcuriora ſunt vel ambigua, vel nimis indefinita, explicationem diſtinctam ſibi expetant, ne fines mandati ſtatos verumque ſenſum ignorent, & errore quodam excedant. Si mandatum ſit nimis generale, vel neceſſaria omiſſa ſint, merito ſpeciale illud addi cupiunt, cujus cauſa potiſſimum extra ordinem mittuntur; niſi id reſervetur eo usque, donec de ſtatu negotii a legato relatum, & deliberatione prævia declaretur, quo pacto negotium ſit continuandum claudendumve.

Legati Sueciæ Osnabrugæ libero gaudebant mandato, nihilominus in rebus gravioris momenti nihil ſtatuerunt ſine accepto Reginæ conſenſu. A. 1572 Regina Eliſabetha legato ſuo in mandatis dedit commerciorum negotium tractandum, ſibi reſervans facultatem plenius ſuam mentem patefaciendi, antequam plane conſummaretur. Neque quidquam videtur tutius eſſe, quam ſi mandatarii nihil magni momenti inconſulto mandante ſtatuant.

ſtatuant. Quantum autem prævideri poſſunt occurſura, prudentia illa in ipſo mandato prævidebit & præſcribet, quomodo ſint gerenda, ut eo brevius abſolvi pacta poſſint. Cum ad Regem Angliæ Iacobum Hiſpanus legatus veniret, ipſi regnum gratulaturus, præmittebat quosdam de commercio Anglico pacturos, quos miniſtri Anglici dubitabant idoneo gaudere mandato ob verba *de faire traiter*. Rex autem dixit, advocatorum eſſe, verba captare, regum inter ſe agendi morem eſſe nobiliorem. Quibus procul dubio innuere voluit, dum de animo regum liquet, in verbis non eſſe hærendum.

§. 790.

De prudentia in exſecutione mandati.

Legati non ſolum ſunt miniſtri & mandatarii ſui regis, ſed & conſiliarii (§. 767) vicariique (§. 717); ideoque ſumma fide (§. 526), dexteritate ac ſolertia (§. 376 *ſeq.*) & integritate (§. 378 *ſeq.*) commiſſa ſibi negotia tractare debent. Quare ſi quid ipſis mandetur, quo meliora a ſe fieri poſſe intelligunt, exſecutionem mandati prudenter different in re dubia, donec rationes ſuggeſſerint, ob quas illud præſcriptum haud conſultum videtur, & meliora commendaverint (§ 789); in manifeſta autem, quando mandatum aliqua aut ignorantia veræ rerum faciei, aut errore aperto nititur, meliora in exſecutione adhibebunt, quæ non poſſe damnari probe norunt, præſertim in re moram non ferente. Quando autem dilatio exſecutionis mandati cum periculo conjuncta videtur, ea differenda non erit, ne quidem ex probabili ratione ab alia civitate ſuggeſta. *Prudentiæ igitur legatorum* (§. 513. 524 & 787) *eſt, nec præcipitare exſecutionem mandati, nec pro ſuo arbitratu differre inconſulte; & prudentiæ mandantium, ea ſtricte injungere, ut ſine mora expediantur, quæ differenda non ſunt, ea autem, quæ forſan melius fieri & obtineri poſſent, in legati prudentiam referre.*

 Etiam

Etiam legato videndum est, non tantum, quid nunc mandans velit, sed & quid semper sit probaturus, ideoque abhorrendum ab eorum exsecutione, quorum decentiora & utiliora dari perspicit. Neque enim zelo imprudenti, neque obedientia cœca in re ipsa tantum proficitur, quantum decenti majestatem moderatione, dignitate & prudentia. Eo vero majori opus est cautione, quando litasse suo affectui videtur mandata consulens aut perscribens. Exempla suppeditat *Wicquefort Legati L. II. p. 49 seqq.*

§. 791.

Hujus prudentiæ fontes. Vt legatus recte uti illa prudentia possit, *probe perspectum habeat oportet non solum id, quod in præsenti negotio potissimum licite est obtinendum, sed & ingenium indolemque principis mandantis, ejus amici inter ministros & consiliarios præcipui, cæterorumque ea in re consiliariorum & secretariorum; nec non ingenium ejus, & intimorum ejus, quibuscum negotium est tractandum, omnemque utriusque reip. faciem & relationem in gravi re agenda, & quænam ibi vel impedimenta & pericula sint evitanda & superanda, vel quæ adjumenta & quo pacto legitime obtinenda adhibendaque.* Patent hæc ex indole prudentiæ civilis, cujus est circumspicere omnia negotii momenta, ut adjumentis quibuscunque, etiam fortuitis, rerum occurrentium personarumque, in rem suam quam optime utatur; impedimenta vero, utlibet fortuita, caveat & declinet, quantum fieri conjunctis plurium viribus potest (§. 3 *seqq.*).

§. 792.

Cui illegitima ausa sint imputanda? Virtutes regiæ non permittunt, ut rectores civitatum inter se vel ipsi vel per legatos aliter agant, quam honeste legitimeque (§ 791). Quare *si legati forsitan secus agere auderent, id in casu manifesto ipsis quidem, non vero legantibus imputandum esset, nisi hos id mandasse liqueat* (§. 661 *P. IV. Jur. nat.*) & (§. 777).

Nemo

Nemo, v. g. ſuos miniſtros per legatum corrumpi cupit; inde talia tentaturum æque non ferret, atque Epaminondas non tulit ab Artaxerxe miſſum Diomedontem ad ſe corrumpendum. Ad quem ille: Te, qui me incognitum tentaſti, tuique ſimilem exiſtimaſti, non miror, tibi ignoſco. Sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris. Quæ ſunt verba *Nepotis in ejus vita.* Vt vero in caſu ultimæ neceſſitatis liquere poſſit, non ſuo vitio ſed mandato acta eſſe, quæ egit, legatus prudenter proſpiciet.

§. 793.

Abſtineant legati a negotiis alienis.

Cum legatis manendum ſit intra fines ſui mandati (§. 786): *ipſorum non eſt, ſe immiſcere negotiis alienis a ſuo mandato, vel privatorum ſuæ aut alterius civitatis, vel publicis ejus civitatis, ad quam ſunt miſſi.* Oppido enim liquet, aliena a ſuo mandato negotia ipſis non eſſe mandata, neque privatorum ſuæ aut alterius civitatis, multo minus publica aliena. In his ergo omni deſtituuntur autoritate publica, eoque magis offenderent mandantem, quo minus illa ipſum decerent, vel quo minus accurate mandatis ſibi propterea ſupereſſent. Offenderent quoque eum, quo invito ſe in ipſius regimen ingererent, mandanti eo ipſo ſimul nocituri. Prudentia igitur abſtinere jubet legatos a negotiis ſuo mandato non comprehenſis.

Quid A. 1734 legato Gallico Gedani acciderit, omnes norunt. Nec alia deſunt exempla, ſi illis eſſet opus. Alia eſt ratio legati, qui tam bene fungitur ſuis partibus, ut & conſulatur in cauſis publicis illius civitatis, ubi degit. Ita Angelus Cornarus, legatus Venetus Purpurati Richelii conſiliarius ſimul intimus fuit, ut ejus rogatu diutius ſolito ibi relinqueretur, teſte *Wicquefort. Lib. II p. 37 ſeqq. & 47.*

§. 794.

Cur acceptus esse debeat legatus?

Quemadmodum *ad prudentiam legantis pertinet delectus legati, qui sit acceptus civitati, ad quam destinatur: ita pars est prudentiæ legati, ut se licite insinuet omnibus, &, quanta potest, gratia omnium, cum quibus ipsi agendum, fruens, negotium suum promoveat, & ex animi sententia absolvat.* Publica enim negotia, quæ melius quam per legatos curari & expediri nequeunt, iisdem prudenter sunt committenda (§. 718); eaque mandantis nomine & autoritate quam optime sunt gerenda (§. 751). Sed si legatus est persona grata & accepta iis, quibuscum est agendum, multo melius negotia expedientur, quam si minus accepta aut exosa foret (§. 750). Est ergo deligendus non alius legatus, quam qui civitati, ad quam amandatur, gratus est futurus hospes.

Enimvero si legatus bene delectus se non gerat, qualem debet (§. 784), cum suis comitibus, prudenter in officio continendis (§. 768), facillime excidet gratia, qua uti, & quam conservare ac augere potuisset, & se reddet invisum. Quo ipso vel deterius geret negotium, quod quam optime gerere debuisset, vel & nocebit sibimet ipsi variis modis. Itaque prudenter studendum est legato, ut se gratiæ eorum insinuet, apud quos ipsi est agendum, eaque utatur in res suas ex animi sententia quam optime curandas expediendasque.

Dedit *Wicquefortus* integram *Sectionem XIII. Libr. I. Legati* priori potissimum parti hujus præcepti, ejusque hunc titulum præmisit: *l'ambassadeur doit être agreable*, qui larga manu subministrat, quæ inserviunt ei materiæ illustrandæ & limitibus suis circumscribendæ. Sic denegari admissio potest, si legatus est invisus, vel legans ipse, vel si negotium est odiosum irritumque futurum: quia præstat non admittere legatum, quam admissum remittere, ex antiquo: turpiter ejicitur, quam non admittitur

mittitur hofpes. Si vero admiffus offendit & fe fufpectum reddit, querelæ de ipfo ibunt ad legantem, ut legatum revocet, vel fi non revocetur, ad negandum ipfi ulteriorem acceffum, &c. (§. 778).

§. 795.

Quando haberi poteft legatus, qui linguam calleat civitati, ad quam abit, feu vernaculam, feu haud ignotam, eo potius utendum erit, quam qui non nifi per interpretem agere cum illa poteft. Quantumvis enim interpres jurato obligetur, æque ac legatus & cæteri ejus comites, ad fidem taciturnitatemque omnem præftandam; pendet tamen partim ab arbitrio interpretis, num id facere exacte velit, an vel corruptus pecunia vel metu mali cujusdam futuri, vel gloriandi ftudio, clam prodere velit, quæ reticenda erant; partim imprudens aliquid cum aliis communicare poteft, quod illos prodere noluit; partim non fatis affequi poteft mentem ejus, cujus verba interpretatur, atque incautius & male ea reddendo offenfæ locum dare multum nocituræ. Prudentiæ cum fit, pericula & impedimenta cavere (§. 791), patefcit, fi haberi poteft legatus, qui linguam calleat, qua agendo cum alia civitate utendum eft, eo potius utendum effe, cæteris paribus, quam illo, qui non nifi per interpretem agere poffet.

Vitanda di interprete pericula.

Poffunt hunc in finem partim domi doceri linguæ iftarum civitatum, quibuscum haud raro negotia intercedunt, per legatos tractanda; partim peregrinantes addifcere perfectius linguam peregrinam; partim commorantes in alia civitate eam addifcere, & fi ibi liberos procreant, eam fuis fimul familiarem reddere, ut alteram vernaculam; poffunt quoque peregrini ejusdem aut diverfæ nationis, qui illam callent, pro legatis adhiberi, quando id confultum videtur. Quem poftremum cafum *Wicquefortus* pertractat *Sect. XI. Libr. I.* quæ infcribitur: le

prince

prince peut employer des Etrangers en ses ambassades, mêmes dans leur patrie.

§. 796.

Præcipuæ legatorum virtutes.

In legatis non tantum requiritur summa fides, seu fidelitas, sed & personæ decor, autoritas, eloquentia, industria indefessa, vigor animi & corporis, præsentia animi, subtilitas, soliditas maturitasque judicii, imperium affectuum omnisque solertia & integritas, in primis si negotium haud mediocris sit momenti. Sunt enim legati principum vicarii, ministri & consiliarii simul inter exteros (§. 717. *seq.* 790. & 361. *seq.*). Quare quæ de illis vicariis in genere *cap.* 1. & de consiliariis *cap.* 2. *hujus Sectionis* ostensa sunt, merito nunc ad legatos in gravioribus negotiis adhibendos applicantur.

Hujus §i locis quibusdam illustrandis serviunt *Sect.* 7. 8. 12. *Lib. I.* & *Sect.* 6. 7. 8. *Lib. II.* Wicqueforti.

§. 797.

Prudentia circa ore aut scripto tractanda.

Est & prudentia adhibenda in modo tractandi negotia publica, ideoque instruendi sunt legati, quænam oretenus tantum proferenda, quæ vero ex scripto aut recitanda, aut & scripta tradenda, tandemque in scripta pacta redigenda, subscribenda & rati habenda sint. Pertinet enim modus tractandi negotia gravioris momenti publica ad exsecutionem mandatorum publicorum, in qua omnis adhibenda est prudentia civilis (§. 1. *seqq.*), uti a legante (§. 718.), ita & a legato, eoque major, quo laxius est mandatum (§. 787.). Quam ob rem cum proferenda nomine legantis vel ore pronuntiari tantum, seu e memoria seu ex scripto prælegendo, vel & scripta exhiberi possint; utrum præstet, dispiciendum, & legato injungendum erit, ne a mente mandantis aberrare facile queat.

Est & modus tractandi civitatum negotia prudenter instituendus. Quodsi factum & diuturno usu receptum est, legatus mutare nequit. Idcirco aut obtemperare debet consuetudini usitatæ,

tatæ, aut mutuo consensu alius agendi modus est paciscendus: Venetiis & in Belgio scripta traduntur collegio, legatorum verba, & responsa, itidem e scripto recitantur, vel & dictantur, aut exhibentur, ne abrogari & in alium sensum verti possint. Walsingamio rescripsit Elisabetha, posse ipsum rogare Regem Galliæ, cum quo erat conveniendum, ut ipsi idem liceat, quod legato ejus in Anglia permissum, ut proferenda vertere in gallicum sermonem, & legere coram ipso permittatur. Addidit tamen, lectam versionis copiam non esse tradendam, nisi illa instanter postuletur. Plura videsis *Sect. 3. Lib. II. Wiqueforti.*

§. 798.

Emergentibus novis rebus vel difficultatibus negotiorum, recurrendum est legatis ad principes suos, ut in illis novis instruantur mandatis, quando ex prioribus aut generalibus haud liquet, quid illis sit de his placiturum. Non sunt enim nisi mandatarii & subditi suorum principum legati (§. 735.), & in iis, quæ speciale requirunt mandatum, quod in ipsorum instructione non continetur, vel non ita, ut indubii sint de mandantis voluntate, multoque magis in illis, quæ jussi sunt referre, & exspectare instructionem, frequentibus literis faciem rerum occurrentium referre, ac expetere sibi debent imperata, ut sciant, quæ sibi sint vel facienda vel omittenda. Crebro igitur literarum commercio, aut si id tutum non esset, nuntiorum ministerio legatis utendum esse liquet, ut certum habeant, quid fieri a se ulterius, aut non fieri velint.

Ubi legatis nova expetenda sint mandata?

§. 799.

Uti legatis liber transitus, ita & nuntiis literisque ipsorum idem est procurandus, concedendusque, dum communi bono operantur, nec se admodum suspectos reddunt. Nempe quod legati coram, hoc absentes per literas vel nuntios expediunt, quod per se evidens est. Jam legatis procuranda est securitas transitus per alienas ditiones (§. 785.). Propterea & eorum nuntiis & literis idem

Num legatorum literæ & nuntii sint inviolabiles?

jus ſecuritatis eſt obtinendum, & concedendum, quoties & quamdiu communi bono inſerviunt (§. 798.), non vero intenti ſunt nocumento aut turbis periculoſis, quibus depellendis officia erga ſe operam dare jubent (§. 749.). Quare ſi ſe admodum ſuſpectos reddidere, & jam novarum rerum ſtudio impliciti eſſe aliunde intelliguntur, ſibi imputent, ſi interceptis literis machinationum ſuarum convincantur.

Præſtat tamen, ſi ne quidem opus ſit literis intercipiendis, præſertim, ubi ſuſpicio vel delatio gravibus deſtituitur argumentis. In literis enim tam recte multis modis perſcribi res poſſunt, ut vix ac ne vix quidem quidquam ulla arte ex illis poſſit exſculpi. Dantur modi alii ex rerum teſtimoniis hauriendi, quæ verba vel celant vel negant omnino. De quibus nihil attinet, ut plura nunc afferamus, ad finem properantes.

§. 800.

Legato ſit liberum religionis exercitium.

Si religio legati diverſa eſt a religione ejus civitatis, ubi degendum ipſi, concedendum ipſi eſt, ut intra ædes ſuas cultum religionis ſuæ libere exercere, ideoque & miniſtrum religioſi cultus tractandi alere ſecure poſſit. Vti communis boni cauſa mercatoribus in emporiis, & coloniis, habitatio ſecura, bonorum immobilium poſſeſſio, liberum religionis exercitium, ac juris patrii inter ſe uſus concedendus eſt (§. 218. *Jur. Gent.*): ita legatis quoque aſſiduis, ſaltem aliquamdiu in altera civitate moraturis, ejusdem communis boni cauſa concedendus, uti conceſſa jurisdictione juris patrii uſus (§. 764 *ſeq.*), ita & uſus cultus divini quam optime valet peragendus. Hinc liberum religionis ſuæ exercitium, haud ſecus ac leganti, ſi ipſe hoſpes adeſſet (§. 756. *not.*), intra ædes ſuas absque incommodo alterius civitatis indulgendum eſt legato comitibusque ejus. Quare & miniſtri ſacrorum ſuo more adminiſtrandorum, & quæ præterea in illis adhibenda ſunt, illi concedi debebunt, ita tamen, ut,

quem-

quemadmodum ipſe ſibi ab aliis incommoda & tædia creari non vult, ita nec ipſe ſuo cultu alteri civitati tædia incommodaque creet.

Vſu venire quoque idipſum in exercitibus conſtat, dum vel in amica civitate aliena verſantur. Quamdiu enim ibidem morandum eſt, tamdiu & religionis ſuæ publicum exercitium liberum datur ipſis, una cum omnibus, quibus in eo exercendo egent. Qui ipſi cavent, ne ſuo exercitio religionis vel impediant vel turbent exercitium cultus divini ejus civitatis, in qua verſantur: dum & talia ſibi fieri nolunt. Si qui alii illorum ſacra decenter ſpectare, vel iisdem intereſſe volunt, dum iisdem addicti ſunt, id ipſis libere permittitur reciproce: ita & legatis pari jure licet, alios admittere ad ſua ſacra decenter ſpectanda, aut una cum ipſis obeunda, ab his, qui ejusdem aſſeclæ ſunt religionis. Quemadmodum & legati ſuis permittent, ſi quos habent, ut alterius civitatis ſacra, quibus addicti ſunt, frequentent. Pertinet hoc poſtremum non tantum ad jus legatorum, ſed peregrinorum in genere, qui in alia civitate recipiuntur, & recte ſe gerunt (§. 321. *ſeq. Jur. Gent.*). Exemplis etiam reſidentium, &c. hæc confirmat *Wiquefortus L. I. p. 415. ſeq.*

§. 801.

Privilegio religionis adjungi & alia ex compacto poſſunt privilegia immunitatesve legatis viciſſim tribuendæ. Non enim tantum gaudent peregrinorum utilium jure, ſed & hoſpitum publicorum (§. 756. & 758.). Sed hoſpites præſertim teſtandæ amicitiæ & honorificentiæ cauſa vel privatos inviſentes gratuito hoſpitio honorifice excipi, & gratis lautius tractari conviviisque exhilarari conſueverunt. Quam ob rem & legati extra ordinem honoris amicitiæque cauſa miſſi a civitatibus honorificentius multo, ac privati hoſpites, mutuo excipi, omnesque ſumtus ipſis liberaliter ſuppeditari ſolent, quibus pro dignitate ſuam agant perſonam. Sive id ergo hoſpitalitate duce pacto tacito

De aliis legatorum privilegiis immunitatibusque.

utitur, sive pacto expresso id certis legibus circumscriptum sit: præter gravissimam rationem eamque legitimam & mutuam a privilegiis illis immunitatibusque concessis non erit recedendum.

Romani regibus eorumque legatis, ex ultimis terris Romam profectis, publicum hospitium, sæpe & viaticum & commeatus, large & hospitaliter & vestimenta per quæstores præstabant, ipsisque ac comitibus ne quid rerum deesset, urbani quæstoris curæ mandabatur, dum Romæ erant. Sic *Livius L. 42. c. 6.* memorat, legato Antiochi regis ædes liberas hospitio datas, sumtumque decretum, donec in Italia esset. Sociorum legatos in primis liberali viatico & comi hospitio excipiebant, ac pro meritis copia rerum omnium cumulabant, apparatisque per municipia epulis excipiebant. Quæ dein propagato late imperio, quum legati quotidie venirent, restricta sunt sublato sumtu viaticoque. Ab aula Vindobonensi legati Turcici, & imperatorii vicissim ab Ottomannica sumtu publico per omnes ditiones suas cohonestantur. In Belgio liberi sunt legati ab omni tributo rerum fungibilium, quibus egent, excepto eo, quod pro introitu & exitu ab omnibus est solvendum. In Gallia ipsi legato declarandum est, quidquid vel importari vel exportari sui caussa curat, ut conductori illud a rege restituatur seu compensetur, quod pro eo solvendum. Vid. *Wiquefort. L. I. p. 425.*

§. 802.

Legativum quid?

Legativum vocatur viaticum, quo legati indigent itineris faciendi caussa cum suo comitatu.

Vlpianus l. 2. ff. de legation. His, qui non gratuitam legationem susceperunt, legativum (legatitium) ex forma restituitur. Arcadius *l. 18. §. 12. ff. de muner.* ait: legati quoque, qui ad sacrarium aulam) principis mittuntur, interdum viaticum, quod legativum dicitur, accipere solent: scilicet nisi suis sumtibus iter sit faciendum onere & personali & patrimonii.

Hhhh 2 §. 803.

§. 803.

Quo sumtuosius est iter legatis faciendum, eo æquius est, ut legativo largo instruantur. Sufficit enim, quod publici commodi causa itineris incommoda subeant cum rerum suarum neglectu, cujus causa & præmio digni sunt censendi. Sumtus igitur itineris largi pro dignitate civitatis tuenda ex ærario publico illis sunt subministrandi (§. 662. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 775. & 784. *P. VIII. Jur. nat.*). *Debetur legatis legativum.*

Fieri quidem potest, ut legati brevis legationis sumtibus soli sufficiant, iisque se sponte submittant, vel suorum simul negotiorum, vel gloriæ aut boni publici causa, vel ut sibi suisve gradum muniant ad honores & reditus eximios. Sed hi tam erunt rari, ut eorum causa regula, quam hic tradimus, nihil detrimenti sit passura.

§. 804.

Quando legati neglectis rebus privatis legationis negotia tractare jubentur, *opus est, ut idonei salariis vel honorariis indemnes præstentur*, perinde ac alii regum vicarii, ministri & consiliarii (§. 464.) & (§. 907. *P. VIII. Jur. nat.*). Eaque ipsis stato tempore sine mora sunt solvenda, tum ut eo majorem adhibeant diligentiam omnibus officii sui partibus implendis (§. 902. *ibid.*), tum, ne egendum, vel æs alienum sit contrahendum, quod parum decet dignitatem suæ civitatis (§. 721.). Imputari tamen in partem salarii possunt, si qua privilegia, aut si quæ immunitates legatis conceduntur, ut illis uti fruique queant (§. 801.). Eo magis autem legatorum salaria ita sunt constituenda, ut iisdem pro dignitate cum suis comitibus sustentari, sumtibusque faciendis pares esse possint (§. 907. *ibid.*); quo majori hoc honori ducetur mittenti eos alentique. *De legatorum salariis.*

§. 805.

Quanto majori splendore utendum est legatis in honorem civitatis *Quanta re-*

 suæ, quirantur?

suæ, tanto ampliori honorario sunt mactandi, ut indemnes præstentur. Liquet hoc ex §i. 803 & 804 argumentis. Præsertim solemnitates splendidæ obeundæ incredibiles sumtus requirunt, qui & extra ordinem propterea legatis sunt præbendi, ut v. g. festos dies conviviis, ignibus festivis similibusque sumtuosioribus celebrare, quanta decet, magnificentia possint.

His lucem fœneror verbis *Wicqueforti p. 321. L. 1.* Les appointemens, que la Republique de Venise donne à ses Ambassadeurs, sont assez mediocres; mais ils sont reglez, de sorte qu'ils savent, dequoi ils peuvent faire etat, & quelle depense ils peuvent faire. Ils ont le necessaire, & suppleent au superflu du leur, dans l'Esperance de s'avancer parla à des plus grandes dignitez dans le païs, & a de plus importans emplois au dehors. Les Provinces unies donnent dix huit mille livres à leurs ambassadeurs ordinaires, & les font payer fort exactement. Les extraordinares savent ce qu'ils peuvent depenser par jour, & leur train est reglé, suivant une resolution formelle, que les Etats ont prise pour celà; mais on ne laisse pas de l'alterer quelque fois pour des considerations particulieres. La France donne six mille ecus aux Ambassadeurs ordinaires, & douze mille aux extraordinaires. Lorsque le Chevalier Temple vint à la Haye en l'an 1674, il avoit cent livres sterlins par semaine, & avec cela un très riche buffet de vaisselle d'argent aux armes du Roi de la grande Bretagne; tellement qu'il n'y avoit, point de Table d'Ambassadeur, ou l'on en vit tant, ni qui fut converte de si grands plats & de si belles machines pour le fruit & pour les confitures. Lorsque le Cardinal Aldobrandin alla legat en France en l'an 1600, il avoit à depenser mille ecus par jour, sans le revenu de ses benefices. Le Roi d'Espagne traite aussi fort bien ses Ambassadeurs, quoi qu'ils ne soient pàs toujours fort ponctuellement payez. Cæterum quando consultum sit vel non sit, tantis sumtibus uti, aut multo minoribus, prudentia dictabit.

§. 806.

Lautia vocantur munera, quæ regibus eorumve legatis donari consueverunt, qui suis partibus recte sunt functi. *Quid sint lautia.*

Plutarchus Problem. c. 42. quæstores, inquit, legatis munera mittebant, quæ (λαυτεια) lautia dicebantur. Videntur ea in numis constitisse, uti *Livius L. 42. c. 6.* Antiochi legato centum millium æris munus esse missum, præter ædes liberas &c. Quibus numis & alia munera adjecta sunt, uti idem *Livius* innuit *L. 35. c. 23.* Præsenti Attalo gratiæ actæ, & ædes liberæ, locus, lautia decreta, & munera data, equi duo, bina equestria arma, & vasa argentea C. pondo, & aurea XX. pondo. *Lib. 28. c. 39.* rursus: locus inde lautiaque præberi legatis jussa, & muneris ergo in singulos dari ne minus dena millia æris. Lautia nec hostium legatis denegata sunt, quibus locus extra urbem & senatus datus. Idem de legatis Masanissæ *L. 30. c. 17.* refert: legatis in singulos dona ne minus quinum millium ex S. C. missæ, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina legatis, singula comitibus, ad hoc ædes, libera loca, lautia legatis decreta. Fortassis & ad lautitiam seu magnificentiam epularum exquisitarum refertur lautiorum nomen.

§. 807.

Juri hospitii & hospitalitati publicæ debentur quoque munera lauta, quæ a legatis ipsisve principibus afferuntur, & lautia, quæ ab ipsis referuntur, partim ut præmia rerum bene gestarum, partim ut remunerationes. Amici enim pro sua sorte hospites quædam & afferre munera amicis, & ab iisdem reportare alia consueverunt omni ævo. Quare mirum videri nequit, idem genus mutuæ munerationis & remunerationis publicam quoque hospitalitatem recepisse eo modo, qui publicam decebat munificentiam (§. 806). Quia vero in his uti privatim ita publice arbitrium alia atque alia instituit mutatque, ita plerumque jam *Legatorum munera & remunerationes.*

rariora

rariora ſunt regia munera mittenda & remuneranda, frequentiora autem ſola Regum & legatorum lautia, gratiam excipiendo aut dimittendo liberaliter captantia, vel & vices redditura (§. 1066 *Jur. Gent.*).

Mittebat munera Iacobus intimo Pharaonis vicario, remunerationem inſignem expertus *Geneſ. 43, II. 26 & 45, 21 ſeqq.* Reginæ Arabiæ Salomonem inviſens majora & apportabat & reportabat *1 Reg. X. 10-13. 15.* Rex Antiochus mittebat Romanis dona vaſa aurea quingentum pondo, narrante *Livio L. 42. c. 6.* De Attalo datis muneribus egit nota §. 806. Maſiniſſæ Regi munera, quæ referrent legati, decreta ſunt ſagula purpurea duo cum fibulis aureis ſingulis, & lato clavo tunicis, & equi duo phalerati, bina equeſtria arma cum loricis, & tabernacula, militarisque ſupellex, qualem præberi Conſuli mos eſt. *Lib. 30, c. 17. ibid.* Etiam nunc legati valedicentes ornantur muneribus, qualia vel decent ipſorum principes, vel & negotii momentum, vel merita legati, idque ideo, ne videantur corrumpi, poſtquam nil agendum reſtat. Venetiis injuriæ loco habetur, ſi legato ſolitum munus immerito denegatur, quod legatus ſenatui reddit (§. 680 *P. V. Jur. nat.*), qui illud ſeu reip. dicat, uti Caroli V. imperatoris aurea dona 5000 imperialium valoris, ſeu legato donat (§. 681 *ibid.*). Si legatus obtinere non potuit id, cujus gratia miſſus eſt, ipſe donum declinat, quod & aliis uſitatum eſt legatis, ut teſtentur legantis indignationem. Inſuper Venetorum legati creari equites ſolent. A. 1626 legatus Galliæ in Anglia accepit donum valens ſepties mille libras ſterlingicas, & alius 1653 adamantum ſeriem, valoris 30000 imperialium. Petropoli nuper 7000 uncialium donata dicebantur Suecico comiti legato. In Gallia nuntiis dari ſolet apparatus vaſorum argenteorum circiter 10000 librarum, legatis a latere 7000 vel 8000 uncialium; ordinariis legatis uncialium 2000, extraordinariis vero plus pro re nata. Exempla varia munerum refert *Wicquefort L. I. p. 449-457.* Viciſſim legati remunerantur latores munerum pro dignitate & opera, ipſis

ipsis ad audientiam perducendis præstita, v. c. 300 aureis. De aliis donis circa accessum & introitum epulisque Vid. *ibid.* p. 209 *seqq.* Extraordinarii legati passim primo introitus triduo vel quatriduo opiparis epulis excipiuntur publico sumtu hospitioque *p. 261 seqq. ibid.* Dein ipsi plerumque in honorem sui principis in publico convivantur; splendidius vero in solenni festivitate; ad quam non nisi magnates invitantur *p. 322 seq. ibid.* Munera quoque impertiuntur his, qui honoris causa ipsis dati vel missi sunt, tubicinibus, tympana pulsantibus, pedisequis, aurigis regiis, perfectis, ministrisque, cæt. In quibus mores recepti pro norma sunt habendi, ne vel deficiendo, vel excedendo peccetur.

§. 808.

Quando discedendum sit legato?

Dum legatio, quoad potest, finita est, legato abeundum est ab eo, ad quem missus fuerat, sive ad penates sit revertendum, sive jubeatur ire ad aliam civitatem. Legatio finitur, quando legatus peregit, quæ ipsi fuere commissa, & elapsum tempus ejus legationi destinatum, sive scopum sit consecutus, sive minus; vel quando revocatur a legante, quacunque de causa; vel quando discedere jubetur, aut, qui eum legavit, mortuus est, nec a successore novis mandatis instruitur (§. 1068 *Jur. Gent.*). Tum in mandatis ejus ibi agendum nihil restat, nisi ut discedat, uti jussus est. Qua propter vel publice valedicet, vel ita abibit, uti mutata rerum facies poscit, ut vel domum revertatur, vel eo se convertat, quorsum nunc proficisci jubetur, prout mandatarium ministrumque legantis fidum decet.

§. 809.

Cur ſecure? *Abeunti legato, ejusve comitibus, eadem debetur ſecuritas, quæ venienti, etiamſi bellum immineat, vel indixerit, uti fecialis.* Sunt enim per hypotheſin & tum legati intra limites ſui mandati manentes, ideoque & tum longe major ipſis, ac aliis peregrinis, ſecuritas eſt præſtanda (§. 759). Quorſumcunque ergo legatus abeat, ſive domum, ſive ad aliam civitatem (§. 808), citra fraudem ejus, e qua abit (§. 785. 786), ſecure & ipſe eſt dimittendus, & comites ejusdem, etiamſi bellum jam imminere intelligatur, aut ab ipſomet indicatur (§. 1052 *ſeq. Jur. Gent.*).

Præter alia complura de jure & officio legati *Cicero in Verrem. L. I. c. 33.* ſic dixit: Nomen legati ejusmodi eſſe debet, quod non modo inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur. Hinc ſi ipſi tutus reditus non daretur, haberet, de quo conquereretur. Vnde cum Verres ſe legatum circumſeſſum dixiſſet, arguit eum, cur jus legationis diminuerit, cur non ad ſenatum rem detulerit, nec de tam atrocibus injuriis conqueſtus ſit? Nempe quia legato agendum eſt ex mandato opera fiduciaria, omnia ipſi agenda ſunt ad præſcriptum, & dum id agit, nihil ejus ſecuritati eſt detrahendum. Epaminondas Diomedontem, qui Micythum jam pecunia corruperat, rogantem, ut tuto exire, ſuaque, quæ attuliſſet, liceret efferre, reddita pecunia a Micytho, ſic dimittit: iſtud faciam, neque tua cauſa, ſed mea, ne, ſi tibi ſit pecunia ademta, aliquis dicat, ad me ereptum perveniſſe, quod delatum accipere noluiſſem.

§. 810.

Non reduci tantum legato, sed & diutius in aliena civitate commoranti, rationes rerum gestarum ore aut scripto reddendæ sunt legantì, & ut appobari & cum applausu reddi possint, prudenter curandum est. Quando peracta legatione ratio reddenda est leganti a legato (§. 701. *P. IV. Jur. nat.*), non tantum breviter recensenda est summa rerum gestarum, sed & præsertim facies earum seu personarum potiorum seu rerum exhibenda est, quæ literis mandari non potuit, nec minus in recessu habet, cognituque digna est, quam ratio negotii gesti. Præterea reddenda sunt grato animo bene mandata, reddendum debite jus legationis; & exspectanda sunt decreta, quid de legationis eventu vel manifestandum sit, vel reticendum, quænam eorum & quomodo ratihabenda sint, vel minus, quæ præter vel contra mandati fines acta sunt si id nondum præcessit (§. 703 *seqq. ibid.*). Quæ de parte legationis peractæ perscribenda, mutatis mutandis, itidem valent (§. 798).

Reddendæ sunt finitæ legationis rationes &c.

Cum mandatarius obligetur ad illud omni diligentia faciendum, quod ipsi committitur (§ 649 *P. IV. Jur. nat.*); omni cura legato in id incumbendum est, ut in rationibus reddendis ostendere liquido possit, nihil sua culpa vel omissum vel admissum esse in expediendo negotio, sed id potius quam optime a se adimpletum esse, quod ipsi fuit mandatum. Quare si scopum obtinuit, approbationem, laudem, & præmia consequetur; sin minus, excusatus tamen erit per impedimenta inevitabilia & insuperabilia (§. 773 *ibid.*), & vel sic sua

laude non defraudandus, quod citra ſuam culpam contrarium eventum eſt expertus (§. 690 *ibid.*), & id circo indemnis præſtandus, etiam ratione ſumtuum, quos bona fide in legantis honorem facit (§. 692 *ibid.*), & damnorum, quæ ipſis alias ſubeunda non fuiſſent (§. 682 *ibid.*)

Finis Partis IV. Philoſophiæ civilis.



INDEX

INDEX IV.
TOMORVM POLITICAE,
IN
QVA I. II. III. IV. TOMOS,
RELIQVI NVMERI §§. NOTANT.

pro-

D.

Deſidia

E.

F.

G.

I.

Majestas

N.

P.

Q.

S.

V.

Vecti-

FINIS INDICIS.

ERRATA

Obiter inspicienti, quæ perlegere non potui, occurrere varia græca & latina, quæ interdum sensum erroneum aut nullum fundunt, nisi divinentur rectiora, e contextu & vestigiis veri residuis. E. g. T. II. p. 32. ab initio notæ occurrit Schervës, loco: *sic heroës* p. 75. v. 3. legendum est *notum perhibeatur*. p. 608. v. 25. pro redire legendum *penitus*. Tom. II. 193. §. 168. in notæ v. 3. post aliorum, deest: *procreationem*. Plura hujus modi benevolentia Lectorum corrigere dignetur quæso.





POLITICA
WOLFII.

TOM. IV.

A S